

CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

CICERO,
DE FINIBUS
BONORUM ET
MALORUM

LIBRI QUINQUE

PART 1

JOHAN NIKOLAI MADVIG



CAMBRIDGE

CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

Books of enduring scholarly value

Cambridge

The city of Cambridge received its royal charter in 1201, having already been home to Britons, Romans and Anglo-Saxons for many centuries. Cambridge University was founded soon afterwards and celebrated its octocentenary in 2009. This series explores the history and influence of Cambridge as a centre of science, learning, and discovery, its contributions to national and global politics and culture, and its inevitable controversies and scandals.

Cicero,

De Finibus Bonorum et Malorum

Published in Copenhagen in 1879, this is the third edition of the landmark edition of Cicero's *De Finibus* by Johan Nicolai Madvig (1804–86), first published in 1839. A Danish politician and leading classical scholar at the University of Copenhagen, Madvig was critical of what he considered careless German scholarship, and he sought a return to a truer manuscript tradition. His work focussed on Cicero and culminated in the first edition of *De Finibus*, which defined the standard for sound textual criticism. *De Finibus Bonorum et Malorum* (On the Ends of Good and Evil) is the most extensive of Cicero's works, in which he criticises three ancient philosophical schools of thought: Epicureanism, Stoicism, and the Platonism of the Academy of Antiochus. This third edition contains a revised preface outlining Madvig's method of ranking texts, and the five books of *De Finibus*.

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection will bring back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cicero,
De Finibus Bonorum
et Malorum

Libri Quinque

PART 1

JOHAN NIKOLAI MADVIG



CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town, Singapore,
São Paulo, Delhi, Dubai, Tokyo

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

www.cambridge.org

Information on this title: www.cambridge.org/9781108012416

© in this compilation Cambridge University Press 2010

This edition first published 1876

This digitally printed version 2010

ISBN 978-1-108-01241-6 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

M. TULLII CICERONIS
DE FINIBUS BONORUM
ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

D. IO. NICOLAUS MADVIGIUS

RECENSUIT ET FNARRAVIT.

EDITIO TERTIA EMENDATA.



HAUNIAE MDCCCLXXVI.

IMPENSIS LIBRARIAE GYLDENDALIANÆ (FREDERICI HEGEL).

TYPIS THIFLII.

PRAEMONITUM DE EDITIONE TERTIA.

Tertia haec editio, quae extremo a. 1873 typis describi coepta totum biennium et aliquot menses inter typhothetarum moras haesit, ita alteram reddit, ut singulae paginae paginis respondeant. Sed tamen in Ciceronis oratione per pauca, quorum in notis ratio exponitur, in notis plura, omnia fere parva mutata limataque sunt, pleraque in exemplorum grammaticorum copia augenda, uno etiam et altero detrahendo posita, in quo genere multo maior pars debetur O. Siesbyeo. In hac expolitione ratio etiam habita est eorum, quae ab aliis annotata nobis innotuerant, sed breviter, adhibita Holsteinii quoque horum librorum editione (Lips. 1873). De his uberius hic dicendi neque per se causa ulla est et, ne id facere coner, prohibet oculorum acies ante aliquot menses ita hebetata, ut ne plagulas quidem ab humanissimo iuvene Chr. Mikkelsenio typhothetarum erroribus expurgatas relegere aut saltem hic illic inspicere potuerim. Itaque duo tantum, quae ad codices spectant, commemoranda sunt. In codice Parisino usus sum iis, quae C. Thurotius in libro, qui inscribitur *Revue critique*, 1870, p. 18 sqq. de scripturis in margine positus exposuit et in libro quinto ab eo, qui codicem contulerat, delicta correxit. In codice Erlangensi mea ipsius gravis oblivionis culpa accusanda est. Cum enim a. 1848 diffi-

cillimo turbulentissimoque tempore subito a studiis ad negotia publica tractanda traductus essem, in iisque plus triennium haessem, prorsus oblitus eram, iuvenes duos philologos, C. Pfeifferum Onoldinum et G. Stierium Basileensem perhumaniter mihi transmisisse eius codicis scripturarum annotationem plenissimam et accuratissimam, quam Naegelsbachio suasore ad superiorem collationem corrigendam et supplendam confecerant. Ecce anno 1872 mihi veteres chartas meas volutanti obtulit sese exemplar horum librorum Monachii 1841 impressum, in cuius marginibus ea annotatio perscripta erat, una cum litteris Stierii. Itaque nunc codicis varietatem ex Pfeifferi et Stierii annotatione, quae ab Halmii perexiguam differebat, expressi, si quid ab Halmio discrepabat, superioris nostrae et huius alterius consensum secutus.

Scribebam Hauniae mense Martio MDCCCLXXVI.

PRAEFATIO EDITIONIS ALTERIUS.

Librum veterem edo universa forma et descriptione non valde mutatum, singulatim non ita leviter correctum et emendatum. Id enim redemptori, cum per aliquot annos a me hanc editionem flagitasset, tandem promisi iisque, qui ad emendum librum invitarentur, promitti iussi. Nam si nunc primum hos Ciceronis libros recensendos et enarrandos sumpsissem (quod non facile in animum induxissem), nemo, opinor, dubitabit, quin annotationis criticae et enarrationis formam aliquanto aliter descripturus et brevioribus finibus inclusurus fuerim. Constituto enim semel, ut olim feci, in bonis codicibus recensionis et emendationis fundamento, quoniam nunc et hos ipsos codices certius et plenius novimus et de toto hoc genere philologi melius iudicare didicerunt (etsi non desunt, qui aut ad veteres errores relabantur aut novos addant recteque praeceptis male utantur), omnem fere vulgarium codicum commemorationem, eorum maxime, quorum scriptura annotari breviter nequit, quod aut raro appellantur aut neglegenter collati sunt, omissem nec, quid ex his codicibus aut coniectura veteres superiorisque aetatis editores magna saepe inconstantia et casu interveniente scripsissent, percensuissem, cum satis esset ea ponere, quae quisque primus recte emendasset aut, si multum, ea quoque, in quibus appareret aliqua ad rectum

inveniendum progressio aut denique dubitatio admonitione digna. Deinde incredibilem Goerenzii inscitiam, ignorantiam, perversitatem per hos et alios Ciceronis libros grassatam et aliorum, etiam eorum, quos illius superbiloquentia deceperat, errores perpetua refutatione et insectatione indignos iudicasset. Verum haec nunc de commentariis ante multos annos compositis detrahere et resecaere, praeterquam quod alioquin molestum multique temporis erat, ne propterea quidem licebat, quod magnam partem cum iis disputationibus admonitionibusque, propter quas novam huius libri editionem a nonnullis expeti credebam, ita commixa copulataque erant, ut divelli vix possent. Et, ut verum fatear, fortasse ne nunc quidem inutilis erit neque illa, in uno saltem Ciceronis opere, perpetua declaratio, quam misere homines luserint codicum interpolatorum ludibria leviumque suspicionum commenta, et quam lente instabilique gradu ad certiore Ciceronianae orationis formam perventum sit, neque haec inanis et impudentis loquacitatis, quae neque res et sententias intellexerit neque sermonis leges motumque tenuerit animadverteritve, aut incertae fluctuantisque opinionationis in multiplicibus exemplis demonstratio et reprehensio cum rectae rationis explicatione et cum libero quodam de ipso Cicerone iudicio coniuncta. Cum itaque universi libri eam formam, quae olim effecta esset, servari placuisset, restabat, ut omnes eius partes, adhibitis etiam, si qua alii post a. 1839 prudenter et utiliter ad hos libros emendandos enarrandosve contulissent, ad id, quod nunc mihi in quoque loco verum et rectum videretur, exigenter. Ac primum, cum Halmius et Baïterus, quorum hic hos libros bis recognovit (1861 et, consociata cum Kaysero edendi opera, 1863), codicis antiquissimi et optimi, Palatini primi, scripturas plene annotatas edidissent adiecissentque alterius e meliore genere codicis Erlangensi simillimi collationem de ipsoque Erlangensi diligentius inspecto plenius et rectius pluribus locis tradidissent (de qua subsidiarum accessione quae necessaria dictu erant, superiori praefationi interposui), om-

nem Ciceronis orationem denuo cum codicum fide dignorum testimoniis contendi ponderatisque rationum momentis constitui, non sane multum ab ea forma digressus, quam ante secutus eram quamque et Klotzius et Baiterus fere tenuerant; prorsus enim se mihi, si summam rei spectes, probavit. Sed tamen et minora, velut in verborum ordine, non ita pauca, quae antea incerta erant, ad firmiorem codicum fidem revocavi, praeunte in multis Baitero, et in iis, quae sententiam aut rectam orationis formam propius attingunt, aliquotiens, mutata superiore scriptura, aut ipsam simpliciter codicum fidem certius perspectam et ratione comprobata secutus sum (ut II, 21, 52, 87, 94, III, 11, V, 20, 33) aut ex eorum vestigiis coniectura verum erui (ut II, 78, 94, III, 63, IV, 10, 65, V, 16, 80), uno et altero utriusque generis loco a Baitero occupato (ut II, 36, 107, 119), quasdam meas Wesenbergiique aliorumque suspiciones, quas antea in annotationibus reliqueram, aut novis indicibus corroboratas aut aliorum consensu comprobatas, praeunte partim Baitero, in contextum orationis recepi (ut IV, 6, 18, 61, 67, 70, V, 43, 72); aliquot denique novas suspiciones ut incertas in annotationibus posui (ut II, 33, III, 2, 15, 31, 51, 52, IV, 13, 37, 44, V, 23, 60, 69, 80). Aliorum coniecturis nuper propositis non ita multis locum dare potui, ut Lachmanni II, 24, aut saltem eas in annotatione probare; multo plures improbandae fuerunt, de quibus, si opus videbatur, breviter dixi; quaedam me sine dubio fefellerunt. Alani Hiberni editionem (Dublini 1856) et L. Vaucherii Genevensis, hominis erga me benevoli, sed nimis temerariis commentis (etiam de ipsius Ciceronis correctionibus et additamentis) indulgentis libellum, quem Curas criticas in Ciceronis libros philosophicos inscripsit (fasc. 1, Lausannae 1864), de industria non commemoravi, ne suspiciones inutiles ad hominum notitiam protraherem aut etiam refutarem. Varietatem scripturae commodiore forma posui. In commentariis praeterquam quod ea, quae iam in superioris editionis fine addenda et corrigenda dixeram, suis

locis addidi et correxi, pauca, quae nec utilia nec cum ceteris connexa videbantur, rescidi; correxi in iis, quae de antiquis editoribus cum superioribus, tum Ascensio, Manutius, Lambino tradita erant, multa minus recte scripta, non ita pauca etiam de Th. Bentleio, Davisio, Ernestio, Bremio, quorum errorum emendatio omnis debetur Oscaro Siesbyeo, qui cum in omni hac opera fidelissimus mihi adiutor fuit, tum hanc partem solus tractavit; eratque fortasse plura correcturus, nisi ego festinassem. Quae ad sententias Graecorum philosophorum a Cicerone positas aut significatas declarandas dicta erant, paene intacta reliqui; nam ubi in ipsis rebus nihil novi esset, libros recentiores de philosophiae historia, in quibus eadem traderentur, appellare pro iis, quos ante appellaveram, operae pretium non videbatur. Ex iis, quae de sermone Latino rebusque grammaticis annotata erant, unum et alterum sustuli, velut ad IV, 20, pauca contraxi, multa limavi accuratius, quod in quibusdam feceram iam alibi, maxime in artis Latinae libro (tertia editionis), alia amplificavi exemplorum copia, quorum maiorem partem contulit plurimaeque etiam, quae ad correctionem illam pertinerent, admonuit idem Siesbyeus, diligentissimus talium observator.

PRAEFATIO EDITIONIS PRIMAE.

Duo sunt, opinor, quae lectores a me hoc loco requirent aut, si non requirent ipsi, rogandi mihi sunt, ut benevolo animo et attento accipiant. Nam primum dicendum est de horum librorum, quos Cicero de finibus bonorum et malorum scripsit, emendatione et enarratione et universae operae a me in iis positae ratio sic explicanda, ut, quae in commentariis disperse posita sunt, ea ad suas causas generatim revocata et intellegi plenius et iudicari rectius possint. Quo loco etiam illud efficere conabor, ut libertas quaedam et simplicitas iudicii et orationis, a qua ne hic quidem discedam, merito et necessario adhibita esse videatur. Deinde, quae de Ciceroniani operis forma atque descriptione scitu digna videntur neque in commentariis aut per excursus exposita, comprehendam et ab iis ad ipsos libros lectores mittam. Sed prior illa disputatio, cuius magna pars apparatus critici explicatione continebitur, cum sua natura maiorem necessitatem habeat quam delectationem in rebus minutis per ambages persequendis, tum molestior fit, quod plus verborum consumendum est in eorum codicum commemoratione, quos parum novimus, quam in eorum, quorum plenus usus concessus est. Itaque deprecor, ne mea existimetur culpa, quae superiorum est.¹⁾

¹⁾ [Quaedam nunc hic illic contraxi.]

I.

§ 1. Si cui hoc negotii datum sit iudici, ut, cum, quid aliquando ab aliquo dictum sit, multi non satis constanter narrent, reperiat, quid in ea re verum sit, is, si prudens sit, non solum hoc spectet in testibus audiendis, quam quisque per se ipse fidei opinionem afferat, sed ante omnia quaerendum sibi putet, quis a quo audierit, ut sic magnam et inconditam testium turbam ad paucos et certos redigat, a quibus ceteri rem acceperint; cum autem eos invenerit, et illos alteros neglegat et hos quasi primi ordinis testes sic comparet contendatque, ut, quantam quisque sequentium multitudinem trahat, nihil ad rem pertinere iudicet. Nec aliter faciet peritus iudex, cum ex multis tabularum exemplis quaeretur, quid in uno aliquo testamento, quod non extabit, scriptum fuerit, nisi quod, quae illic de fama pervagata hominum confessione reperiebantur, hic de scriptura propagata indicibus deprehendenda sunt tacitis. Ab hac quaestione universo genere non distare eam, quam philologi in veterum operum codicibus manuscriptis instituunt, nec aliter esse tractandam, non ita multi sunt anni, cum intellectum est, neque etiam nunc ab omnibus intellegi videtur. Nos, antequam ita testes generatim distingvere et separare aggredimur, dicemus primum, qui omnino auditi sint, exponemusque, qui a quibus et quomodo codices adhibiti ita sint, ut ex perpetuitate quadam, quamvis minime plene, cognoscantur, non uno alterove loco occurrant. Nam hos Manutii, Lambini, aliorum libros commodius in posteriorem locum reiciemus.)

¹⁾ In locis Ciceronis ascribendis ubique minorum tantum particularum, quas paragrafos appellamus, numeros pono, nisi si qua singularis causa est capitis (c.) notandi. Appello nostro more *editionem, contextum*, similia, cumque omnem in his superstitionem vanam arbitror, tum perridiculam eorum in talibus curam, qui in verborum usitatorum usu et in sermonis iunctura singulis fere versibus peccant.

A. (*Editio Coloniensis et Romana.*) Primum igitur in agmine locum obtinent illi codices, e quibus primum hi Ciceronis libri typis descripti toti sunt, non hic illic correcti, quales editiones principes appellare consuevimus. Primum autem omnino typographica arte libri de finibus editi sunt Coloniae ab Udalrico Zell a. 1467, cuius editionis index descriptus est apud Orellium Onomast. Tull. vol. I p. 325. Eius ego editionis exemplar, quod in bibliotheca regia Hau-niensi est, cum meae editionis contextu contuli et scripturas discrepantes littera C notavi. [Ex ea pendet prorsus editio Veneta a. 1471, cuius nunc usurpandae copia fuit. Contra] e codice manuscripto nonnihil diverso expressam esse editionem, quae a. 1471 Romae a Conrado Sveynheyem et Arnol- do Pannartz emissa est (Orell. ibd. p. 307), monstrabit scripturae discrepantia a me annotata (R). Est enim huius quoque editionis exemplar in bibliotheca regia. Ceterae omnes editiones, quas novi, ab hoc loco et gradu exclusae sunt.

B. (*Margo Cratandri.*) In marginibus eius exempli operum Ciceronis, quod a. 1528 Basileae prodiit ex aedibus Andr. Cratandri, ut ad alios libros, sic ad hos, quos tractamus, non undelibet, sed, ut res et collatio ceterorum codicum docet, ex uno optimo codice multae annotatae sunt scripturae (paulo plus quam 260 locis) Paucis locis in contextum e vulgaribus libris, conquisita undique interpolatione, compositum ex illo codice receptae videntur scripturae meliorum codicum propriae, quae in superioribus editionibus non sunt, ut II, 73 *si pulor*, 75 *cum dicitis*, 102 *quamvis*, 104 *an quis alius*, III, 2 *nec vero ita ullum . . . quod*, IV, 2 *inquam*, aliae. Rarissime in margine inter codicis scripturas intermiscuntur, quae coniectura nata deprehendas, ut II, 21 *quod reprehenderem*, 24 *neesse est*, 94 *etsi qui potest*, 117 *honestus* (recte).

Illud in ea aetate facile credas, interdum in codicis scriptura cum contextu comparanda aliquid, quod ad ordinem verborum similesve minutias pertineat, non satis dili-

genter esse expressum. (Ipse has scripturas excerpsi nec cuiquam de iis credidi.)

C. (*Codex Morelii*.) Gulielmus Morelius Tillianus in Observationum in Ciceronis libros de finibus commentario (Paris. 1546; vid. Orell. Onom. I p. 326) usus est codice perbono et ex eo multas scripturas protulit. Eo libro praeter Scaligerum (apud Gruterum ad II c. 21 et IV c. 6) et Guyetum (apud Davisium) nemo ex iis, qui ad hoc Ciceronis opus emendandum aliquid contulerunt, usus erat ante Orellium; post hunc, qui et minora quaedam omisit et, ut fit, in nonnullis erravit, ego studiose adhibui, quidquid de codice traditum erat. Secrevi, ut par erat, quae Morelius non in suo codice, sed „alibi“, „in aliis libris“ legi ait. Ipse Morelius interdum aberrasse in scriptura enotanda videtur, ut III, 15 (*magis idem declaret usitatum* pro: *idem declaret magis usitatum*); interdum is. ut alii, tantum partem scripturae codicis posuit, ut II, 30. Saepe parva annotat; alibi maxima praetermittit.

D. (*Codices Gruteri*.) Ianus Gruterus (a. 1618) sex usus est codicibus Palatinis, quorum primum iure laudat ut optimum, eundemque antiquum fuisse significat. Eum Gruterus in libr. IV § 16 huius scripturae testem citans: *artes quoque requisitas*, ibi desinere scribit. Horum codicum Gruterus multas scripturas annotavit, plures, etiam Palatini primi, omisit; nec eas, quas annotavit, satis semper diligenter neque plene posuit, sed tantum eam partem, quae in oculos incurrebat, ut II, 26 et 30, quae exempla pro multis sufficiunt. Particula *sic* (*sic Pal. 1, sic omnes Pall.*) interdum ita ponitur, ut non ad omnia ea verba, quae praescripta sint, pertineat, sed ad unum aliquod, de quo Gruterus cogitabat, aut plura; velut II, 45 in Pal. 1 non erat *datam mentemque et acrem*, sed *datam mentemque acrem*; remansit et ex superiorum editionum scriptura. Neque illa affirmatio ad verborum praescriptorum ordinem pertinet, ne ibi quidem, ubi in eo res vertitur, ut I, 10: *vel nobis dicam*, ubi certum est in Pal. 1. ut in ceteris bonis, fuisse: *nobis vel dicam*. Praeter

eas scripturas, quas Gruterus in notis posuit, unam et alteram, minoris fere momenti, tacite e Pal. I sumpsisse videtur, quae neque ante eum reperitur et nunc a codice Erlangensi confirmatur, ut I, 56 *sit non dolere*, II, 20 *eam ipsam*, 45 *aliis multis*, 59 *deque his rebus*, 84 *possit rationi*, 85 *igitur ipsum*. (In quinque e sex locis tantum verba transponuntur.) [Haec nunc omnia confirmantur, toto codice, qui in bibliotheca Vaticana servatur inter ceteros Palatinos eo translato, n. 1513, membranaceus, saeculi undecimi, a Carolo Prienio diligenter collato, quam collationem ex Halmii et Baiteri editione totam quam potui accuratissime in hanc transtuli ad nostrum contextum accommodatam, ut, si de eo in varietate scripturae siletur, cum contextu consentire intellegatur. Tantum retentam mutatamve in accusativis tertiae declinationis antiquiorem terminationem (*omnis, omnes*), quam inconstantiam Baiterus in suo contextu expressisse videtur, nolui inde excerpere. Codicem ut Baiterus A appellavi; numerus additus antiquam manum et recentiorem distingvit.]

Praeter ipsius Gruteri codices „Daniel Heinsius misit ad eum Iosephi Scaligeri librum, cui magnus ille vir ascripserat lectiones variantes codicis veteris“ (Grut. ad I c. 2). Is codex apud Gruterum Scaligeranus appellatur, interdum Scaligerani libri margo (ad I, 16), hoc est, non codicis manuscripti margo, sed scriptura ex illo in margine exempli editi annotata; eodemque modo illa intellegi Gruterus voluit, quae ambigue et neglegenter posuit: „Scaliger ad oram libri sui“ (ad I, 7) aut: „Sc. ad oram libri allevit“ (ad I, 12) aut: „Sc. libro suo ascripsit“ (ad II, 16 bis) sive „ascriptum habet“ (ad II, 18); quamquam interdum, etiam ubi aperte codex appellatur, aut coniectura subesse videtur aut scriptura ex alio deteriore codice annotata, ut I, 7 (*non male*), II, 66 („Scaligeri vetus habebat *testata vim*“ cum El. 1), III, 42 (*ratione eorum qui*). Illud mirum, quod ad quartum librum subito haec obiciuntur: „quomodo (*etiam explicandae rationis*) etiam laudat ex Cuiacii, puto, membranis Scaliger“ (ad c. 7, 18) et haec: „Aptius *libellis*, quod e Cuiacii codice annotatum a

Scaligero illo nostro* (ad c. 9, 22). Dubites igitur, idemne hic sit atque is, qui ceteris locis Scaligeri dicitur, et unde id de Cuiacio Grutero innotuerit. (Ter Gruterus codicem Tusani, quem Gulielmus inspexerat, appellat, qui duobus locis vitiose Tusanus codex scribitur; fuit enim Iac. Tusanus Graecae linguae professor in academia Parisiensi saeculo XVI.) Gruteri editione ipsa, non Gronoviano exemplo usus sum.

E. (*Codices Gronoviorum.*) Iac. Gronovius, cum Gruteri editioni repetendae praesset (a. 1692), usus est duobus codicibus, altero patris Io. Frederici, quem hic ex aliqua parte contulerat cum edito contextu, deinde filius inspexisse se testatur (ad IV, 34), altero suo; sed hunc fere tantum in mendis typographicis editionis Gruterianae tollendis appellat; nec erat ullius pretii; apud me Gronovii codex semper Io. Frederici intellegitur.

F. (*Codices Davisii.*) Io. Davisius (a. 1728) usus est octo codicibus, Eliensibus duobus, Balliolensi, Meadiano, Parisiensibus tribus, Cantabrigiensi Collegii Corporis Christi (CCC), e quibus Parisienses Io. Walkerus contulerat, sed usus est cum supina quadam neglegentia. Non iam hoc dico, tantum hic illic inspectos et commemoratos esse codices, ubi aliquid animum pupugisset, tanta inaequalitate, ut modo *et, ac, que* codicibus adhibitis permutet, modo in foedissimis mendis eos non curet; sed primum, etiam ubi codices inspexit, saepe tantum eos inspexit, quos casus obtulerat. Velut in I, 25 narrat se „vocem *Tricari* fide Msti Balliolensis praetermisisse“, quam certum est in nullo eius codice fuisse, ut in nullo alio fuit, sed eius loco in nonnullis *Troii*; II, 8 scribit in CCC, Mead., El. 1 esse *hiarent*, quasi in ceteris sit *hiaretur*, quod fortasse in uno El. 2, melioris generis, erat, in ceterorum nullo. Saepe in mendis typographicis superiorum corrigendis parte codicum utitur, cum deberet omnibus, ut I, 40 *facillime* ait esse in Parr. tribus, Eliensi utroque, quod erat non minus in reliquis tribus. Multis locis, ubi tantum duae scripturae sunt, utriusque unum et alterum assignat codicem, ceteros omnino dubios relinquit; ut I, 30 *ad naturam* dicit

esse in Parr. 1 et 3, in El. 1 et Ball. *secundum naturam*, ut in ceteris quattuor nescio quid aliud fuisse putes. Ne iis quidem, quae probat, plene testimonia ascribit; nam II, 12 Palatino 1 et Victorio credit delenda haec esse: *sed forte dicitis*, in reliquis fere codicibus ait esse. Et tamen saltem in CCC (Ox. §) ea verba scripta non esse, Oxoniensium testimonio scimus. Deinde Davisius saepissime codices permittit et permultis locis de scripturis plane falsa prodidit. Quorum utrumque ne obscurioribus indiciis coarguam, utar duobus certissimis et manifestissimis. Primum habuit duos codices Elienses, genere, ut infra ostendam, diversos. Iam infinitis locis non distinxit, utrum codicem Eliensem diceret, ut in prima mentione ad I, 1 (*tantum reprehendunt*); saepe „El. unum“ appellat. In postremis libris ita prope constanter tantum Eliensem (etiam *Eliensem nostrum*) nominat, non addito *unum* aut *alterum*, ut, etiamsi iniuria, non tamen sine causa dubitatum sit, duosne habuisset.¹⁾ Ego arbitror, ita excerptas fuisse utriusque codicis scripturas, ut difficulter distingvi possent; eam curam Davisium, cum longius procedenti molesta fieret, prorsus abiecit; atque iam ante saepe priorem et secundum appellando permutatos puto. Alterum argumentum summae neglegentiae hoc est. Duo codices, quibus Davisius usus erat, alter Collegii Corporis Christi, alter Balliolensis, postea in editione Oxoniensi saltem diligentius quam a Davisio adhibiti sunt, ut iis, quae affirmantur, credi possit, appellatique ille §, hic ψ. Atqui de dimidia parte scripturarum, quas Davisius annotavit (annotavit autem vix

¹⁾ Goerenzio praef. p. V El. 2 (scribit 1, sed meliorem significat, quem ipse postea recte 2 fuisse dicit) videtur „cum tertio libro finivisse“; nam inde unius modo El. mentionem fieri, sed nullam ex eo probabilem scripturam erui posse. Sed Davisius et ad IV, 28 duos codices Elienses discrepantes commemorat et non paucas melioris familiae veras scripturas postea ex El. profert, ut 39 (*concluderent*), 65 (*his — omnes*), V, 50 (*incommodatura*), 56 (*sessiunculas*), 58 (*scientia tum*). Illo autem modo, ut simpliciter Eliensem dicat, loquitur Davisius iam in prima et tertia nota ad libr. I.

decimam partem), prorsus aliter apud Oxonienses traditur. [Davisianae editionis nunc exemplo a. 1741 vulgato usus sum, antea Rathiano usus eram.]

G. (*Codices Oxonienses.*) In ea editione operum Ciceronis, quae anno 1783 Oxoniae facta est, ad hos libros variae scripturae annotatae sunt e quinque codicibus, quos partim multis annis ante Th. Hearnius tractaverat, partim, qui editioni ipsi praeerant, sive is unus fuit, adhibuerunt. Ex his qui littera E signatur, codex erat membranaceus bibliothecae Bodleyanae, scriptus Florentiae a. 1459, ceteros quoque Ciceronis de philosophia libros continens; U codex membranaceus bibliothecae collegii Lincolniensis, eosdem libros complectens, scriptus a. 1420; ξ Collegii Corporis Christi erat, scriptus a. 1472, „parum accuratus“, hos solos libros complectens; χ tradunt Collegii Novi esse, chartaceum, accurate scriptum, annorum fortasse (illo tempore) CCCL; continere etiam Tusculanas; ψ volumen esse quartum codicis e quinque voluminibus constantis, quae Florentiae a pluribus librariis scripta sint, secundum a. 1447, quintum a. 1445; in quarto libros de philosophia contineri. Hi codices ita collati videntur, ut iis, quae affirmantur, fere credi possit, cum praesertim vix lectu difficiles fuerint. Sed primum verborum ordo nusquam fere annotatur, ne ibi quidem, ubi eius mutatione tota sententia alia fit. Itaque et II, 24 editur *Laelii' praeclare* neque quidquam annotatur, et II, 71, cum cetera editores posuissent, de mutato loco verbi *obtinere*, sine quo intellegi interpolatio nequit, nihil dixerunt. Quin V, 86 cum editores assensi essent Lambino et verba *ut ait Theophrastus* transposuissent, ex ξχv annotatus est dissensus, quod ad totam sententiam pertinebat, ex EU nihil ascribitur; nam cum totidem verba essent, nihil interesse iudicatum est, quo loco essent. Sed praeterea in nonnullis ex his codicibus conferendis non pauca omissa videntur, maxime quidem in U et ψ. Horum prior a recentioribus editoribus interdum propter silentium auctor citatur eius scripturae, quam in eo expectari nullo

modo patiantur ea, quae proferuntur, prorsus omnia cum infimis codicibus conspirantia. Eo cum accedat, ut ex hoc codice multo pauciores scripturae quam ex ullo alio annotentur, et ut de eo per totas paginas silentium sit, in quibus plane incredibile est eum consensisse cum contextu Oliveti undique conflato (velut in libro I inde ab *afferret* in § 55 ad *monstrōsi* in § 61), apparet, quid rei sit. Sed idem accidit in ψ , e quo inde ab I, 52 (*ingenia* pro *ingenii*) nulla profertur scriptura usque ad 62 (*migrare e* pro *migrare de*), neque tamen ulla codicis lacuna annotatur. Itaque silentio codicum Oxoniensium pro testimonio uti, nisi ubi aliquid aliunde confirmationis accedat, imprudentissimum est. [Olim usus eram in his nullius auctoritatis codicibus exemplo Halensi a. 1827, nunc ipsa usus sum editione Oxoniensi.]

H. (*Codices Goerenzii.*) Io. Aug. Goerenzii (1813) usus est codice Erlangensi, quem ipse contulit; de quo codice post dicam, Guelferbytanis duobus, quorum Gudianum 1 dicit saeculi quinti decimi fuisse, Gudianum 2 Heusinger, qui Guelf. 1 appellat, in praefatione editionis librorum de Off. circa a. 1300 scriptum dicit; Bremius, qui scripturas eius a Fr. A. Wolfio acceptas hic illic profert, in libris de finibus a neglegenti admodum librario scriptum ait; praeterea Goerenzii habuit scripturas duorum codicum, Spirensis et Basileensis, a Wegelio quodam Basileae a. 1698 plene, ut videtur, et diligenter excerptas et in margine exempli Manutiani a. 1565 annotatas¹⁾; postremo in libris duobus ultimis aderat scripturae varietas e codice Monacensi n. 328 (saeculi, ut mihi scriptum est, XV) a Fr. X. Werfero enotata. Sed quemadmodum Goerenzii in toto hoc negotio codicibus utendi versatus sit, si paucis dixero, vereor, ut turpitudinem flagitii satis demonstrarem, sin autem pluribus dicere incepero, ne supervacaneam operam sumpsisse videar. Dicam tamen,

¹⁾ Hunc librum, quo Goerenzii etiam in Academicis usus est, nusquam dicit, unde habuerit. Ego quaerendo per litteras nihil comperi, nisi neque Lipsiae neque Zvicaviae esse.

quantum res postulat, ne de mea fide dubitetur, cum de uno praestantissimo codice omnibus fere paginis meum testimonium a Goerenzii discrepet, neve imperiti certis auctoritatibus inanem speciem codicum Goerenzianorum opponant et ex eius erroribus novos procreent. Goerenzius igitur non solum, quas ei placuit, scripturas e codicibus suis excerpsit, ceteras saepe optimas et maxime notabiles omisit, aut subinde minus plene et accurate, quid in codicibus esset, tradidit, sed ita graviter ubique erravit, ita multas scripturas confinxit, ita nomina codicum permutavit, quae in optimis erant, pessimis tribuit, quae in pessimis, optimis, ita etiam in iis locis, ubi ab aliis admonitus erat, ut attenderet, de falsis asseveravit, ut nihil unquam ulla ex parte simile viderim et, nisi mihi stupor hominis et perversitas in ceteris quoque rebus perspecta essent, vix meis ipse oculis crediturus fuerim. Ac poterat iam ante magna ex parte intellegi, quae fides Goerenzio deberetur, attigeratque Orellius suspicionem, quod tam saepe quasi dedita opera falsa de editis libris et aliorum codicibus narravit. Non pauca enim similia sunt ei, quod ad I, 39 commisit, ubi cum ad haec verba: *statua porrecta manu, quae manus significet* Paulus Manutius annotasset repetitionem substantivi post pronomen relativum non insolitam esse, sibi tamen in mentem venire, additum fortasse esse *manus* ab aliquo, qui vereretur, ne ad statuam potius quam ad manum pronomen *quae* referretur, hinc apud Goerenzium haec nata sunt: „Nugas autem tractat Davisius (— at is ne verbo quidem hunc locum attigit —), cum *manus* ideo abesse velit, ut *quae* ad *statuam* referatur“ (!!). De Cratandri quoque margine saepe graviter errat, interdum usque ad summam mirationem, ut cum id, quod in una Gruteri editione a typographo depravatum est, in ceteris omnibus legitur, ibi pro varia scriptura annotari scribit (ad V, 91). De editione Marsi quaedam exempla infra ponam. Nunc cum codicem Erlangensem iterum collatum habeam, praeterea ad deteriorum codicum consensum et discrepantiam perspicienda idoneam materiam collegerim,

omnis foeditas aperta est.¹⁾ Atque omissarum primum scripturarum optimarum eorum codicum, quos ipse praestantissimos esse intellexerat, gratiam ei faciamus; neque enim aliter fieri poterat, cum semel eiusmodi homo sibi delectus habendi ius sumpsisset. (Exempla ex initio libri I haec sunt ex Erl.: § 4 e Graecis, 10 *vel dicam*, in loco vexatissimo, et *possum* et *ne* (etsi hoc est omnium codicum), 14 *Aristoteli*, 15 *ego*, 17 *Democritia dicit*, al.) Multo minus reprehendamus, quod non indicat, e quibus codicibus aliquid ponat, cum ex optimis sumpserit, ut I, 4 (*nomini paene*). Non valde mirandum iudico, quod etiam, ubi de scriptura disputat, codices suos negligit, ut ad I, 5 annotavit, recte *Bremium tam* revocasse, quod a Davisio et Ernestio in *tantum* mutatum esset, in suis codicibus esse *tantum*, ut in omnibus omnium fuit et Davisius de suis dixerat, non attendit. Ne eiusmodi quidem graves errores miror, quales asseverans et alios etiam corrigens in uno codice Erl. committit (ut exempla e parva parte libri secundi sumam) II, 78 (de *et* omisso et de *quidem*), 79 (de omisso *Siculo*, cum id, quod habet Erl., ex aliis proferat et probet), 80 (*in amicitiiis tuendis*), 82 (*multis modis*), 95 *turpe viri non esse*, ubi Pal. 1 errore comprehendit). Illa iam foediora, quod non solum omnia confundit, ut I, 30, quae verba in optimis codicibus non esse scribere debebat, in iis esse scripsit, in ceteris non esse, et quod, quae nusquam fuerunt, confinxit, ut ad III, 11 vulgo legi *quaero* et ita esse in Erl. et Spir., quod neque in ulla editione neque in illis codicibus scriptum est. Sed illa foedissima, in quibus, cum ab aliis admonitus esset, ut caveret, tamen aperte falsa scribit, ut I, 39 cum ipse narrasset in Pal. 1 esse: *nec ulla par vacuitate*, in margine Crat. *ut ulla pars vacuitate*, et Davisii coniecturam inde natam commemorasset, non vidit,

¹⁾ [Uno et altero loco Goerenzio iniuriam feceram, mea collatione nimis fidens, uno ipse errans. Eos nunc delevi.]

in Erl. esse perspicue: *ut ulla pars vacuitate*, sed tantum *ut ulla* protulit. (Cfr. I, 20 *geometriam*, 34 *atque turbentur*.) Ad II, 13 cum Davisius non recte credidisset, addendum esse ἡδονῆ post *Graece*, Goerenzius in Erl. et Spir. id vocabulum Latinis litteris scriptum esse plane somniavit. Eadem perversitate II, 24 non, ut Gruterus et Davisius fecerant, tacet de *cognitu*, quod post *in quo* codices addunt, sed „suos id ignorare“ scribit. Iam illud quale dicam, quod II, 77, cum Gruterus e Pal. 1 et Scalig. protulisset *profitendae*, idque Davisius probasset addito El. 1 (si modo prior fuit) testimonio, Goerenzius audeat scribere, „neque Gruterum quidquam de Pal. 1 monere nec suos illos binos a vulgata discedere“? Et habebat omnibus litteris perscriptum in „suis illis binis“ *profitendae*. (Cfr. III, 53 *haec posita*.) Sed, ne infinitum sit, unum socordiae cum pari stultitia coniunctae exemplum addam, quo nihil magis ridiculum excogitari potest. Nam V, 41 in editione Bipontina errore scriptum est: *si, ut initio dixi, — si (pro se) quisque cognosceret*. Eum errorem cum Goerenzius repetisset, quasi oculo altero semiaperto vidit in codice Erl. esse *se*, nec tamen evigilavit, ut id in omnibus codicibus et superioribus editionibus esse nec sine eo ullam esse sententiam animadverteret, sed, qualia permulta gravissime Dei Somni oracula edit, narrat recte repeti *si (si si cognosco pro si me cognosco)*, hoc confundens cum condicione propiore subiecta condicioni generali (vid. ad II, 112). Iam quem sic in Erlangensi codice errare videmus, quem ipse in manibus habebat, quid huic accidisse putamus in scripturis codicis Spirensis et Basileensis, quibus antequam uti posset, ratio habenda fuerit contextus Manutiani, quocum illi collati essent? Illud unum praeterea animadverti velim, saepe eum, cum vere scripturam aliquam ex uno duobusve codicibus proferre posset, falso *omnes suos, multos* appellasse, ut cum proprias melioris familiae scripturas commemorat, quae in Erl. et Spir., interdum in uno praeterea erant. Neque ego in omnibus huiusmodi locis cautionem ascripsi, cum ad rei

ipsius diiudicationem nihil pertineret scire, quantum erroris veritati admiscuisset. ¹⁾)

Iam ante Goerenzium F. C. Alter, cum hos libros cum Academicis, Tusculanis, libello de fato Vindobonae a. 1786 ederet, in libris de finibus annotaverat discrepantiam scripturae e codice Vindobonensi. Eam editionem non vidi nec videre curavi, cum ex iis, quae Goerenzium inde transcripserat, intellegerem codicem ex infimo genere interpolatorum esse et Alterum constaret in codicibus conferendis parum diligentem fuisse.

F. W. Otto (1831) codicem Guelferbytanum, antehac non collatum, „malum“, tantum „in difficillimis locis inspexit“, in quibus vel maxime removenda sunt librariorum recentissimorum ludibria.

Manifestum est ex iis, quae dixi, in quanta ignoratione aut dubitatione aut etiam in quanto errore ii, qui adhuc codicibus usi sunt, eorum scripturam multis locis reliquerint, ac prope magis bonorum quam malorum, quorum testimonium aliquo modo ex Oxoniensibus cognosci poterat. ²⁾) Itaque huic malo ante omnia subveniendum erat.

§ 2. Ipse igitur primum, quod quasi fundamentum est huius editionis, usus sum scripturis codicis *Erlangensis* tanta diligentia, vix ut maior optari potuerit, enotatis, rogante mea causa Doederlinio, ab optimis iuvenibus, Sartorio et Fritzio. Omnem enim vel minimam discrepantiam, annotato etiam, si quid erat in compendiis dubii, expresserunt in margine et inter versus exempli Nobbiani (Lips. 1828). Eam ego collationem totam quanta potui maxima cura in hanc editionem transtuli, ut iudicandi eadem ceteris, quae mihi, facultas esset. Tantum ea, quae ad vocum scribendarum rationem pertine-

¹⁾ Animadvertendum est, in quo erratum vidi, „binos illos“ apud Goerenzium dici Erl. et Spir., „binos“ duos quoslibet (ut I, 1, al.). Elegantius hoc visum est quam recte duos dicere.

²⁾ Saepissime Orellius, cum etiam ad Gruteri notas et Oxonienses minus attenderet, ex una editione Victorii annotavit, quod aut in omnibus codicibus aut in omnibus deterioribus est.

bant, omisi, quod neque orthographica nisi ex antiquis codicibus annotari puto debere et tantum ab iis, qui ipsos codices tractant, tum etiam voces Graecas Latinis litteris expressas et verba male divisa (ut II, 25 *negatum quam* pro *negat umquam*, et ibid. *cenat se*); litteras enim, quas librarius religiose pinxit, quaerimus, non ipsius iudicium. Detraxi etiam *hii* et *hiis* (*hijs*) pro *ii* et *iis* scriptum¹⁾ [et *que* pro *quae*], tum errores quosdam in notissimis nominibus propriis, ut *sed nephebos* pro *Synephebos*. Paucis etiam locis non annotata, quae saepius accidit, eiusdem vocis geminatio. Ipse codex (chartaceus, formae maximae, saeculi XV) universam scribendi rationem habet recentis aetatis (ut *hijs*, *Grece* et similia, *Therentianus*, *assencior*, *diffiniciones*, *michi*) multis vestigiis veteris moris permixtam; ut interdum scribitur *aput*, hic illic *adhibentis* et similia accusativo casu, *cottidie*, *volt*, *secuntur*; paene perpetuo librarius, cum in exemplari, quod sequebatur, esset *uoster*, fecit *noster*. Laudem autem et dignitatem, quae huic codici maxima debetur, habet omnem a genere et fide, id est, ab antiquo et non interpolato exemplari summa superstitione magis quam fide expresso sine ullo librarii conatu intellegendi, quod non intellexeret. Peritiam veteris exemplaris recte legendi diligentiamque lente et caute scribendi magno opere desideramus. Nam primum saepe verba omisit (velut in parva parte libri primi 44 *necesse*, 45 *et post essent*, 48 *dolores*, 49 *illas*, 51 *satis* et *improbe*; non numero particulam unam e duabus similibus ut in *quoniam cum* I, 37 praetermissam aut quae propter eandem vocem parvo intervallo positam exciderunt, ut 39 et 59, in quo genere est etiam, quod § 26 accidit librario propter similitudinem vocum *voluit* et *voluptatem*); alibi autem, ut dixi, idem bis scripsit, in-

¹⁾ Quam verum hoc sit, pro *iis* scriptum esse *hiis*, deinde saepe factum *his* (quod semper notavi), clarissime apparet e talibus mendis, quale est in Erl. V, 6, ubi ex *novisse vis* factum est *novis seu is*, deinde *novis seu hijs*.

terdum voce interiecta (V, 21 *quattuor defensae quattuor*, V, 40, 53, al.); deinde mire notissimas voces et vocum terminationes perturbavit (I, 7 *meretur* pro *mererer*, 8 *timeatur* pro *timeam*, 11 *consimilia* pro *consilia*, 14 *oculis* pro *oderis*, 17 *innatu* pro *inani*, 18 *habet* pro *hunc*); compendia quaedam verborum frequentissimorum paene semper commutavit, *aut* pro *ut* ponens (vid. ad III, 31), *quid* et *quod* et *quam* et *quid est* pro *quidem* (ad I, 39). Interpolationis, ut dixi, rarissima vestigia sunt, ut I, 33 (*per blanditias* [aut *per blanditus*]), II, 66 (*interfecit*). (De ordine verborum post dicam.) Haec pluribus exponenda putavi, ne quis nobis posthac homo superstitiosus hos libros corruptum iret eius codicis auxilio, qui cum reliquis bonis coniunctus et deterioribus obiectus salutaris iis fuit.¹⁾ [Longe tamen pleraque horum non ab ipso cod. Erlangensis librario peccata esse, sed ab eo, cuius exemplum sequebatur, nunc constat et infra dicetur.]

Praeter codicem Erlangensem et duas primas editiones (§ 1 A) habui scripturas enotatas e codice Parisiensi, Leidensi, Monacensi, tum etiam e P. Victorii codice Veneto.

Codex *Parisiensis*, bibliothecae maximae n. 6331, qui in catalogo dicitur esse XIII saeculi, membranaceus, olim Puteaneus, collatus est meo sumptu ab homine Gallo cum editione Ernestiana a. 1737 non summa, ut opinor, diligentia, ita tamen, ut omittendo, non errando peccaretur. Itaque saepe sic posui (P), silentii testimonium significans, nec tamen semper hoc feci in codice perexiguae auctoritatis, cum praesertim consentientem cum meo contextu silentio fortasse non magis fido notare non possem. Itaque melior interdum hic codex videtur quam esse credo; ut III, 30 non

¹⁾ [Quod olim hic dixeram, unum tamen fortasse et alterum Sartorium et Fritziium fugisse, id saepius, quam vellem, accidisse patefactum est codice denuo ab Halmio perlustrato. Itaque Halmii testimonia apud Baierum posita sic secutus sum, ut, ubi opus esset, eius nostraeque collationis dissensum significarem notis *Et* et *Em.*] [Videatur nunc praemonitum de ed. tertia.]

sane habuit *cuiusmodi*. Ex multis indiciis suspicatus sum, hunc eundem esse, quem Walkerus et Davisius Parisiensem 1 appellarunt (III, 10 *esse si dixeris*, 41 *nostri non quod aestimatione omnino*, 43 *bona vere*, 68 *velle sine procreare*, 73 *et proficiscendum*). Sed si ita est, incredibiliter Davisius scripturas perturbavit, ut in Eliensibus.

Codicem *Leidensem*, qui inter Vossianos formae maximae quartus decimus est, Ianus Bakius per discipulum aliquem suum cum exemplo Orelliano diligentissime conferendum curavit enotatamque varietatem mihi perhumaniter dono misit, addiditque in litteris, codicem, qui plura Tulliana continet, esse membranaceum, nitide scriptum saeculo, ut sibi videretur, XI. In primae paginae ima parte scriptum erat: „Ex bibliotheca Io. Huralti Boissallerii. Emi a Camillo Crucio 4 Coro.“ (Huraltino codice usus est Lambinus, sed alio, si quidem is V, 89 habuit *docti et indocti*.) De aetate vix credo, quoniam interpolatio eiusmodi, qualem in hoc codice esse paulo post dicam, in illud tempus non videtur cadere. (Codex I. Fr. Gronovii, quem e catalogo edito speraveram hunc esse, Lugduni Batavorum non est.)

Codicis *Monacensis* neque numerum dicere neque quidquam de eo addere possum, quod non e scripturis pateat, propter huiusmodi causam. Cum ex Fr. Thierschio per litteras quaesissem et de codice Monacensi n. 328, e quo Goerenzius paucas scripturas a Werfero excerptas posuerat, et de iis, quae opinabar etiam ad hos libros a P. Victorio olim collecta Monachii servari, is mihi perhumaniter et specimen aliquod scripturae codicis e libro primo et eorum, quae Victorius in margine exempli Ascensiani a. 1521 et Iuntini a. 1536 annotarat, misit et certiozem me fecit, quibus conditionibus codex conferri et Victorii annotata describi possent. Quae cum mihi placuissent, Valentinus Seibelius descripsit, quae Victorius in margine Ascensiani exempli posuerat (nam alteris annotatis carere me facile posse putaram); deinde ei ad alia avvocato M. Otto in hoc negotio successit. Sed nescio quo casu is non illum codicem, sed alium, qui tres tantum

priores libros continebat, contulit.¹⁾ Codex ipse ut in illo genere non improbabilis est.

His codicibus collatis id sum assecutus, ut et melioris codicum familiae unum saltem testimonium plenum haberem et deteriorum consensum declarare fere possem. Accessit his varietas scripturae codicis a *P. Victorio* in illius, quod dixi, exempli Ascensiani margine ad duos primos libros ascripta, de quo codice ipse ad finem libri secundi haec posuit: „Contuli superiores duos libros de finibus cum cod. manuscripto e bibliotheca divi Marci multis mendis scatenti, fereque omnia etiam primo aspectu parum probata notavi. Tu ea omnia tibi sumes, quae congruere castigataque esse videbuntur, meamque diligentiam ne damnes; si fuisset enim copia meliorum codicum, hunc profecto abiicissem; nunc cum parum emolumenti ex eo capere mihi videbar, hic finem constitui collationis. *P. Victorius*.“ Huius collationis mihi sic descriptae, ut etiam Ascensiana scriptura, a qua codex discederet, annotaretur, ego contra id institutum, quod sequi soleo, delectum feci et, quae utilitatem habere videbantur, in notis posui necessariis de causis. Primum tantum fere omnia *Victorius* se annotasse dicit; habeo autem persvasum, eum sub finem multo plura omisisse quam initio; nam scripturae in septem primis paginis enotatae ad eas, quae in septem postremis enotantur, rationem habent dupli et semissis vel paulo etiam maiorem. Deinde erat quaedam in *Victorii* notis obscuritas, quod et coniecturae interpositae erant, littera *c* aut *ej* praescripta, et nonnumquam scripturae enotatae superscriptum *g*, quod probandi significationem habere videtur, paucis locis additum *Ald.* (*Aldus*). Uno et altero loco superpositae in contextu verbis litterae erant, quae coniectura natas correctiones continere videbantur, ut I, 55 verbis *cedere causae* superscribitur bis *a* (*cadere causa*, quemadmodum *Victorius* edidit), et I, 18, cum in codice *Victorius* rep-

¹⁾ [Eum codicem n. 763 esse et omnes quinque libros continere in nuntis litterariis acad. Monac. vol. XIV p. 429 n. traditur.]

perisset *illud Epicuri*, verbis *propriae ruinae* superscripsit *proprium*. Itaque ex hoc codice ea tantum commemoravi, quae aut ad confirmandum codicis Erlangensis aliorumve bonorum testimonium pertinebant aut alio modo cognitione digna videbantur, cum praesertim is esset, ut postea exponam, qui solus perexiguum momentum faceret.

[Baiterus praeter Palatini 1 (A) varietatem evulgavit etiam scripturas codicis *Vaticani* n. 1525, olim Palatini, ab eodem Prienio accurate enotatas. Eius codicis, quem cum Baitero B appello, Erlangensis, ut statim dicitur, gemelli, scripturae varietatem non putavi integram transcribendam, sed in notis, initio parcius, deinde frequentius ad Erl. eius mentionem adieci, in quarto et quinto libro, ubi Palatino 1 caremus, prope perpetuam, semper quidem annotato, si quid ab eo ita dissentiret, ut vel minima inde suspicio nasceretur. Itaque in prioribus libris si solus in notis commemoratur ponderaturque Erlangensis, sciendum est, consentire alterum (velut I, 39 *ut ulla pars*). Qui omnia minutissima rimari volet, a Baitero petet.¹⁾ Codicem etiam *Glogaviensem* a. 1416, cuius scripturae varietatem Schneiderus in programme Vratislaviensi 1841 edidit, Baiterus aliquotiens commemoravit, ego fere prorsus silentio praetermisi, quod nihil a ceteris deterioribus differret nisi nova quadam et audaci interpolatione hominis, ut illa aetate, non indocti, cuius forma ex Heindorfii editione librorum de natura deorum (nam idem est codex, quo ille usus est) cognosci potest. Semel et iterum interpolator in re parva et facili incidit in coniecturam veram, ut V, 31 (*quam*).]

§ 3. Codices librorum Ciceronis de finibus, quotquot noti sunt, non per diversas stirpes ab ipsius Ciceronis aut proximae ei aetatis exemplaribus perpetua quadam successione propagati, sed omnes ab uno longe inferioris aetatis libro, in quo iam iniuria temporis affectum Ciceronis opus

¹⁾ [In hac tertia editione in primis libris codicis B scripturas aequae plene atque in postremis annotavi]

erat, orti sunt. Declarant hoc primum apertissime et omnem negandi dubitandive copiam excludunt communes omnium codicum lacunae et verborum omissiones, maxima in libro I, 22, sed non minus apertae aliae, ut lib. I, 10 (*satis*) et 50 (*sic ** cuius*) et II, 21 (*nihil haberemus ** cum*) [et II, 97], deinde eiusmodi menda permulta per omnes codices pervagata, quae casu in omnibus orta esse non possunt, ut (nam pauca exempla eligere satis est) I, 34 *corripuisti*, II, 24 *in quo cognitu* et 32 *animi statum*, maximeque illud propter exiguitatem notabile, quod II, 64 in omnibus nostris codicibus legitur, ommissa lineola: *habebat tamen ratione*, tum, quae Nonii auctoritate correctae sunt, II, 78 *sub dubia* pro *subducta*, V, 31 *sanguis* pro *sangven*, V, 42 *vespas* pro *nepas*, V, 58 *temeritas* pro *teneritas*.¹⁾ Postremo eadem quoque interpretantium additamenta omnes nostros codices obsident, velut V, 64 *Lucretia* et illud plurium verborum non minus manifestum, quod e V, 21 sublatum est. [IV, 63.] Itaque hoc primum apparet, omnem nostrorum codicum pervestigationem eo referri, ut sciatur, quid in illo codice archetypo fuerit (sic enim brevitatis causa appellemus), nec posse ipsam longius progredi.

Sed hos codices ipsos a duobus ex illo primo derivatis diversam et duplicem stirpem ducere, non a pluribus ex illo ortis multifariam dispertiri, ostendit perpetuus eorundem codicum in iis locis, ubi notabilis discrepantia est, consensus. Atque is consensus eiusmodi est, ut, qui diligentius paulo attendat, facile videat, in alteris prope constanter ea esse, quae e contrariorum scriptura neque casu neque mutando orta esse possint, in his autem ea, quae

¹⁾ Nonius veram scripturam dedit etiam II, 8, ubi codex ille, e quo nostri orti sunt, una littera aberrabat, in deterioribus longius processum est. Etiam IV, 60 *concinebat* in paucis codd. coniectura restitutum videtur. Contra menda erant in Nonii codice, quibus nostri carent, IV, 50 et 68; nam II, 91 et V, 3 librarii, qui Nonium descripserunt, accusari possunt. Eodem modo utrumque exemplar, et Nonii et id, e quo nostra orta sunt, depravatum fuisse, ostendere conatus sum I, 61 et V, 86.

appareat aut ex priorum scriptura errore detorta esse aut, quod ea aut non intellexeretur aut ipsa leviter depravata esset aut in hos initio neglegenter transcripta, ad difficultatem tollendam aut mendum occultandum excogitata esse. Itaque in prioribus illis, si consilium et voluntas universe spectatur, codicis archetypi scriptura fideliter conservata et propagata est, suntque illi meliores, in his ea saepissime interpolando corrupta est. Atque id tam est manifestum, ut et a Bremio animadversum sit et postea a Goerenzio et aliis duplex familia codicum commemorata. Sed iidem (tantum aberat, ut intellegerent, quale totum hoc discrimen esset et quam vim haberet ad omnem testimoniorum de singulis locis aestimationem) saepissime in apicibus deterrimorum codicum iactandis luserunt, Goerentius etiam falsa de codicibus narrando totam familiarum distinctionem plurimis locis obscuravit. Verum ita, ut dixi, esse, primum ostendunt additamenta, quae in iisdem codicibus haerent partim casu nata, partim interpolatione, in altero genere non sunt. Casum et errorem habent, quae I, 26 adduntur (*etenim* cet.) et I, 30 (*voluptatem etiam* cet.)¹⁾, interpolationem manifestam, quae I, 50 (*non potest fieri*) et II, 12 (*sed forte dicitis*), 17 (*dicere*), 19 (*qui*), 44 (*tuum est ut suggeras*), 59 (*constat* cet.), 67 (*habere testium sat est*), 92 (*quam*), multaque per ceteros libros similia. Deinde idem declarant verba in his omnibus codicibus eadem ommissa, velut, ut minora exempla ponam, II, 2 (*eum*), 5 (*nunc*), 7 (*vero*), 20 (*quasi*), ut insigniora, I, 50 (*non*), II, 26 (*qui haec — solent*, ubi in paucis ea, quae exciderant, alio loco retracta sunt), V, 17 (*vacuitatem doloris*) et 19 (*etiamsi nihil consequare*), neque minus certo indicio verborum transpositiones communes, ut V, 59 (*nihil itaque amplius pro nihil amplius itaque*) et 62 (*expressa in iis vero pro expressa*

¹⁾ In priore loco Morelius se haec „in vetere quodam manuscripto codice“ repperisse ait, quomodo de suo illo melioris generis (quem iam ter antea appellavit) numquam loquitur.

vero in iis). Postremo accedit omnis reliqua conspiratio cum in scribendi erroribus, velut (nam ex exigua particula libri secundi exempla ponam) 7 *putant*, 9 *cum non dolere* et *posset*, 10 *dissimiliter*, 11 *prope*, 14 *in animo*, 16 *dicat*, tum maxime in infinita quadam interpolatione, cum aut voces librariis consvetae pro minus tritis substituuntur (15 *pervulgata* pro *pervagata*) aut, structura orationis et vi non perspecta, verba mutantur (5 *velim definire* pro *velim definias*, 18 *docet, vult* — *distingvi* pro *docere vult*, — *distingvit*, 30 *vel dividere*, sublata figura, pro *si dividere*), interdum etiam propter veterem scribendi rationem non intellectam (17 *sit* pro *sint*, quod *omnis* singularis numeri esse putabatur), aut prava correctione occultantur menda, partim quae in codice archetypo erant et in melioribus codicibus servata sunt (6 *quasi quis* pro *quis quasi* ex *quis quaeso*, 8 *hiarent* pro *hiaretur* ex *hilaretur*, 16 *quidem* pro *idem* ex *item*), partim quae in horum codicum principe nata erant (II, 26 et 30, ubi, quam audacter omnia versa sint, cum semel erratum esset, declaravi in notis). Atque etiam eorum additamentorum, quae initio posui, alia eiusmodi sunt, ut ad ipsam codicis archetypi scripturam verba adiecta esse pateat, velut II, 12, 17 (ubi *dicere* additum est oratione male distincta), 19, alia eiusmodi, ut tum demum nasci potuerint, cum codicis archetypi scriptura, quae in melioribus superest, corrupta esset, ut cum II, 44 pro *nisi* scriptum esset *ubi si*, hinc nata est apodosis: *tuum est ut suggeras*.

Hae sunt igitur duae codicum familiae, inter quas paucos quosdam codices ita interiectos esse paulo post ostendam, ut tamen multo propius ad deteriores accedant. In meliore codicum familia sunt Palatinus primus, Erlangensis, Spirensis, [Vaticanus alter, B,] is, qui in margine Cratandri appellatur, Morelianus, Scaligeranus (in quo tamen qua sit cautione utendum, dixi § 1 D), Gronovianus patris.¹⁾ De

¹⁾ Obr. Gifanius in epistula quadam ad Scaligerum (Burmanni Syllog. Tom. II p. 307 et 308) ex huius generis codice nonnulla profert.

Eliensi secundo propter Davisii negligentiam dubium est, utrum in hoc genere an in illo mixto, de quo dicam, ponendus sit; inclino tamen in posteriorem sententiam.¹⁾ [Sed ²⁾ quam meliorem appello familiam, eius codices hoc habent commune, quod codicis archetypi scripturam non illi quidem sine librarium errore, sed sine illa interpolandi et mutandi licentia servant, quae in uno aliquo, ipso neglegenter scripto, circa prima et rudia renascentium litterarum initia ab homine sibi et aliis, ut simpliciter opinabatur, consulenti adhibita propagataque deinde per ceteros magno numero inde ortos et derivatos est; ceterum integriores illi neque eodem omnes gradu ab archetypo distare manifestum est et posse duos pluresve ex uno aliquo interiecto ortos sic communi propiore stirpe contineri, ut universi testimonii unam tantum partem conficiant. Et quoniam de iis, quos parum novimus, difficile et inutile est separatim dicere, hoc tantum ponamus, primum codicem Erlangensem et Vaticanum alterum (B) unum proximum exemplum adeo, fideliter dicam an serviliter, reddere, ut omnia illa menda, quae supra p. XX et XXI tamquam prioris propria posui, etiam alter habeat, nisi quod I, 7 *mererer* habet, 49 *illas* tenet (non *illos*); 39 et 59 huius librarii oculus non aberravit; (at aberravit ob

¹⁾ Plerumque e codice El. 2, ubi distinguitur a priore, proferuntur melioris familiae scripturae, ut in libro II § 15 *pervagata*, 26 *frangere* (sine *rem*), 55 *credebat*, 65 *hunc vos*, 69 *faceret*, al. Ex El. 1 saepe et communis interpolatio profertur (8 *hiarent*, al.) et singulari modo scripturas profert, ut II, 35, 40, 60, 94 (magisque etiam I, 7 et 50); interdum ex utroque (106, 113). Tum paucis locis meliorem scripturam Eliensi I ascribit, ut 34 *eligentem*, 77 *profitendae*, 102 *vult sine esse*, interdum Eliensi, numero non addito, ut 59 *futura*, 67 (omissam interpolationem), 84 *et tamen tantis sine non*. Puto interpolatas scripturas multas errore secundo tribui; prorsus eum e honorum genere fuisse non possum credere, quamvis negligentem Davisium iudicem; similem credo fuisse Victoriano.

²⁾ [Hanc partem immutavi ad eam formam, quae post collatum plene A et adiunctum B commodissimae erat ad rem intellegendam.]

eandem causam omittendo II, 82 et IV, 48 et V, 41, Erlangensis scriba non labente); idemque (etsi quaevis dimidia pagina docet) ostendunt lepidi errores ex brevi loco hi: II, 43 *ore retunderet pro oriretur darent*, 47 *audi pro audet*, 48 *dam pro quibusdam*, 49 *nobis hijs pro nobilis*. Sed cum his duobus eadem propinquitate coniunctum esse Spirenses, etsi non huiusmodi menda, quod non ita collatus est, tamen alia certissima indicia ostendunt, velut omissa in hoc et Erl. et B contra A in I, 71 *confirmat*, II, 16 *interiectam*, IV, 8 *duabus*, scriptum cum iisdem in II, 10 *efficientes*, 16 *putat* (non *putat dicat*), servata in III, 17 (contra A) verba *quas — perceptiones* et alia permulta.¹⁾ Itaque hi tres (ubi de Spir. taceatur aut dubitatur, duo) cum A comparati unius tantum in familia meliore testis vim obtinent, sed testis separati et locupletis. Nam non per A, sed seorsum ex archetypo hos derivatos esse, non tam mendorum inter ipsos communio demonstrat (nam ea in interiecto aliquo orta dici possit), sed codicis A propria menda, quibus hi carent, neque ita pauca neque levia omnia. Exempla ex parva parte libri II ponam certa et ex quibus de aliis dubiis iudicari possit: 15 *Platone*, 16 *putat dicat* cum deterioribus et *cogitationes* cum aliquot deteriorum, 17 *interrogantis*, 20 *appellant*, 27 *remissionem* (corrigeno natum ex *remissam*, quod B et Erl. habent) et *probam*, al. Sed certissimum argumentum habent verba in A omissa, in his servata, velut II, 108 (omittunt etiam dett. et eodem errore B), III, 17 (om. etiam deteriores), 26 (novem propter repetitionem), 29 (triginta quattuor ob eandem causam), 51 (*non esse*), 53 (*satis*), 72 (*fallamur*). Itaque, etsi A non solum singulos reliquos aetate et bonitate superat, sed etiam coniunctis non raro praestat et unus (aut etiam cum aliquo ex

¹⁾ [Ne quis Spirenses, qui nusquam nunc comparet, eundem fuisse atque B putet, obstant servata in II, 108 quinque verba, quae in B ut in A propter *gaudeat* bis positum exciderunt, ipsumque illud, quod proximam cognationem confirmat et ab A separationem, in II, 94 *protentet* (nam BE *praecentet*, A *et*), aliaque.]

minus notis) verum servavit (ut II, 20 *re neque*, 24 *gumias*, 54 *Caepioni* cum Scaligerano et Moreliano, 104 *istum*, quod altera manus eodem modo corrumpit, quo ceteri codices) aut vestigia veri (II, 26 *et necessariae*, cui altera manus recte *non* addidit), tamen aliis locis (non solum in manifestis illis cod. A mendis, quae supra posui) B et Erl. veram scripturam in A oblitteratam e codice archetypo tenuerunt (ut II, 16 solum *putat*, 27 *equidem*, 74 *existimas*, 83 *an vero*, 94 *praecentet*, ubi in A etiam vestigia veri sublata sunt), ut par fere sit auctoritas, rationum momentis ponderanda.¹⁾ Atque est etiam, ubi in re ad errandum proclivi alter ex illis duobus verum servavit, altero cum A aberrante. Nam ut Baitero codicem Erlangensem mendis aliquanto inquinatiorem quam B iudicanti de numero errorum non repugno (quamquam II, 38 *relinquunt* et 49 *ante populo* et 50 *propter populare sic* et alia similia B solius sunt), ita video II, 108 Erl. cum Spir. et margine Crat. tenere verba in B et ceteris ommissa, II, 115 in eo et deterioribus recte scriptum esse *a maioribus*, in B et A *amoribus*. Etiam II, 39 B errorem communem novo errore auxit (*omnis adiunctio*) et V, 55 tenue vestigium veri (*etalis ex etatulis*) sustulit (*etatibus*). Atque ipsa illa, quae codices deteriores inquinavit, interpolatio suscepta initio est in codice ex archetypo similiter atque A et BErl. orto; nam neque ex A neque ex codicum BErl. parente ortam illam stirpem esse, ne alia anquiram, demonstrant non paucis locis servata in his codicibus verba singula plurave, quae partim in A omittuntur (ut III, 26 et 29), partim in BErl. (ut quae supra posui et III, 23, al.). Fit igitur universae cognationis (si ex

¹⁾ [Alteram manus codicis A interdum manifestos errores correxit, ut II, 38 recte fecit *expers probabitur*, 78 revocavit *quam diu*, 92 restituit *alter* pro *aliter*, ex quo mendo, quod fuit etiam in deteriorum fonte, natum est *aliter quam*, alibi, ut fit, mendum mendo auxit, ut II, 44 cum pro *is* scriptum esset *his*, pro *habet* fecit *habent*.]

melioribus solos tres, quos certius novimus, numeramus) haec forma:

	<u>Codex Archetypus</u>	
Cod. A (I)	<u>Cod. ignotus (II)</u> B Erl. (Spir.)	<u>Cod. ignotus (III), inter-</u> <u>polando corruptus</u>
	Deteriores.	

Neque tamen certum est, codices I (A), II, III ipsos ex communi codice archetypo ortos; nam et A et codex B et Erl. parens et codex primum interpolatus aliquo interiecto ab archetypo separati esse possunt. Quoniam autem deteriorum stirps interdum cum A contra BErl. aberrantes facit, interdum cum his contra A, quaerendum videtur, prorsusne fieri nequeat, ut in ea etiam aliquid aliquando delitescat e codice archetypo servatum, quod et in A et in BErl. oblitteratum sit. Hoc quam difficulter credi possit, ubi A et BErl. in iisdem litterarum apicibus consentiant, apparet; debetque, si quid tale putandum est, eiusmodi esse, quod neque ex illorum scriptura detortum nec in aperto et levi archetypi mendo felici coniectura repertum esse possit; neque enim illi correctores, qui codices interpolaverunt, nusquam ne in facillimis quidem et minimis verum attigerunt. Possunt coniectura facillima reperta esse haec: II, 24 *non negat* (ABErl. *negat*), 27 *rem ipsam* (BErl. *remissam*, A *remissionem*), 43 *expoliarent* (*expoliaverunt*, *spoliaverunt*), 118 *fugiendos* (*figiendos*, *figendo*), III, 3 *sermone quicquam* (*sermone nec quicquam*), 44 *potestne* (*postne*), IV, 9 *sine sensibus* (*sensibus*), non potuerunt facile, si verbi causa *potestne* in archetypo fuisset, duo seorsum scribae *postne* facere; in II, 27 et 118 etiam ipse dissensus A et BErl. ostendit archetypum mendum et infelix eius corrigendi conatus altero loco in A, altero in BErl. Multo minus apertam originem habet in III, 10 additum *sicut scis*, quodque in II, 104 delere ausus non sum, *revertamur*. Sed ut, ubi et A et BErl. utimur, perexigua, si ulla, haec est dubitatio, ita, ubi (inde a IV, 16) A deficit, uno et altero loco, deficiente etiam meliorum minus plene collatorum testimonio, marginis Crat. et Moreliani, non sine

causa ambigi potest, sitne aliquid in BErl. casu erratum an, cum esset iam in archetypo mendum, in deteriorum principe coniectura emendatum (ut V, 32 *angantur* pro *agant ad*, 34 *secundae* pro *sedere*, 57 *ab* pro *sub*, 58 *minora* pro *minoribus*); omissa quidem hic illic in BErl. verba, quo genere non raro peccant, apparet in deterioribus ex archetypo servata, ut V, 31 *satis*, 37 *momenta*, maximeque 57 *nec voluptatem requirentes* et 66 *id a communitate et usu*, quod Baiterus inclusit; nam IV, 31 *non* coniectura supplere facile erat. In hoc enim genere mendorum, in iis praesertim, quae propter idem aut simile verbum bis positum omittuntur, maxime casus et error regnat, non fides aut mutandi voluntas. De ordine verborum dicam infra.

Quamdiu ex meliore familia unus codex Erlangensis plene collatus erat, ad eius testimonium stabiliendum utiliter interdum adhibebantur, nunc omni fere utilitate carent] illi, quos mixtos dixi. Hi e meliore familia prima origine ducti deteriorum interpolationem susceperunt. Nam quod alterum in mentem venire poterat, codices e deteriore familia ortos meliorum comparatione emendatos esse, id tollitur, quod ea, quae habent e melioris generis scripturis, minime eiusmodi sunt, quae quis, intellecta meliorum codicum praestantia, praecipue inde sumere voluisse videri possit, tum, quod hi codices ita comparati sunt, ut non solum eiusmodi recta voluntas non appareat, sed singularis quaedam licentia. Facillime autem, cum vulgo circumferrentur codices interpolati et hominum iudicio tamquam emendatiores probarentur, illa aetate, qua incensa in Italia exardescebant studia veterum scriptorum, aliquis, qui in antiquius et integrius exemplar incidere, id interpolatorum comparatione corrumpere potuit.

In hoc codicum genere habendus est primum ille, quo Victorius usus est. Is omittit, quae in deterioribus adduntur I, 30 et 63 et II, 12 (*sed forte dicitis*), multisque locis cum bonis consentit, velut I, 4 *e Graecis*, 20 *pedalis*, interdum leviter aberrat (I, 16 *nisi tu*). Verum ex eodem Vic-

torius nihil annotavit ad scripturam vulgarem pravam et interpolatam I, 26, 39, 46, 47, 50, II, 26, 30, 61, 67. Deinde hic codex, praeterquam quod neglegentissime scriptus est et verborum omissionibus incredibiliter foedatus (ut I, 55 *omittitur et laetitiam*, tum *molestiam*, deinde *accessio*), singularem et propriam habet interpolationem, quam Victorius in sua editione non ita raro secutus est. Nam hinc nata sunt illa, quorum adhuc fons ignoratus est, I, 6 *omnes res pro has res*, 17 *in quo nihil aequae nec summum*, 31 *cum a philosophis tamen pluribus* (ex *quam pl. pro compl.*), alia, quorum ego pleraque in notis commemoranda non putavi, hic fontem indicare non inutile visum est.

Longe diversi a Victoriano sunt in eodem genere codices plane gemelli E et ξ Oxonienses. Hi etiam constantius vulgarium codicum menda et interpolationem receperunt (velut etiam I, 30 et 63), ut plerumque in huiusmodi scripturis omnes Oxonienses nominandi fuerint. Tum autem vix credibile est, quot locis hi duo codices a ceteris omnibus discedentes verba habeant aut mendis depravata aut levis-
simis coniecturis mutata, saepe quidem ita, vix ut ulla causa, quae ad mutandum impulerit, excogitari queat aut, quid corrector spectaverit, intellegi.¹⁾ Sed tamen inter has sordes aliquotiens emicat vera scriptura ex meliore origine servata, ubi ceteri deteriores meudum et interpolationem habent, velut in libro II, 12 (non videntur habere: *sed forte dicitis*), 18 *docere vult*, 20 *re neque*, 38 *ulla*, 59 (interpolatione carent), 61 *ubi ut*, 72 *mihi pro modo*, 73 *si pudor*, 75 *cum*

¹⁾ Lib. I, 2 eo libro) Eξ in eo libro et collaudata est) est atque coll. eo meliore) eo meliori loco 3. defatigatio) fat. 5. vell om. Licinius — scriptorem) om. rudem enim) rudem omnino) omnino eam 6. nostrum iudicium) nomen iudicium multos) et multos 7. poëtae) om. fieri) ante fieri tum) om. 9. sale) sale digna Scaevola) om. Graece — maluisti) om. 10. etiam) om. 12. omnem quaestionem) communem quaestionem. Tantum memorabilia excerpsi et quae ex utroque codice notata erant.

dicitis, 77 *vide igitur*, 99 *vincunturque*, 111 *pecudis* et fortasse uno et altero loco praeterea. Interdum tantum ex uno verum notatur, ut I, 10 ex E *quantumcumque possum*, II, 60 ex *existimas*.

De Gudiano 2 difficile est dicere, quod Goerenzius raro eum distincte commemorat ac fere tantum, ubi singularia menda habet, alibi autem non raro tres suos potiores vel optimos codices appellat, ut II, 67 (in omissione verborum *habere testium sat est*, in quo certum est indicium melioris originis), nec tamen usquam dicit, quem tertium adiungat Erlangensi et Spirensi.¹⁾ Sed tamen aliquid hunc codicem e meliore familia habuisse, patet pluribus locis, maxime quod I, 30 verba in deterioribus errore orta in hoc et Erl. atque Spir. desunt (etsi Goerenzius contrarium dicit), sed etiam I, 4 (*quod si*, id est, *quod se*), 29 (*extremum et ultimum*), II, 7 (*puto*), 9 (*restringa enim*), 12 (*futurus sit philosophus*), atque etiam in mendis, ut I, 61 (*illi negant enim cum Erl.*), 66 (*confirmetur cum eodem*). Verum eum vix multo meliorem fuisse quam Eξ, apparet et Goerenzii testimoniis (de interpolatione in I, 26, 46, 50, II, 12, 44, al.) et Bremii (II, 41 *gaudendo — non dolendo*, 45 *societati*, 58 *intellegis*, al.). Quod Goerenzius interdum (II, 77) ex hoc solo deteriorum scripturam profert, quasi Gud. 1 et Bas. cum melioribus faciant, confusionem puto. Sed cur de ea causa loquor, in qua Goerenzio teste standum sit?

Praestantiorum in hoc genere fuisse puto Palatinum 6, e quo in quinto maxime libro saepius annotantur scripturae bonorum propriae, quas ad V, 89 collegi. In prioribus libris, ubi aderat Pal. 1, fortasse Gruterus hunc contempserat.²⁾

¹⁾ Video esse, qui tertium faciunt Gud. 1 aut Basileensem. Fortasse ne eundem quidem semper significat.

²⁾ [Quoniam in cod. B primo folio annotatum est, hunc esse Gruteri Palatinum secundum, quod recte Baiterus falsum esse dixit, venit mihi in mentem de Pal. 6 aliquid suspicari. Sed saepissime hunc

In ceteris deterioribus codicibus praeter communem illam interpolationis et mendorum labem, qua genus agnoscitur tamquam nota, facile intellegitur, et errores novos varie accessisse et corrigendi conatum interdum longius progressum esse, aliter in aliis; velut I, 46, cum excidisset *monstret*, partim oratio manca relicta est, partim additum *doceat*; in II, 26 in plerisque omissa sunt, quae pauci ex margine principis servarunt.¹⁾ Sunt in his vestigia quaedam propioris cognationis certorum huius familiae codicum; velut apparet, editionem Romanam multo saepius cum codice nostro Parisiensi consentire quam Coloniensem; sed neque magni momenti haec sunt ad ponderandum familiae testimonium (nam fere paucorum a generis consensu aberrationes facile iudicantur) neque explicari distincte possunt in tanta eorum, qui hos codices adhibuerunt, negligentia. Itaque tantum pono, inter minime malos esse Pall. 3 et 4 et Parisiensem nostrum (in quo II, 61 pro *ubi ut* est *nisi ut*, in ceteris deterioribus *nam ut*), mutando et corrigendi conatu post Eξ longe progredi Eliensem 1 (velut IV, 6 *de animis hominum spinas vellentium*), tum vero, de quo certius constat, Leidensem nostrum, ad quem similitudine accedit Pal. 2 (cfr. ad V, 72). Hoc genus quale sit, intellegi potest e III, 7, ubi cum ex *heluari libris* in codicibus deterioribus ortum esset *heluo libri*, in Leid. (et ed. prima) factum est *heluo librorum*, et e V, 39, ubi cum e *putare* ortum esset *aptare* et *amputare* et *amputareque*, propter *que* in Leid. scriptum est *reservare amputareque*. Verum hae omnes coniecturae ut nullam prorsus auctoritatem habent, ita interdum [ut supra dixi] parva menda nec longe a vero aberrantia in re et sententia aperta recte tollunt, a doctiore et prudentiore homine profectae

Gruterus omnes Palatinos aut ceteros quinque appellans aut similiter deterioribus adiungit. Miramur igitur, quis hic fuerit Palatinus Grutero ignotus.]

¹⁾ Memorabilis dissensus est in II, 68, ubi Palatini quinque et Parisienses tres(?) dicuntur habere *Themistio* (ut Eξ), nostri et Oxx. tres habent *Themistocle*.

quam illae in Eξ mirae mutationes. Itaque quaedam ex iis iam diu locum in oratione tenent et aut ignoratur, coniectura scripturam ortam esse, aut editor aliquis eius auctor putatur, velut I, 6 *Theophrastus* (ita Leid., Pal. 3), 34 *corruptisti* (Leid., edidit ita iam Ascensius 1511), 43 *durissimis* (Leid., Pal. 2), 64 *cognosci et percipi* (Leid., P, [A²]), II, 12 *de pagis* (El. 1), IV, 13 *de plurimis* (L, Eξ), 15 *naturae* (L, Pal. 2), aliae a me ascitae sunt, ut III, 45 *corporearum* (El. 1; nam de tribus Parr. fallitur Davisius; unum fortasse recte appellare poterat), 48 *habitum* (L, Pal. 2), aut reductae, ut *omnium naturarum* IV, 33 (L, Sigonii liber, Eξ).

§ 4. Commemorandae sunt deinceps, exceptis duabus primis editionibus et perspicuis Cratandri et Morelii testimoniis, reliquae ante Gruterum editiones codicesque, qui in iis curandis adhibiti putantur. Sed dicam de his breviter, quod in omni hac investigatione nullam fere aliam utilitatem esse iudico, nisi quae in superstitione quadam expugnanda perspiciatur. Nescio enim quomodo malunt quidam de veterum editorum codicibus suspicari quam eos, quos licet, perscrutari. Primae editiones librorum de finibus, ut fere ceterorum Ciceronis scriptorum, ductae sunt e vulgaribus codicibus; eae deinde sic repetitae, ut nonnihil mutaretur ex aliis eiusdem generis codicibus, quaedam coniectura. Sic extiterunt cognationes quaedam editionum, duae tamen latissime patentes; nam ex editione Coloniensi permulta (per Venetas antiquas et Aldinam, ut mox dicam) ad Manutium et Lambinum manasse, declaravi in commentariis, cum Romana coniunctas esse Marsi et Victorii editiones, Cratandri quoque, etsi in ea (et, opinor, aliis et fortasse iam ante) mixta interpolatio est; velut I, 61 e prima aut ex similibus codicibus habet *appetendo omnia petulantes*. Raro apparet codicis mixti generis usus, plane boni vix usquam, nisi in Cratandrina, neque ulla editio praeter Victorianam in duobus primis libris cum aliqua constantia ad eiusmodi codicem exacta est; quodque caput est, nulla his editionibus scriptura continetur, cuius non nunc et certio-

auctoritatem et formam interdum plenioram in notis codicibus habeamus.¹⁾

Post primas editiones commemoratur cum laude ab Orellio Veneta a. 1480 „per Philippum Condam Petri“, quam cum melioribus plerumque facere ait. Verum ea, per edit. Ven. a. 1471 e Coloniensi ducta, nullo loco ex iis, in quibus diiunctio utriusque familiae perspicitur, meliorem partem sequitur, sed, ubi aliquot codices deteriores cum melioribus conspirantes declarant, in deterioris familiae principe eandem scripturam fuisse ac postea demum corruptam esse, ibi saepe his adiungitur, a Coloniensi et Romana discedens, ut I, 25 (*neque vero tu*). Paucissimi loci, qui melioris codicis usum ostendere videntur, eiusmodi sunt, ut ab homine docto illa aetate coniectura emendari potuisse facile credas, ut I, 51 et 69. Et emendavit editor coniectura, quod legitur in omnibus codicibus II, 73 *nullam* et II, 47 in omnibus praeter El. (2) *a dignitate*. [In eo loco, qui maxime in hac editione notabilis videbatur, V, 19, non attenderam idem iam in ed. Coloniensi esse.]

Multum iactata est commemorando nuper Petri Marsi editio, quam cum Goerenzius magnis laudibus extulisset nec tamen descripsisset, etiam dubitatum est, an nulla esset omnino. Postea eam descripsit F. G. G. Hertelius, gymnasii Zviccaviensis rector, (*De codicibus et editionibus vetustis biblioth. Zviccav. partic. IV, Zvicc. 1836*) et cum Orellii exemplo contulit.²⁾ Ex hoc libello, quamquam multis in-

¹⁾ Erant mihi ad manum haec scribenti praeter duas illas primas editiones [Venetae 1471 et 1494 et 1496,] Aldina a. 1523 (Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri), Cratandrina (Basileae mense Martio 1528), Ascensiana (Lut. Paris. a. d. V Cal. Novembr. 1528, [nunc etiam prior a. 1511]), R. Stephani (ibid. 1538), C. Stephani (ibid. 1554), Manutiana a. 1555 (Venet.), [nunc etiam a. 1560], Lambiniana prima (1565) et repetita (1577). De Iuntina et Victoriana credidi Orellii collationi.

²⁾ Commentariis P. Marsi subscribitur: „P. Marsus recognoscebat et enarrabat An. Sal. MDXI“ (quo tempore is grandaeus fuit). Sed

diciis mihi certum est, non summa diligentia comparationem institutam esse, primum apparet, Goerenzium multa Marso tribuisse, quae in ea editione non sint ¹⁾; deinde confectum est, Marsi operam omnem pendere a codicibus deterioris generis non pessimis et a coniectura. Itaque et I, 26 et 30 et ceteris omnibus locis, in quibus codicum familiae discrepant, interpolatam scripturam et deteriorem habet, praeter perpauca, in quibus aut Hertelii silentio parum confidi posse videtur aut coniectura versata esse.²⁾ Nec, in quo ante omnia bono codice, si habuisset, usus esset, lacunas deteriorum explevit, ut I, 46. Coniectura neque ea perquam timida apparet II, 35, IV, 6 aliisque locis.

[In edit. Ascensii prima a. 1511, quae Coloniensis sectae est, permulta minora menda recte emendata sunt, ut III, 28 *ex quo*, IV, 52 *quae te, ut ais*, 53 *congruunt*, illud etiam in II, 37 maius *aequam*. In edit. 1528, quae sectam a Romana ortam sequitur, haec fere sublata sunt.]

Petrus Victorius (nam de Aldo, qui prior est, dicam, cum ad P. Manutium venero) exemplum ex Romana editione ductum exegit diligenter partim ad eum codicem,

ii commentarii, curante post mortem Ascanio Marso, fratris filio, Venetiis 1527 adiuncti sunt editioni ipsorum Ciceronis librorum, cui praefuit, certe praefatus est Lucas quidam Panetius, qui se collatis exemplaribus manuscriptis libros recognovisse testatur, ut iam apparere videatur, Marsi falso contextum appellari.

- ¹⁾ I, 1 Gzius Marso tribuit, quod Davisio placuerat, *non id tum*, Hertelius enotat *non id tantum*, 9 Gzius narrat, Marsum habere *locum — risit*, Hertelius tacet, 26 ille Marsum scribit non habere verba errore interposita, hic ea ad Orellii exemplum annotavit, al.
- ²⁾ Falso (ut de I, 26) narrat Gzius Marsum III, 15 omittere *minusve*; ne Gzii quidem errore, sed Orellii in V, 95 putatur habere *summe laudabiles*. Si Hertelio credi potest, II, 12 omittit verba subditicia et II, 20 habet recte *facit re neque* et paulo post *id est quasi maxime*. III, 8 *Caepioni*, si ita est scriptum, poterat iam Marso, non indocto homini, in mentem venire. Quod I, 51 Marsi editio habet: *quod si qui satis hominum sibi contra conscientiam*, nihil est novae correctionis; iam ab aliis deletum erat *cum ante hominum*.

quem paulo ante descripsi, partim (extra librum I et II) ad alios deterioris familiae codices; itaque hanc nunc post deteriores aliquot codices accurate collatos unam utilitatem habet, ut, si quis propter Gruteri, Davisii, Goerenzii silentium de consensu deteriorum aut omnium codicum dubitet, is etiam Victorium testem habeat, ut I, 64 (*cognosci et recipi*).¹⁾)

Paulus Manutius omnibus partibus pauciora in his libris novavit quam putatur. Nihil enim nisi expolivit Aldi patris editionem. Atque ea in summa re quasi superstructa est primae editionis fundamento. Itaque plurimae scripturae, quae et alibi et ab Orellio Manutio ascribuntur, ex editione prima retentae sunt; nec sane poterant a Manutio consilio illatae videri. Sed apud Aldum praeterea atque aliqua ex parte apud eos, qui inter primam editionem et Aldum interiecti sunt, quorum ego editiones non perscrutatus sum, multa alia partim casu, partim coniectura, quaedam etiam e codicibus inferioris familiae mutata sunt. Itaque (ut exempla ex parva parte libri primi non curiose colligam) Aldi (aut superioris alicuius), non Pauli haec sunt, cui tribuuntur: 3 *solum nobis*, 11 *magna pro summa*, 16 *Hic nisi mihi* (mixta vera scriptura, quae erat etiam in paucis deterioribus libris, cum *prava*), 17 *in quo nec*, 21 *secutus est* aliaque multa. (Supplementum lacunae in I, 22 non est in Aldi exemplo.) Sunt pauci quidam loci, qui melioris codicis adhibiti suspicionem facere videantur. Verum eadem coniectura fere in parvis et manifestis rebus verum restituit, quae I, 10 *satis* ante *mirari* et V, 38 *non* ante *multo secus* addidit contra omnes codices, [quaeque IV, 59 *opteri* in-

¹⁾ Victorius II, 73 habet voces *si pudor* et 75 *cum dicitis*, nec tamen eas in margine editionis Ascensianae annotavit; eas potuit aut ex illo codice postea in editione paranda diligentius inspecto sumere (et sunt in E_g) aut e Cratandri editione. In Castigationibus Victorius duos omnino horum librorum locos attingit, IV, 10, ubi Aldi interpolationem improbat, et V, 70, ubi defendit codicum testimonio *dissensio*, et tamen, quo pertineat, negat se scire.

venit, V, 70 *concupivisset*]. Eademque ratio est eius loci, qui contrariam habet speciem, V, 17. Nam restituendum esse aut *non dolere* aut (quod facilius occurrebat, praecedente *dolorem*) *vacuitatem doloris* neminem fallere poterat; sed si e codice haec Aldus sumpsisset, posuisset et eo loco et eo ordine, quo in bonis codicibus sunt.¹⁾ Coniecturae libertatem arguit substitutum IV, 10 *Stoici omnino* pro *hi omnino*. [III tamen 44 verba omissa tam feliciter restitui sine codicis ope vix potuerunt.]

Hanc Aldi editionem P. Manutius, ut dixi, expolivit, nec habuit perpetuo ad manum codices, quos consuleret. Itaque cum I, 41, ubi ed. prima habet *nulla terra*, in editione Aldina scriptum esset *nulla praeterita* pro *praeterea*, quod omnes codices habent, excepto ξ, P. Manutius in primis editionibus (etiam a. 1555) mendum reliquit, in postrema (a. 1560) correxit ascripsitque: „Moneo lectorem, ex ingenio repositum a me *praeterea* pro *praeterita*, quod erat in omnibus libris, quos quidem ego viderim.“ Unum commemorat in prioribus editionibus codicem a se inspectum Bernardini Maffei et ex eo praeter paucas communes deteriorum codicum scripturas profert quasdam recentissima correctione ortas, ut in II, 23: *cui nil dempserit vis et sacculos abstulerit*, II, 66 *crimen*. Semel, II, 71, Ioannem Scalam scribit testari, se in vetere libro vidisse eam scripturam, quae in melioribus libris est, eamque restituit (*non metuet* et reliqua sine interpolatione), ipsum se eam vidisse negat. In postrema editione commemorat libros Philippi Tertii, Sigonii, Latini Latinii, hoc est sine dubio, quae apud illos viderat tamquam e codicibus annotata. Itaque et melioris familiae scripturas quasdam inde profert (ut III, 71, IV, 32, 56, V, 74) et bonas coniecturas, quae in aliis

¹⁾ P. Manutius ad h. l. sic: „Ut omittam, quod libros superioris nostrae editionis (Aldinam patris dicit) tamen credendum est ad propositum aliquod manuscriptum exemplar fuisse impressos.“ Decepit virum egregium sententia saltem de his verbis.

recentissimis codicibus sunt (ut IV, 33), et pravas scripturas (IV, 50 et 59, V, 70 et 72). Sed interdum etiam antiquum librum nullo addito nomine appellat et ex eo pauca quaedam sumit, quae in melioribus sunt, sed inventu facillima, ut II, 20 (*neque, nec tamen re*), 49 (*per se rectum*), IV, 39 (*utrumque*), alia deteriora (II, 67 *nec vero pro nunc vero*). A Cratandro quoque quaedam sumpsit, etsi, margo eius quantum boni contineret, nullo simili certoque accedente teste, intellegere non potuit. Relinquantur, quae vir egregius ipse praeter ea, quorum in scholiis rationem reddit, tacite correxit in rebus parvis et manifestis, ut I, 9 *cohorsque*. [Manutios cum dico, Aldum patrem et Paulum significo; Manutius (Man.) semper Paulus intellegitur.]

Ab Orellio commemoratur non raro in his libris codex Caroli Stephani, quem ego nullum esse facile vincam. In editione enim C. Stephani extremo volumine extant „Variae Lectiones“, quas index editionis his verbis promittit: „Variae Lectiones ex permultis antiquissimis ac manuscriptis exemplaribus, quibus prior lectio (si quid ab ea immutatum est) nonnullaeque doctorum coniecturae adiunctae sunt.“ Eae hac forma perscriptae sunt: „*id non totum*) vetus, *id non tam*.“ Hoc *vetus*, quod Orellius codicis scripturam intellexit (quemadmodum ego a. 1828 in Asconianis Hotomani erravi), est ipsa illa prior lectio, codicum autem scripturae, si quae essent, priore loco quaerendae essent. Verum ibi nihil fere reperietur nisi Manutii scripturae, ad quas C. Stephanus rediit, cum Robertus Victorium fere secutus esset. Itaque *vetus* illud plerumque Victorianum est; sed nescio cur, credo tamen, ut appareat huius editionis praestantia, vetera ponuntur Aldina quaedam, quae neque Victorius neque Rob. Stephanus habent, in quo genere unum e multis est memorabile illud V, 19 *etiamsi non adipiscare*. Ut autem tota C. Stephani editio parum perite aut diligenter instituta est, non raro prior et nova scriptura permutata est annotando aliisque modis erratum; relicta quoque in contextu sunt, quae expellere et inter vetera annotare consilium fuerat. In tota re

ne qua dubitatio relinquatur, speciminis loco in margine inferiore pono omnia, quae in septem primis capitibus libri primi apud C. Stephanum notata sunt.¹⁾

Dionysium Lambinum ipsum tantum deterioris familiae codicibus usum esse, perspicuum est. Nam et ad I, 24 scribit, in omnibus libris manuscriptis, quibus quidem usus sit, esse partim *fidei*, partim *fideri* pro *videri*, et ad II, 12, libros omnes veteres, quos quidem viderit, habere verba: *sed forte dicitis*; in delendis iis sequitur Victorii auctoritatem; deinde addit „alios“ habere *infame et suspectum*, se id nusquam repperisse. Significat, opinor, marginem Cratandri (etsi ibi recte scribitur *infame, suspectum*), e quo itidem sumptum est, quod in II, 10 „libros aliquot veteres“ dicit habere *dissimileis efficientibus voluptates*. (Morelius de utroque loco tacet.) Postremo ad III, 1 affirmat, in omnibus suis libris scriptum esse: *alia magis, alia minus*. Et tamen hic illic aliquid compererat ab iis, qui meliores codices inspexerant; ut III, 7 e Cuiaciano profert *heluaris libri*, IV, 32 *nulla restituens* ascribit: „Sic erat emendatus hic locus in libro Leoquerni.“²⁾ V, 89 in praeclara emendatione (*docti et indocti*) se codices manuscriptos secutum profitetur; in altera editione nominatim Cuiacianum et Huraltinum appellat. [Add. V, 50.] De nonnullis perquam ambigue scribit, ut I, 68 in prima editione ait „libros veteres fere omnes“ habere *sententia*, in altera „libros aliquot“. (*Sententia* scribi voluerat Morelius, quem Lambinus etiam ad II, 26 significare videtur, nonnullos legere *neglegenter* scribens.) Pauca huius

¹⁾ § 1 *id non totum* vetus *id non tam* (Vict. *non id tam*). 2. *non posse* v. *non possem* (Vict.). 5. *a quibus tam* v. *a quibus tantum* (Vict.). 6. *ab illis has res* v. *ab illis omnes res* (Vict.). 11 *quis — putet* v. *quid putem* (Vict.). 20 *suo nutu* v. *suo motu* (Ald., non R. Stephanus). 23 *confirmat autem illud* v. *confirmat illud* (hoc C. Stephanus secutus est in contextu; in annotatione inversus ordo est; nam vetus, id est Victorii et R. Stephani, erat *conf. autem illud*). 23 *patrioque* v. *patrio quoque* (Aldus et superiores).

²⁾ In altera editione scribitur: „in libro Cl. Puteani“.

generis accesserunt in editione altera, ut V, 39 *putare* (e mg. Crat.). Sed Lambinus in his libris, ut in aliis, codicum testimonia quaedam finxit; neque enim ubique ipsum iis, quae in Memmii aliorumque amicorum librorum marginibus annotata repperisset, deceptum dicere licet. Huiusmodi est, quod ad I, 19 scribit, in melioribus libris non comparere verba *quam fieri sine causa quidquam dicere*, quae Manutius incaute damnauerat, codices omnes recte habent, et quod ad I, 41, libros veteres habere: *quae sua sede naturam aut sollicitare*. (Cfr. ad I, 3 de *denique*, II, 42.) Ne in margine quidem repetitae editionis talia prorsus desunt (quamquam ibi alii turbare potuerunt), ut II, 11 e vetere codice annotatur *indoloria*, quod in nullo codice Ciceroniano fuisse certissimum est. (Quod in hoc margine permultis vocibus antiquo more scriptis additur haec nota: *sic o. v. c.*, id pertinere ad communem antiquiorum codicum morem, non ad certos codices in his libris adhibitos, satis liquet, quoniam nihil aliud illi o. v. c. praebent.)

Fulvii Ursini codices, qui, ubicumque haeserat, praesto erant, commemorare nihil attinet; iam I, 1 pro *tantum studium* habet *tam multum*, quod sequitur *tanque multam*; etsi hic quoque, ut alibi, interdum veros codices inspexisse videtur, fortasse etiam bonos, ut IV, 23. Eadem, qua Ursinus, fide Lallemandus aliquotiens codices regios appellat; velut cum Ursinus I, 17 in suo codice *citimum* esse finxisset, hic idem in duobus repperit.

Non fraudem, sed errorem permagnum et permirum habent codices plus quam triginta Lagomarsiniani a F. A. Wolfio commemorati in censura editionis Rathianae in ephemeridibus Ienens. a. 1805 n. 63.¹⁾ Ex his codicibus in libr. I, 10 viginti dicuntur habere *satis*, quod in nullo neque optimo neque pessimo codice quisquam praeterea repperit; sedecim I, 70 *qui dicant*; postremo II, 36 *cum* particula,

¹⁾ Vid. Wolfii Analectorum litter. vol. I p. 277.

quam Lambinus et Th. Bentleius addiderant, in duobus horum codicum erat, id est, in editionibus Lambini et Bentleii. Nam Lagomarsinius magis mirabili quam utili diligentia magnum numerum editorum exemplorum contulerat scripturasque excerpserat¹⁾; eae pro codicum scripturis omnes habitae sunt; itaque quae coniectura ab omnibus fere recepta erat, viginti hic testes habebat, quae a duobus, duos.

§ 5. Ex copia variae scripturae ab aliis annotatae ego primum, quidquid erat e melioris familiae codicibus prolatum, id omne in meis commentariis posui, ne quid detraheretur, quod cum Erlangensi coniunctum universae familiae testimonium ostenderet. Deteriores codices fere viginti, quibus, ut ceteros omittam, Gruterus, Davisius, Oxonienses, Goerenzius usi sunt, si mihi ipsi omnes oblati essent, elegeris idoneos aliquot, quorum varietatem plene ponerem ad familiae testimonium ubique abunde declarandum; ceteros eiusdem rei causa interdum appellassem. Si enim codicum familiae descriptae et singularum testes idonei adhibiti sunt, valde errant, qui utili accessione augeri philologiae copias putant, cum ad scripturas decem codicum recentium et interpolatorum undecimi in iisdem mendis nomen atque unum et alterum novum mendum adiectum sit. Nunc ita comparata erat res, ut, si omnia, quae notata essent, posuissem, tamen nullius Gruteri, Davisii, Goerenzii codicis plenam collationem habituri fuerimus, ac ne Oxoniensium quidem. Deinde cum infinitis scripturis dubitandi notam apposuissem, aequae multae dubiae et prave enotatae relictas essent. Itaque hanc tenui rationem, ut, ubi ex meis deterioris familiae aut consensus aut dissensus intellegi satis non posset, ibi aliorum testimonia ascriberem, aut ubi inutilium coniecturarum et dubitationis non necessariae causas monstrari similemque in posterum lusum excludi utile vide-

¹⁾ Cfr. quae Peyron exposuit ad orat. pro Milone p. 237.

retur. Ac fui fortasse in hoc genere copiosior, quam debui, certe quam cupiebam, dum totum hunc locum a confusione et vanitate purgare conor. In varietate scripturae etiam Orellianae editionis discrepantiam facilioris comparationis causa annotavi, ut, ubi nihil in notis distinctius exponeretur, eius nomine editionum aut omnium aut certe plurimarum consensus significaretur. Itaque sicubi positum sic est: LPMCROR., in notis autem in parvis rebus aut nihil aut huiusmodi aliquid: *Sic etiam Spir.*, ibi scriptura a me primum ex Erl. solo aut ex eo et Spirensi, quive alius in nota appellatur, mutata est. [Nunc etiam A et B intelleguntur.]

Usum codicum, ut par erat, omnem rettuli ad unius codicis archetypi scripturam inveniendam, cum nostrorum codicum testimonia in ea re exquirenda ponderarem ea lege, quam eorum origo cognatioque dabat. Constituta enim codicis archetypi scriptura, aut verum tenebatur aut, si cum hac auctoritate ratio pugnabat, id, a quo omnis veri investigatio proficisci deberet. Quidquid autem apparebat in codice archetypo non fuisse, id aut mendi loco habendum esse, perspicuum erat, aut coniecturae postea tentatae, quae poterat interdum esse consideratione digna. Atque utinam hoc aliquando philologi omnes intellegant et teneant. Liberabimur enim et perversa quorundam superstitione, a quibus unus codex describendo multiplicatus, quamvis multis locis eum etiam inscii deserere cogantur, tamen alibi certissimis rationibus praefertur, et inani illo coniecturarum lusu ex apicibus unius alteriusve codicis ductarum sine ulla ceterorum aut cognationis cura. Itaque in codicum dissensu utriusque familiae comparationem feci, non singulorum codicum; [quamquam A et BErl. non eiusdemmodi vinculo coniunguntur, quo omnes deteriores]. Quotiens autem eiusdem familiae codices dissentiebant, exquisivi, quodnam in hac discrepantia significaretur familiae testimonium, quoniam id saepe postea, in deteriore maxime familia, novis erroribus corruptum erat. Id inveniri poterat partim alterius familiae

comparatione,¹⁾ partim per se sine illa comparatione apparebat, cum quaeretur, quam scripturam ex qua ortam esse probabile esset aut qui librarii liberrime et neglegentissime scribere solerent.

Si quando tamen dubium manebat, quid in inferioris familiae primo codice fuisset, ea dubitatio raro molesta erat, quod utraque scriptura vel omnes aperte depravatae erant ex ea, quam meliores codices tenebant. Fere enim ubique in utriusque familiae contentione melior etiam certis argumentis ex ipsa scriptura ductis adiuvabatur, quod ea aut orationi Latinae aut Ciceronis consuetudini diligentius exactae aut sententiae et rei satisfaciebatur aut denique quod intellegebatur, ex ea ceteras scripturas oriri potuisse, non ipsam ex ceteris; in quo genere maxime eminebant eae meliorum codicum scripturae, quae leviter corruptae veram sententiam et antiquam orationem involucris quibusdam tectam continebant, cum in deterioribus omnia veri vestigia interpolando sublata et obiecta essent. Raro nisi in parvis rebus, velut in ordine verborum, cum prope par causa esset, sola auctoritas melioris familiae in multis aliis locis spectata sequenda erat. Sed in exquirendo familiae melioris testimonio molestum fuit interdum, quod unum habebam, qui ubique certus praesto esset, codicem Erlangensem, ex quo nunc primum plurimae maximeque insignes scripturae prodibant. Itaque elaboravi, ut cum eius auctoritate, quidquid esset in aliis bonis mixtisve codicibus adiumenti, coniungerem, obscura saepe vestigia persequens; deinde, cum infinitis locis declaratum esset, et quanta esset bonorum codicum conspiratio, quod illa licentia, quae dissensum gignit, hos non attigisset, et quam non codicis Erlangensis scriptor suam sectam volens et prudens relinqueret, hunc unum pro familia accepi testem, ipsius scripturae bonitate et cum altera familia contentione iudicium confirmante. Et tamen necessario interdum dubitavi, cum prae-

¹⁾ Interdum tamen in parvis rebus eadem aberrandi opportunitas in utriusque familiae aliquot codicibus idem mendum genuit, quod in codice archetypo non fuisset, ut IV, 37 *intersit pro iter sit*.

sertim ipse codex tam neglegenter et imperite scriptus esset, quam supra dixi, familiaene testimonium an unius librarii error oblatu esset, velut II, 87. [Nunc et de illo loco et reliquae dubitationis magnam partem codices A et B sustulerunt Sed tamen, quod BErl. tam propinquae originis sunt, et in quarto quintoque libro vehementer exoptari potest aliquis, qui Palatini primi locum expleat, et in prioribus, qui quasi medius sit inter hunc et BErl.] In verborum quidem ordine codicem Erlangensem secutus sum, quotiens aut paulum aliquid aliunde, velut e Victorii codice, accedebat auctoritatis (quod ita saepe fit, ut hic quoque universae familiae consensus perluceat), aut Ciceronis consuetudo sententiaeque forma favebat, postremo ubi causa aliqua mutati in altera familia ordinis intellegi poterat; ut ubique eius unius codicis auctoritatem ceterorum consensui, id est, eorum principi praeferrem, impetrare a me non potui, cum suspicio non abesset, quin in hoc genere eius librarii, qui eum scripsit, neglegentia late patuisset (cfr. I, 68: *Epicurus eadem his paene verbis inquit* et II, 28: *deinde enim ubi erubuit vis est permagna* et 39: *virtutis omnino adiunctio a philosophia*). Malui igitur ea, quae certa non erant aut saltem perquam probabilia, annotata in varietate scripturae expectare, dum alter eiusdem generis codex accederet; nec dubito, quin is plura etiam ex iis confirmaturus sit, quae minus exquisita videntur quam in vulgaribus (ut II, 43 *iam pridem desitum est contra eos disputari*). Interea habeant haec, in quibus se iacent, qui multo se mihi praelaturi sunt, cum docuerint I, 3 scribendum fuisse *modus ullus est*. [Nunc hic quoque cum Erlangensi conspirante codice B, utriusque parentem testem habemus, sed in eadem suspitione haerentem, cum praesertim in omnibus his locis multisque aliis A dissentiat et cum ceteris faciat. Itaque in dissensu, ubi auctoritate standum erat, huius fere ordinem secutus sum, fortasse non satis constanter; in quarto et quinto libro relinquatur dubitatio.]

Verum codicem archetypum ipsum menda non pauca habuisse constat et supra aliquot exemplis declaratum est,

cum etiam ostenderem (§ 3 p. XXXVI), multa, quae nunc communi consensu tamquam fideliter antiquitus servata probarentur, coniecturae verae ac necessariae deberi; eratque facile iis, quae ibi a recentissimis librariis emendata dixi, alia adiungere, quae a vetere aliquo editore correctae esse vulgo nescitur. Velut (ut duobus vicinis exemplis defungar) in III, 28 quamquam ad verba *ex quo efficitur* nihil Gruterus, Davisius, Goerenzius, Orellius annotant, tamen certissimum est, in nullo codice ita fuisse, sed in omnibus *ex qua*, et paucis versibus post, ubi recte editur *ob ea*, quod Orellius ex una Victorii editione ascribit *ad ea*, id omnes codices habuerunt. Horum igitur codicis archetypi mendorum tollendorum, si ab iis locis discedimus, quos apud Nonium rectius scriptos ante (p. XXV) enumeravi (nam ceteri grammatici nihil nos adiuvant), omnis ratio in coniectura posita est. Atque saepe coniecturae necessitatem ipsa demum inventio eius, quod in codice archetypo scriptum fuerit, expulsis posteriorum interpolationibus, affert et ostendit, cum in eo vestigium veri sit, non verum ipsum, cuiusmodi est, ut ex magna copia unum ponam, illud in III, 66: *civiles (cules) neglectique*, pro quo substitutum erat, in quo per se non facile offenderes, *abiecti*, [et IV, 65 *nescit*, pro quo positum est *langvescit*].

Coniecturam igitur, hoc est, emendationem ex indicibus repertam, qua critica ars absolvitur, ut non solum traditorum delectum faciat, sed amissa reparet, et aliorum secutus sum et multum etiam mea usus, cum et testimonia codicum plenius certiusque exquisita haberem, quam superiores, et totam Ciceronis disputationem omnesque sententias diligentius accuratiusque persecutus mihi viderer; uti autem studui et libere et prudenter et ad artis regulam. Odi enim, ut qui maxime, inania coniecturarum ludibria hominum aut imperitorum aut levium, certe arte destitutorum, praeter ipsam vanitatem vel praecipue ob eam causam, quod necessariam partem criticae in invidiam adducunt.

Primum igitur in coniectura necessitatem specto et evidentem mendii demonstrationem, quae conficitur aut e codicum bonorum scriptura aut ex oratione aut ex sententia aut ex horum concursu, eaque omnia sic exigo, non ut, quid per se rectum sit, quaeram, sed quid a Cicerone etiam minus recte et eleganter scribi potuerit et quid eum testimonia argumentaque scripsisse ostendant. Atque in illa parte, quae ad orationem pertinet (nam de codicibus dictum est), maxime peccatur a philologis, cum in regula iisque, quae ab ea deflectunt, considerandis, quia nunc Latinus et Graecus sermo libris conclusus studiose arte comprehenditur, non satis meminerunt, quae sit communis lingvarum hominum usu vigentium natura. Ille enim veterum sermo iisdem omnibus causis movebatur et flectebatur, quibus noster, sed eae causae aliam materiam et formam ab initio aliter constitutam diverso modo regunt. Itaque ut olim multas mirasque figuras excogitabant, quarum usu antiquis omnem sermonem vertere licuisse putabant, sic nunc contra partim omnem negligentiam ambiguitatemque a veteribus lingvis exclusam putant, partim mira scriptorum artificia excogitant significationesque, quas illos consequi voluisse arbitrantur, nec meminerunt, singulos homines, qui lingua aliqua utantur, ita communi eius usui parere, ut ipsi novas significationes fingere nequeant, quas nemo intellecturus sit, tum saepe obliviscuntur, quae sit formarum ad regulam positarum vis et causa (ut in illo, quod ad I, 10 p. 26 attigi). Qui prudenter agent, illi primum, cum quaeretur, rectene et Latine aliquid aut omnino aut certo tempore dictum sit, maxime considerabunt, quo transitu et quibus quasi gradibus a consveta aut significatione verborum aut iunctura ad hanc, de qua quaeretur, veniri potuerit, deinde autem, cum de licentia negligentiaque dubitabitur, attendent, quos ei et a qua parte aditus legitima forma dederit quaeque causae scriptorem traxerint. Haec ego studiose persequens et negavi quaedam ferenda, quod legitimae formae eam perturbationem

haberen, quae accidere Latinis nequisset, et permulta, quae minime recta essent, tamen a Cicerone scripta defendi, ut illud maxime notabile in lib. III, 51; interdum, demonstrato vitio et falsa defensione detracta, tamen dubitavi, quousque Cicero progressus esset, ut III, 31.¹⁾ Sed et de his ii deum recte iudicare poterunt, qui libere de Cicerone sentire audebunt nec omnia ab eo summa arte scripta credent, et eadem iudicii libertas ad ea adhibenda est, in quibus mendum scripturae coargui putatur sententiae vitio. Nam ut non pauca, quae erant aut olim a scribis aliquot mutata (ut III, 43 *bona vere*) aut nuper ab editoribus tentata (ut illud facillimum III, 40), verae et rectae sententiae declaratione defensa nunc sunt, ita multa, in quibus erat dubitatum, expediti, cum ostenderem, Ciceronem parum diligenter sententiam animo concepisse (velut II, 50, V, 54), alia autem, ipse primus, quid haberent in sententia vitii, ita exposui, ut de scriptura dubitari non posse demonstrarem, ut II, 35, IV, 58. Verum in hoc quoque genere alia eiusmodi sunt, ut a Cicerone male scripta esse possint, alia eiusmodi, ut ab eo scripta non esse cum rei natura, tum totius orationis et disputationis conformatio declaret, quaedam denique dubia, ut IV, 47 (*aut vitio*). Ita cum distinctum est, quid constet non esse corruptum aut saltem nulla sit idonea

¹⁾ Quoniam mentio facta est veteris sermonis libere se et naturaliter nec subtiliore, quam quae in nostro est, arte moventis, non tacebo, in hoc genere ne Handium quidem, cuius eruditionem et industriam non minus laudo quam ceteri, mihi satisfacere, eamque esse causam, cur non paucis locis contra eius sententias in Tursellino positas mihi dicendum fuerit. Ac tota dissensio fere in excursu primo perspicui potest. Sed accedunt et nimis minutatim concisae particularum significationes et quaedam parum probabiliter excogitatae et in ea re et loci scriptorum contra sententiae cohaerentiam non raro expositi et menda defensa pertinacius. Et quamquam in tanto opere instruendo non poterat omnium scriptorum critica condicio exquiri, videtur tamen mihi Handius in Ciceronis saltem et Livii libris ad hanc rem et ad codicum discrimina paulo magis attendere debuisse.

causa cur corruptum putetur, quid non constet esse corruptum, quid corruptum esse constet, sequitur emendationis investigatio, ut id reperiatur, quod omnibus codicum iudiciis et sententiae et orationi ita simul satisfaciatur, ut nihil aliud iis respondere appareat. In quo ut est felicitas quaedam et sagax animi motus in iis celeriter excogitandis, quae scriptoris animo offerre sese potuerint, cum eodem temporis momento ex altera parte occurrat, e qua vera forma haec, quae fracta nunc restet, nata sit, ita prudentis est scire, quousque progredi possit. Nam alia videbit prorsus a se sanari posse, alia ita, ut sententia et universa orationis forma demonstratur, alia relinquenda esse. Hoc modo qui coniecturam moderabitur, is emendabit veterum scripta et emendationi suae confidet; de modestia autem coniecturae aut tentandae aut in contextu ponendae ita iudicabit, in arte quidquid prudenter fiat, satis modeste fieri. Haec ideo paulo pluribus verbis de coniectura exposui, primum quod hoc tempore, cum homines taedium quoddam cepisset inutilium et levium coniecturarum cumque simul protracta essent e tenebris praestantissima codicum manuscriptorum praesidia, sine quibus coniectura fundamento caret, nata est superstitio quaedam ita se codicibus addicens, ut etiam absurdissima contra certissimam emendationem defendat, interpretetur, enarret et in eo cum magna se gloria iactet; nihil enim non expediat, cui, ne de sententiarum et rerum vitiis dicam, ad defendendum soloecismum mirabilis haec sufficiat orationis distinctio (Tusc. V, 121): *In quo quantum ceteris profuturi sumus: haud facile dixerimus, similiaque infinita placeant.*¹⁾ Deinde vero faciendum mihi visum est, ut a prudenti coniectura et, ut ita

¹⁾ Merito coniecturas oderunt, qui ipsi declarant, nescire se, quid differat inter portenta orationis et sententiae a perspicuis codicum vestigiis discedentia et coniecturam via ac ratione procedentem, cuius rei exemplum manifestum ponam. Pro desperato habitus est locus orationis pro Caecina § 76. Is locus

dicam, severa atque casta non ambiguo fine, velut mutationum numero et magnitudine (nam haec genere depravationis et frequentia variantur), sed tota forma separarem levem et temerariam, cum praesertim ea nuper per unum ex his Ciceronis operibus mira licentia grassata esset. [Stuerenburgium significavi. Multa postea, etsi non tam petulanter, in hoc genere Bakius peccavit. Nam minutos homines, qui nuper haec attrectaverunt, non curo.]

Non ita paucis locis in eam sententiam adductus sum,

in codice Erfurtensi sic scribitur, ceteris fere consentientibus:

tu res si equos uestes si vim non in cede solum sed etiam in animo libidinis nisi cruor appareat vim non esse factam iniuris delictum esse qui prohibitus sit libidinis nisi ex eo loco ubi uestigium impresserit deici neminem posse iuris retinet sententiam et aequitatem plurimum valere oportere libidinis verbo ac littera ius omne torqueri vos statuite recuperatores et viliores esse videantur.

nuper sic est emendatus:

tu igitur, si aequum est esse vim non in caede solum, sed etiam in animo, ibi dicis, nisi cruor appareat, vim non esse factam, si verum est delictum esse, qui prohibitus sit, ibi dicis, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, deici neminem posse, si iuris retinere sententiam et aequitatem plurimum valere oportet, ibi dicis verbo ac littera ius omne torqueri, vos statuite, recuperatores, ultra verior res esse videatur.

scribendus est hoc modo:

Iuris haec vox est, esse vim non in caede solum, sed etiam in animo, libidinis, nisi cruor appareat, vim non esse factam; iuris, delictum esse, qui prohibitus sit, libidinis, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, deici neminem posse; iuris, retineri sententiam et aequitatem plurimum valere oportere, libidinis, verbo ac littera ius omne torqueri. Vos statuite, recuperatores, ultra utilior esse videatur.

Iuri Cicero id tribuit, quod ipse defendit, libidini id, quod adversarios defendere ait. Verum non invenisse in tali loco nemini opprobrio esse potest; sed talem orationem (*si verum est —, ibi dicis*, hoc est: *cum verum sit —, tu* (contra) *dicis*) pro Ciceroniana habere, tum non intellegere, a *libidinis* voce ter repetita et *iuris* bis servata omnem emendandi conatum proficisci debere, id vero mali coniectoris est. [Haec in quem dicta erant, priorem rationem mutavit paruitque admonitioni non sane leni. Reliqui tamen, quae non hominis causa, sed rei dixeram.]

ut vocem aliquam in codice archetypo excidisse putarem. Id ne temere statuisse videar, libet hic commemorare, quibus locis idem mendum iam ante me fere communi consensu correctum sit, quamquam uno et altero editores aut omnes aut recentiores ignorarunt, coniectura repertum esse, quod tenerent. Nam I, 10 ita restitutum est *satis*, II, 21 *quod reprehenderemus*, 40 *ad*, 54 *de* (e paucis codd. dett.), 98 *ex*, 100 *a*, III, 7 *inexhausta* (ab eo, qui codicum deteriorum principem interpolavit, verbum non bene delectum), 49 *non* ante *eam*, 55 *uno*, 62 *ut*, IV, 6 *non*, 9 *ne*, 65 *non*, 74 *stultos*, V, 11 *esse*, 30 *ne* et *ut*, 38 *non* et *ut*, 41 *ab*, 49 *esse*, 74 *rem*, neque dubitatum est, quin I, 50 post *sic* excidisset subiectum sententiae; II quoque 36 *cum* omissum fuisse, ab aliis erat intellectum. His locis ego perspicuis argumentis adductus hos addidi, qui si inter se et cum illis collati fuerint, minus etiam dubii videbuntur: I, 50 (*semper aliquid***), II, 25 (*bene*), 82 (*cum*), 97 (*beatus*), III, 15 (*novarum***), 29 (*numquam*), 61 (*neque** virtute*), IV, 2 (*quidque***), 17 (*cum*), 19 (*quod cum Davisio*), 69 (*non*; ceteri addiderant *enim*), V, 31 (*quam cum Manutio*), 72 (*esse*), 80 (*bona cum Lambino*), 81 (*illud dicere*), 87 (*non cum Davis.*), 96 (*fuit cum Lamb.*). Voces ab aliis aut a me suppletas notavi forma litterarum. Plures versus, quemadmodum in I, 22 accidit, suspicatus sum excidisse II, 34.

Illud etiam in compluribus locis ab aliis iam erat intellectum, ascripta quaedam interpretandi causa in codice archetypo locum inter Ciceronis verba tenuisse (I, 3, 71, II, 35, III, 17, 36, 59, 74, IV, 21, 62, 63, 67, 68, V, 23, 44, 64, 88, tum, qui loci longiores annotationes e margine susceptas habent, II, 108 et V, 21). Idem accidisse ego arbitratus sum etiam his locis: I, 55, II, 11, 25, [94,] III, 22, 35 (qui duo loci plurium verborum additione corrupti sunt), 55, IV, 9, V, 19, 28, 61, 80, et ita in singulis locis iudicii causas exposui, ut nunc hac comparatione confirmari id velim.

§ 6. In enarrandis his libris primam maximamque operam, ut par erat, contuli ad res et sententias ita declarandas, ut plene, aequaliter, distincte, libere exponeretur, quid Cicero a Graecis acceptum quomodo reddidisset, omnisque disputationis ordo et progressus pateret. Multa enim in hac parte reliquerant Morelii laudabile studium, a doctrinae copiis et iudicii subtilitate non semper satis adiutum, et Davisii opera, quae fere consumpta est in locis Diogenis et Sexti Empirici patrumque Christianorum ibi ascribendis, ubi unum aliquod non ignotum decretum apertis verbis positum erat, tum quae Bremius in trium primorum librorum argumentis explicandis satis apte et distincte exposuerat, neque tamen ita, ut reconditiora subtilius attingeret. Goerenzium locis ab his transcriptis nihil addidit nisi errores in notis sententiis argumentisque incredibiles tantosque, ut non raro Stoica pro Epicureis, Epicurea pro Stoicis haberet.¹⁾ Itaque in difficillimis saepe locis tacebant enarratores (ut II, 33, 35, III, 69, IV, 58, V, 18 sqq. multisque aliis locis); eas dubitationes, quae diligentius attendenti oboriri debebant, nusquam fere attingebant (ut III, 49, al.); quo minus mirum est, si quid ex disputationis interiore intelligentia peti deberet ad scripturam dubiam constituendam, plerumque aberratum esse, ut III, 43, IV, 32, maxime tamen (ut posteriore loco) ab recentissimis. Omnino nullum est post P. Fabri operam in Academicis collocatam ex hoc genere Ciceronis opus, cuius sententias et disputationes omnes plene et cum rerum intelligentia Graecorumque fontium usu enarratas dicere possimus praeter libros de officiis. Verum Beierus, dum omnia colligit et effundit, saepe admiscuit aliena, neque audebat libere de Cicerone iudicare. Ego in his libris operam dedi, ut id ipsum, quod Ciceroni quoque loco observatum esset, distincte exponerem significaremque, in tertio potissimum libro, ubi Cicero in difficillima disciplina maxime

¹⁾ Ad lib. I et II, qui facillimi sunt, Muretus quaedam contulit in scholiis, ad tres postremos libros nihil.

quasi summa fastigia rerum sequitur, quomodo cum aliis eiusdem disciplinae partibus disputat onibusque cohaerent ea, quae is posuisset. Deinde, si quid minus ab eo aut perspicue aut recte intellectum expositumque iudicabam, aperui et notavi, ea quoque persequens, quae non tam a decretis Graecorum aberrabant, quam ab ipso Cicerone in argumentis concludendis sentiisque explicandis minus acute et distincte cogitata neque aptissime verbis comprehensa esse videbantur, ut sensim ad orationem scribendique genus delaberetur animadversio. De quo universo genere ita dicam paulo post, nullam ut a me Ciceroni iniuriam factam neque iniquo animo de eo iudicatum esse facile appareat. Notari autem haec prorsus necesse est; quis enim potest, quod male scriptum est et cum sententiae vitio, perspicue declarare, nisi eo vitio demonstrato? Itaque vulgo haec praetermittuntur, quod incuriose et parum subtiliter legitur. Tum de vera multorum locorum scriptura nullo modo iudicari posse, nisi hoc genere perspecto et declarato, paulo ante, cum de coniectura dixi, exposui. Ac si qui putabunt, nimis tamen molestum me fuisse, qui ne illa quidem miti silentio transmiserim, quae quivis per se animadvertat sine admonitione, ii si consideraverint, quantae exoriantur turbae hominum, si quid aliquando animadversum sit, perspicient, vulgo non animadverti, ut vel haec sit satis magna notandi causa, ut assvescant nonnulli non perturbari.¹⁾ Postremo pertinet

¹⁾ Ascribam unum ex alio opere exemplum. Tusc. II, 43 hoc ponitur: *Quod ergo et postulatur a fortibus et laudatur, cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est?* Atqui postulatur et laudatur *doloris patientia*, extimescitur nec fertur *dolor*. Haec igitur a Cicerone confusa esse, Nissenius animadvertit, addiditque modeste, scriptoribus antiquis quaedam inhaerere excusanda magis quam probanda aut imitanda; modo ne anacoluton esse dixisset; nam grammatica orationis forma optime constat. Quid Moserus? Non ferens audaciam Nissenii, abesse ait post *cum fit*, quod facillime intellegatur (!), *dolorem pati*, ex eo haud difficulter audiri *dolorem perpetiendum*. Sed quid fiet conclusioni et sententiae, si aliud est *quod*, aliud *id*?

ad ipsam philologiae dignitatem, prudenter magis quam indulgenter laudari antiquos scriptores et exempla bene scribendi proponi.

Deinde, si qua erant in orationis forma aut verborum significatione aut obscura aut minus vulgaria, etiam extra scripturae dubitationem studiose annotavi, et ex hoc genere multa in hos commentarios rettuli, quae ad Ciceronis aliorumve scriptorum locos emendandos explicandosve pertinerent, in dicendo brevitatem, quantum potui, secutus. A librorum hominumque nominibus iactandis natura mea abhorret; testimonia rationesque non opinor desideratum iri.

Multo plus loci, quam vellem, in commentariis meis occupat aliorum refutatio atque etiam reprehensio. Sed scribimus neque peritis solis neque iis, qui libenter et simpliciter veritatem admittant, potiusque multi effugia quaerunt veteresque errores quasi nova inventa referunt. Accessit singularis quaedam causa ac necessitas. Dedit enim mihi fortuna, cui, si summa res spectatur, succederem, Goerenzium, quem ego, ex quo primum Ciceronis de philosophia libros studiis meis attigi, nescio utrum miratus sim magis an indignatus aliquo inter philologos loco habitum esse et nunc quoque a nonnullis haberi; adeo mihi totus ex negligentia et confusione, ex Latini sermonis summa ignorantia et foedissima barbaria, ex ingenii torpore iudicii que perversitate cum incredibili quadam oblivione (quam Graeci *μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν* appellant), denique ex arrogantia mixtus videbatur. [Sed quoniam plus iam ille in meo libro obtinet loci, quam vellem, omittam nunc, quae olim de tota eius opera universe comprehenderam, quamquam omnia vera erant, contentusque ero praeter ea, quae in commentario plurimis locis notavi paene incredibilia peccata, iis, quae supra (p. XVI sqq.) de uno genere negligentiae et perversitatis exempla posui.] Post Goerenzium Orellius praestitit fere, quae expectari in eiusmodi cura et talibus subsidiis poterant, nec paucos Goerenzii atque etiam aliorum errores vitavit prudenter et correxit, quaedam nova addidit aut a

Lambino aliisque inventa, sed postea neglecta revocavit; rerum a Cicerone tractatarum subtilem e Graecis fontibus cognitionem ab eo non iure postules, qui singularem in hoc genere scriptorum Ciceronis operam ponere non decrevisset; de oratione Latina et rebus grammaticis paulo prudentius constantiusque iudicium hic, ut alibi, non immerito requiras. F. W. Ottonis, qui post Orellium separatim hos libros edidit, opera fere in eo consumpta est, ut excerptis Goerenzii notis adderet sine ullo delectu de rebus grammaticis aut pervagatis aut nuper agitatis ex collectaneis exemplorum et nominum turbam saepe cum haud parva confusione. Difficillimos locos et re, sententia, oratione impeditos saepe tacitus praeteriit.¹⁾ Prudentior fuit G. C. Kernius, cuius Germanicam horum librorum interpretationem (Stuttgartariae 1836) cum magis casu quam consilio inspexissem (neque enim magnam expectationem fuisse fateor), repperi aliquot locis vitatos Goerenzii errores, qui ceteros omnes decepissent, et veram sententiam perspectam. De superiorum temporum editoribus singulatim dici opus non est, e quibus Bremius, qui proxime ante nostram aetatem tres priores libros edidit (a. 1798), in duos, quorum editio impedita fuerat, quae commentatus erat, cum Goerenzio communicavit, si subsidiis instructor et magis exercitatus ad eos accessisset, et si tantum ingenii acumine valuisset, quantum recto quodam sensu ad verum trahebatur, multum profuisset. [Th. Bentleius, qui hos libros 1718 edidit, quaedam recte emendavit, rationem fere non exponens, in aliis saltem recte dubitavit, alia iniuria tentavit. Nonnulla, quae Bentleii sunt, Davisio post alios tribueram. Pearcii notulae aliquot apud Olivetum reperiuntur.]

Imposuerat mihi fortuna magnam in hoc libro reprehendendi necessitatem; dedit eadem, quod et in ipso opere saepe hanc molestiam magna svavitate leniret et hoc loco hanc

¹⁾ Billerbeckii editionem (Hannoverae a. 1827) inspicient, qui legere cupient, *Academiae non sine causa nobilitata spatia esse von der vornehmen Welt besuchte Spaziergänge*, et similia.

aliorum commemorationem verae laudis iucundissima prae-dicatione concluderet. Ea debetur summo iure amico meo, qui se interdum discipulum haberi vult, A. S. Wesenbergio, scholae Viburgensis magistro. Nam is cum forte, quo tempore haec editio typothetae tradi coepta est, Hauniam venisset, rogatusque a me pro nostra familiaritate esset, ut, si quid ad hos libros annotatum haberet, mecum communicaret, postquam domum rediit, non, quae iam haberet, misit, sed mea causa ita se contulit ad hos libros intento animo retractandos, ut nihil fere relinqueret, de quo non sententiam acute et prudenter diceret, argumenta erudite et scienter conquireret, eaque omnia sensim, meo opere procedente, mihi sic tradidit, ut, quomodo vellem, uterer. Et quamquam nota mihi erat amici accurata doctrina et rectum de nostra arte iudicium, admiratus tamen sum, quam saepe in tam exiguo praesertim apparatu (nam ne Gruterum quidem habebat) aut verum ipsum felicissime invenisset aut rectam viam eius inveniendi institisset meamque sententiam consensu confirmaret, interdum etiam ad ea attendisset, quae me fugissent. Atque haec, in quibus sunt etiam, quae non ad hos solos libros pertineant, ut par erat, inventori tribui; ubi in eadem, atque ego, inciderat, tantum in rebus insignioribus, et confirmationis causa et quod iucundum erat, nomen eius ascripsi, neque, si quando aliquod exemplum ex eius copiis adiunxi meis, quod non raro factum est, monui; neque enim illa lege vivimus. Atque etiam ubi a me discedebat, maxime quod codicum meliorum testimonia non norat, perquam saepe utile mihi fuit videre, quid prudenti homini in mentem veniret. Sed mihi in tota hac re etsi cetera egregie placebant, tamen illud longe gratissimum fuit, quod, quo tempore cum perversitate quorundam conflictabar et in genere scribendi paene moroso defetigabar, licebat in sva-vissimo amicitiae affectu acquiescere.

Haec habui, quae de meis consiliis institutisque dicenda viderentur. Reliqua iam oratio de ipsis Ciceronis libris erit.

II.

§ 1. Libros de finibus Cicero scripsit Caesare IV consule priore parte anni a. Chr. n. 45 post filiae mortem absolutamque Consolationem, eodem fere tempore, quo Academica, Asturae, ubi villam habebat, brevissimo spatio et celeriter; expolitos deinde nonnihil ad Brutum misit et divulgavit aestate eadem una cum Academicis, quae interea in aliam formam redegerat.¹⁾ (Quod Goerenzius de duplici editione libri quinti cogitavit, nihil est; tantum in hoc opere, ut in ceteris omnibus, quamdiu nondum librariis describenda, ut divulgarentur, tradiderat, subinde aliquid mutavit.) In opere componendo Cicero secutus est Aristotelis

¹⁾ In epistulis ad Atticum prima significatio horum librorum videtur esse XII, 12, 2: *De Epicuro* (id est, de eius sententia in alicuius persona explicanda; non opus esse videtur scribi *de Epicureo*), *ut voles; etsi μεθαυτοσους in posterum genus hoc personarum.* Deinde XII, 45, 1, initio mensis Iunii, scribit, se Asturae duo magna *σύνταγμα* absolvisse, quae etiam propter usum vocis *σύνταγμα* rectius Academica et hi libri intelleguntur quam duo Academicorum libri. XIII, 32, 3 Torquatum, id est, primum librum de finibus Romae esse dicit (ut describatur), Catulum et Lucillum se credere Attico antea datos, quibus libris se nunc nova proemia addidisse. XIII, 12, 3, quae epistula scripta est mense Quinctili, libros de finibus iam Bruto desponsos dicit (nondum missos); itaque se, ut Varroni satisfacere possit, qui partes in aliquo Ciceronis scripto habere cupiebat, ad eum Academica translaturum. Ea Academicorum mutatio commemoratur lib. XIII, 13, 14, 18; in epistula 19, circa Kal. Sext., et ea iam absoluta narratur et libri se credere Attico narrantur, confecti, non editi. Ep. 21, 4 Academica altera Romam describenda se misisse scribit, queriturque, quod Balbus ab Attico iam quintum librum de finibus descripsisset, cum nondum ad Brutum opus missum esset et Cicero in eo libro *non sane multa mutasset, sed tamen quaedam*; item Caerelliam libros de finibus iam habere. Epist. 23, 2, ante idus Sext., in Academicis librorum menda tolli, libros de finibus in librorum manibus esse, Attico narrat, nec postea libros de finibus commemorat; de Academicis dubitabat etiam tum, Varroni tradendine essent necne (24, 25).

dialogorum morem, ita ut ipse partes easque praecipuas sermonis haberet, quod in libris de oratore (et de re publica) aliter instituerat.¹⁾ Sed eam formam accommodavit ad suum consilium. Nam cum non una et communi quaestione argumentum comprehensurus esset, sed singularum disciplinarum decreta expositurus, in tres sermones tempore diversos opus distribuit, quorum primus, qui de Epicurea philosophia est, inter Ciceronem et L. Manlium Torquatum et C. Valerium Triarium L. Paulo, C. Marcello consulibus a. 50 a. Chr. in Ciceronis villa Cumana habitus fingitur (vid. argum. lib. I), secundus, in quo Stoica sunt, inter Ciceronem et M. Catonem in Luculli Tusculano Cn. Pompeio III, Q. Metello Scipione coss. a. 52, ut ex libr. IV, 1 intellegitur (*haec nova lege*; a. 51 Cicero in Ciliciam abiit),²⁾ tertius autem multis annis ante (a. 79 a. Chr.) Athenis inter Ciceronem iuvenem eiusque Q. fratrem et L. fratrem patruelem et T. Pomponium Atticum et M. Pupium Pisonem Calpurnianum, cuius in eo primae partes sunt

¹⁾ [In hac enim peculiari dialogi forma apertissime Aristotelis in his libris imitationem Cicero ponit ad Attic. XIII, 19, 4, ubi, postquam in libris de oratore et de re publica loquentes induci superioris temporis personas dixit, ut nullae suae sint partes, haec subiicit: *quae autem his temporibus scripsi, 'Αριστοτέλειον morem habent, in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus.* Itaque quae ad Fam. I, 9, 23 leguntur: *Scripsi etiam Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de oratore*, ea, ut Boiesenius (in Locorum philologorum fasc. I, Haun. 1846, p. 7) intellexit, non ad peculiarem aliquam dialogi rationem, sed ad ipsius dialogi in tali artis explanatione usum (si tamen verba in *disputatione et dialogo* Ciceronis sunt) et ad rerum tractationem a communi artium rhetoricarum consuetudine abhorrentem pertinent. Ceterum propriam dialogorum Aristoteliorum formam ignoramus.]

²⁾ Eodem anno 52 L. Lucullum fato functum esse, Goerenzius falso scribit. Is enim propter Plutarchi verba (Lucull. 43) Ciceronisque de eo in epistulis silentium recte creditur paulo post annum 57 mortuus esse. Nec in libri tertii initio ulla est significatio Luculli patris brevi ante mortui puerique plane nuper Catonis tutelae commissi.

(vid. arg. lib. V et annot. ad V, 1). Reiecit autem Cicero sermonem in id tempus, quod eorum personis uti malebat, qui mortui iam essent; ex iis opportunus visus erat Piso, qui cum una cum Cicerone Athenis fuisset et ipsum Antiochum, cuius sententiae in libro quinto exponuntur, audisset, apte inducebatur sermo illo ipso tempore habitus.

§ 2. Sumpsit Cicero, quam his libris explicaret, eam quaestionem, qua omnis ethica disciplina continebatur, de summo bono et malo, quod Graeci *τέλους* nomine appellabant,¹⁾ non tamen ut ipse suo ingenio rem arduam aggredere-
deretur et expedire conaretur aut saltem ad sententiam sibi probatam aliquid adiceret novi argumenti, sed, quod unum illi in philosophia propositum erat, ut, quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur (I, 12), persequeretur et quodam modo compararet. Itaque quoniam illa aetate praeter novam Academiam, quae nullam certis decretis comprehensam summam tradebat quamque iam langvescentem nec volatica disputationum levitate animos veri cupidos explentem Cicero tamen ab adulescentia adamatam tenebat, ut libere per omnes philosophorum disciplinas flores colligeret, duae veteres vige-
bant sectae, Epicurea et Stoica, tertiam Antiochus Ascalonites e Stoicorum decretis et Peripateticorum Academicorumque superiorum sententiis quibusdam et verbis sub veteris

¹⁾ Reprehensus est Cicero a Iul. Caesare Scaligero (de Subtil. Exercit. CCL) et Mureto (Varr. Lectt. XVII, 1), quod fines etiam malorum dixisset, cum in nomine *τοῦ τέλους* significaretur *τό. οὐ βίεκα*, ut de solis bonis diceretur, defensio a Davasio. Recte statuunt, *τέλος* initio sic positum a philosophis, ut id significaretur, in quo extremo consisteret causae et consilii exquisitio. Itaque proprie de bonis dicitur saepissimeque ponitur non addito *ἀγαθόν*. Sed tamen sensim, retenta tantum ultimi et eius, quod progressum terminaret, significatione, traductum est etiam ad id, quod in comparatione summo bono contrarium esset (Acad. II, 132), atque ita et a Graecis interdum positum videtur (apud Diogenem Laërt. VII, 97 *τελικά κακά*) et Latine etiam fortasse a Varrone, qui eosdem, quos Cicero, secutus est, si a Varrone hoc sumpsit Augustinus de Civ. Dei XIX, 1.

Academiae nomine constituerat, Cicero tripartitam disputationem fecit, expositaque primum Epicuri decreta oppugnavit ipse in libro secundo Stoicorum telis, hic quidem ex animi sententia agens; deinde Stoicae disciplinae opponit in libro quarto Antiochi disputationem, Stoicos reapse cum veteribus Academicis et Peripateticis, id est, cum ea forma decretorum, quam Antiochus illorum esse docebat, consentire, tantum verbis aliis uti; postremo in libro quinto, explicata Antiochi disciplina, pauca quaedam ita contra disseruntur, ut Stoici magis sibi constare videantur, cui tamen disputationi pro Antiocho respondetur.¹⁾ In hac descriptione primum apparet, in libro quarto et quinto magna ex parte easdem res tractari et bis poni, primum ut cum Stoicis haec comparentur, deinde per se. Deinde haec omnis ratio sic a Cicerone tractatur, ut magis summae sententiae exponantur et argumentis concludendis inter se comparentur, quam illud quaeratur, quomodo prima initia notionum ethicarum in singulis scholis orientur et cum reliquis decretis de deo et mundo cohaereant. Ex quo fit etiam, ut sententiarum vis atque proprietas in illa comparatione non satis animadvertatur; velut in quinto libro Antiocho obicitur, constantius Stoicos sapientem semper beatum esse dicere, qui nihil praeter vitium in malis relinquunt, atque in hac constantiae commemoratione omnis consumitur oratio; illud, quod caput erat, non attingitur, de ipsa boni notione, quam Stoici totam in humanae voluntatis fundamento constituerant, deque beatae vitae. Verum haec partim iam a superioribus minus distincte explicabantur, qui scholarum decreta, ut semel erant composita, servabant, partim ab Antiocho confusa erant. Itaque haec a Cicerone, qui suo ingenio philosophari noluit, ne severe

¹⁾ Ad eandem formam descripti sunt libri de natura deorum, sed quod Antiochus hanc partem philosophiae novo vestitu non induerat, Epicurea tantum et Stoica decreta exponuntur et Academica dubitatione impugnantur.

exigamus (quamquam vellemus, minus leviter de sectarum proprietate et discrimine iudicasset, quam facit, ut hoc utar, V, 76), idque unum quaeramus in tali praesertim scribendi tempore, ipsa ea, quae e Graecorum libris in brevius contracta, interdum exornata rhetorice, exponit, satisne fideliter et accurate reddiderit.

§ 3. Neque enim putandum est, quod nonnullis in mentem venit, tot huius generis libros tam brevi tempore scriptos esse reputantibus, materiam multo ante collectam fuisse. Cicero enim inde ab adolescentia Graecae philosophiae cognitionem paraverat ad oratoris usum et ad liberalem ingenii cultum, non scribendi consilio, quod ei seni rei publicae casus et domestici attulerunt, neque intimos sectarum recessus perscrutatus erat singularumve formas ad artis modum cum notionum proprietate subtiliter animo descriptas tenebat. Cum igitur animum ad scribendum appulisset cum festinatione quadam et quasi aestu, doloris et molestiarum oblivionem quaerens,¹⁾ neque habebat praeparatam materiam nisi communi quadam a doctoribus et libris notitia neque eam studiose conquisitam diuturna meditatione versabat, sed, quod in alia scribendi condicione fortasse fidei et cautionis causa fecisset, in singulis partibus philosophiae singulisque disciplinis, quas erat tractaturus, unum fere aliquem sibi elegit ducem, quem sequeretur et exprimeret.²⁾ Quod quomodo instituerit, nuper clarissimo exemplo patefactum est in libro primo de natura deorum, inventa inter Herculaniensia volumina particula scripti Phaedri Epicurei *περὶ θεῶν* [vel potius Philodemi *περὶ εὐσεβείας*]. Apparet

¹⁾ Ad Attic. XII, 14, 3: *Totos dies scribo cet.*; XIII, 10, 1: *Quod nisi mihi hoc venisset in mentem, scribere ista nescio quae, quo me vertirem, non haberem*; ibd. 26, 2: *Equidem, credibile non est, quantum scribam; quin etiam noctibus; nihil enim somni.*

²⁾ Ad Attic. XII, 52, 3, qui locus sic interpungendus est: *De lingua Latina securi es animi.* (Atticum securum esse iubet, respondens eius admonitioni alicui.) *Dices: Qui talia conscribis? Ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo.*

enim intellectumque est a Ch. Petersenio, qui eam particulam Hamburgi a. 1833 seorsum edidit, Ciceronem non solum ex secundo illius opusculi libro totam sententiae Epicureae expositionem (quae apud Ciceronem inde a § 43 legitur) sumpsisse, sed etiam, quod minus aliquis suspicaretur, e priore libro omnia illa, quae Velleium inducit de superiorum philosophorum sententiis disputantem. Eodem igitur aut saltem simili modo rem instituisse in his libris censendus eo magis est, quod non obscura vestigia id testantur, de quibus ex aliqua parte iam alibi dictum a me est. In primo libro etsi saepe ipsius Epicuri verbis utitur, tamen patet (§ 31 et 66 sqq.), posteriorem aliquem ei Epicureum ducem fuisse, nec obscure ipse (§ 16) Phaedrum significare videtur. In secundo libro quamquam liberior est Epicuri insectatio eorumque, quae ad virtutem commendandam dicuntur, exornatio, tamen etiam ea, quae videri possint ab ipso excogitata, a Graecis sumpta esse, exemplo est illud, quod in § 100 commemoravimus. Nec dubitari potest, quin maxima pars Chrysippo debeatur (§ 44), sive ex ipsius libro ea Cicero excerpserit sive ex alicuius, qui eum secutus erat. De tertio libro expositum est in excursu quinto; quartum et quintum totos ab Antiocho esse, et ipse ostendit Cicero et dictum est de ea re in excursu septimo.

§ 4. Ferreus sit, quem non moveat imago Ciceronis inter gravissimas curas, ex honestis causis ortas, de philosophia scribendo solatium capientis. Sed tamen non erat ea animi temporumque condicio aptissima ad hanc materiam, ei praesertim, qui in hoc genere cogitandi, quo ipsae notiones omni detracto involucro artificiose tractantur, non esset exercitatissimus. Itaque, nisi superstitiosi merito dici volumus, confitendum est aperte, accidisse aliquotiens Ciceroni, quae in tali causa expectanda erant. Nam interdum, cum incidisset in res spinosiores, quaedam nimis breviter et obscure excerpserit, maxime in libro tertio (ut capite septimo aliisque locis), alia sic posuit, ut non satis appareret, quo spectarent (ut III, 35 et 49), in quibusdam non satis attendit

ad disputationis progressum (ut V, 46), nonnullis locis argumentorum ratione conclusorum formam et vim parum expressit (ut II, 100, III, 28, IV, 50), uno et altero loco prorsus notionem rei perturbavit, ut IV, 58, alienaque admiscuit, ut cum Epicuro Stoicam finis definitionem subicit, de quo dictum est in annotatis ad I, 29.¹⁾ Verum cum Cicero sic versaretur in rebus notionibusque non satis semper clare perceptis, accederetque etiam difficultas Latini sermonis non facile novas res recipientis et persequentis, quam necesse est non raro mentem nonnihil ab ipsarum rerum cogitatione et contemplatione avocasse, factum est, ut interdum etiam in iis, quae obscura non essent ac ne a Graecis quidem sumpta, sed ab ipso in argumentis concludendis instituta, aberraret verbaque magis quam sententiam efficeret (ut II, 35 et 50, V, 54). Neque hoc in his solis libris Ciceroni accidit, sed in omnibus iis, quos de simili materia eodem temporum animique habitu scripsit. Velut, ne sine exemplo rem nonnihil invidiae habituram praetermittam, Academ. II, 99 sic loquitur: *Duo placet esse Carneali genera visorum; in uno hanc divisionem: alia visa esse, quae percipi possint, alia, quae non possint: in altero autem: alia visa esse probabilia, alia non probabilia.* Nihil potest minus recte dici; neque enim duo haec erant visorum separata genera, neque alia erant, quae percipi aut non percipi

¹⁾ Non erat difficile ex ceteris Ciceronis scriptis similia multa colligere, quae enarratores non annotarunt, quaedam ita perturbata, ut, nisi explicato errore, Intellegi disputatio nequeat, cuiusmodi reperientur, quae in Tuscul. libr. IV, 23 sqq. et 28 sqq. de morbo, aegrotatione, vitio, vitiositate traduntur, si ipsa excussa et cum Graecis, quae Ioannes Stobaeensis et Diogenes Laërtius habent, collata fuerint, aut quae Academ. lib. I, 26 de qualitatibus dicuntur, cum gravi confusione τῶν ποιότητων et τῶν ποιδῶν. Illud facillimum expeditu est, quod II de Nat. Deor. 29 totam disputationem Cicero obscuravit et inanem reddidit, cum ὁδῶμα πολυμερές (vid. Sext. Empiric. adv. Mathem. IX, 119) interpretatus est: *omnem naturam, quae non solitaria esset neque simplex, sed cum alio iuncta atque connexa*, non, ut debuit: *quae esset e pluribus partibus (ipsa) composita.*

possent, alia, quae probabilia aut non probabilia essent; (Carneades quidem nullum umquam percipi posse statuebat); sed duplex erat visorum dividendorum ratio; priorem Stoici sequebantur, alia percipi, alia non percipi dicentes, Carneades altera standum putabat, quoniam nullum visum probabilitatem supergrederetur. In Topicis § 67, postquam Cicero de causarum loco, id est, de genere argumentorum, quae ex causae notione ducerentur, dixit, addit: *Coniunctus huic causarum loco ille locus est, qui efficitur ex causis*. Is quidem locus non coniunctus est superiori, sed plane idem; sed aliud Cicero dicit, aliud vult; significandus enim erat non is locus, qui efficitur ex causis, sed *corum locus, quae efficiuntur ex causis*, id est, illud genus argumentorum, quod ex notione effectus ducitur. De Officiis I, 17 cum significandum esset, quid inter prudentiam (id est, virtutem theoreticam) et ceteras virtutes (practicas) interesset, descripta prudentia, sic oratio pergit: *Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur*. Omitto, quod in dicendi genere non admodum perspicuum est, virtutibus necessitates propositas ad res parandas; sed ipsa haec rerum paratio aliena est magnam partem a magnitudine animi, prorsus vero a modestia. Apparet, illud de parandis rebus in communem definitionem inclusum esse e propria iustitiae notione, quam versari dicit in societate hominum tuenda; itaque, cum ad modestiam perventum est, cogitur, illo omissa, id ponere, quod vere commune est: *Ordo et constantia et moderatio — versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio*. Verum ita rursus fit, ut hoc incommode unius virtutis proprium dici videatur. cum sit trium.¹⁾ Atque haec iam ad dicendi totum genus

¹⁾ Non possum non profiteri, in eo libro, qui a multis valde subtiliter scriptus iudicatur, Oratorem dico, permulta mihi videri esse ex hac incerta et fluctuanti forma, dum Ciceroni non contingat, ut aut orationis generum aut numerorum oratoriorum et poëticorum notionem stabilem efficiat et teneat.

pertinent, quod, fieri non potest, ut in tali sententiarum ratione semper certum, aequale, perspicuum fluat, quamvis sit Cicero scribendi et dicendi artifex. Neque haec ita nunc dico, ut haerentem magna cum laude coronam capiti eius detrahere coner, qui ipse exposuerim, quae causae effecerint, ut hic a se nonnihil interdum desciscere videatur. Nos vero Ciceronem admiremur in orationibus; in libris de philosophia accipiamus talem, qualis esse potuit, habeamusque debitam gratiam, quod et Latine philosophiam docuit et tantam materiam ad Graecorum philosophiam cognoscendam nobis servavit cum in ceteris argumentis librisque, tum in hac quaestione de finibus bonorum et malorum.

MDCCCXXXIX.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 6 ima. Vix tamen apparet comparatio ad Q. Fr. I, 1, 16 (*neque tam fideles sunt*).

P. 24 v. 7. Luc. Muellerus: *Χαίρετε*, et hinc cet.; sine causa et prave; nam omnes unum Albucium salutant, aptissimeque ab *hinc* sententia incipit.

P. 31 not. v. 9 ab imo. Cum loco Bruti coniungendus simillimus ad Att. I, 14, 3.

P. 45 not. v. 15. De *si* — *sive* apud comicos egit C. F. W. Muellerus Ann. philol. vol. LXXXIII p. 261 sqq. Reliquis testimoniis addantur C. I. L. I, 603, 15 et formulae vetustae apud Varronem L. L. p. 74 extr. Bip. et Liv. XXII, 10, 6.

P. 52 not. v. 13 ab imo. De hoc comicorum usu vid. Lamb. ad Plaut. Asin. IV, 1, 12.

P. 67 not. v. 6 ab imo. *Esse ad naturam* dixit Cicero ad Att. IV, 18, 2.

P. 72 not. v. 16. Corn. Nep. Paus. 3, 5: *aditus conveniundi*, de quo loco Halmius iniuria dubitavit.

P. 74 not. v. 7 ab imo. *Memoriter memini*, Afran. ap. Charis. p. 89 P et *memoriter confecta* idem ap. Non. p. 359.

P. 116 not. v. 3. Post „ad § 42^a addatur „et II, 86^a.

P. 154 not. v. 9. De positu verbi *inquit* cfr. C. F. W. Muellerus in Philologo vol. XVII p. 510 sqq.

P. 182 not. v. 4 ab imo. Luc. Muellerus Lucilii verba in hoc distichon redegit:

*Defusum e pleno siet hir siphoneve cui nil
durist, cum nix et sacculus abstulerit,*

non sane probabiliter.

P. 188 not. v. 7. Ex *negant* auditur *dicunt* post *que* ad Att. VII, 15, 3.

P. 210 v. 7. Cobetus (Mnemosyne N. S. III, 1, 1875 p. 94): *quorum omnium de sententia pronuntiabit, usum sane loquendi propius attingens.*

P. 218 not. versu imo. *Iunctus ex* legitur etiam de Inv. I, 17, Tusc. I, 43, ipsum *coniunctus ex* Phil. XII, 8 et Varr. R. R. III, 4, 3. (C. F. W. Muellerus, Coniect. Tull. p. 25.)

P. 251 not. v. 7. *Foret* etiam ad Att. X, 14, 3.

P. 257 not. v. 10. Add. ad Att. III, 7, 1 (*aspicere*), IV, 2, 7 (*nec relinquere possum nec videre*), IX, 6, 2 (*aspicere*) et 19, 2, Verr. II, 58 (*aspicere*).

P. 274 not. versu imo. Nostro loco simillimum est, quod legitur de Orat. II, 261: *num mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti?*

P. 308 not. v. 10 „ante Livium“. *Referre* de re in librum referenda Varr. L. L. V. 148 (p. 41 Bip.) et Corn. Nep. Timoth. 4, 6. (Siesbyeus.)

P. 316 not. v. 7. Scripsit tamen Cicero ad Att. II, 6, 2: *sed ut ad rem*; cfr. Sen. de Ben. IV, 40, 5: *et ut breviter.* (Siesbyeus.)

P. 374 not. v. 7 ab imo. Eadem syllepsis forma est ad Q. Fr. I, 3, 1 (*eripuerit*) et Liv. VII, 30, 23 (*ferat*). (Siesbyeus.)

P. 383 not. v. 15 ab imo. Dure Brutus in ep. ad Famm. XI, 11, 2: *quae opus erunt administrari, de quo Wesenbergius dubitavit.*

P. 488 v. 10. Cobetus (l. c. p. 99): *aut non potuerunt tueri aut noluerunt*, coll. IV, 41, ingeniose et probabiliter.

P. 506 not. v. 3 ab imo. Add. II, 34 (*primis a natura datis*), V, 24 et 56.

P. 539 v. 8. Admodum probabiliter Cobetus (l. c. p. 101): *non multum ab Erilli levitate aberimus, nam a levitate aberrare* improprie et insolenter dicitur.

P. 589 v. 6. Cobetus (l. c. p. 102): *verbis concinere*, perapto verbo, sed quod qui mutatum sit, non facile intellegatur.

P. 594 not. v. 15 ab imo. Conferri etiam potest de N. D. II, 72: *Ita factum est in superstizioso et religioso alterum vitii nomen, alterum laudis.*

P. 690 not. v. 8. Add. lex col. Iul. Gen. tab. III, 7 v. 12 (Ephem. epigraph. vol. II, fasc. 3): *suo quoque anno.*

P. 776 v. 3. Ex *voluptate maceret* Chr. Mikkelsenius valde probabiliter et, ut puto, vere *voluptatem faceret* fecit.

De multis praeter eos, quos supra posui, locos Cobetus illo, quem dixi, loco (sola prima nostra editione utens) coniecturas proposuit, de quibus, quoniam et multa alia breviter ac paene silentium svadent et cum homine egregio et ingeniosissimo digladiari nolo, hoc universe dicam, non videri mihi in iis aut mutandi necessitatem satis severe exquisitam demonstratamve aut corrigendi probabilitatem servatam. Nam neque liberioris neglegentiorisque scribendi formae, qua Cicero in his libris utitur, satis rationem Cobetus habuit et interdum in iis offenditur, quae rectissime dicuntur, velut in libro I § 24, ubi ad

communem accusationis significationem criminis proprie obiecti significatio (*quod arguerent* cet.) notissimo dicendi genere adiungitur, de quo post alios exposui in Gramm. Lat. § 357 a not. 2, monstri aliquid subesse putat et scribi iubet: *cum eum Macedonum legati apud senatum pecunias praetorem cepisse arguerent, causam* cet., violentia intolerabili. Delendi remedio quam facile Cobetus Bakii exemplo utatur, nolo commemorare. Ne illo quidem loco, qui possit aliquid suspicionis habere videri, V, 87 aut abesse possunt aut ullo modo a librario addita esse (praesertim hac forma: *et saepe ἀδανβίαν*) vocabula Graeca Democriti propria, prorsusque Ciceroniano in his libris more in unum conflatur sententiae et Graecae appellationis significatio, quasi dicatur: id enim ille summum bonum ponit atque ἐνδυνίαν et saepe ἀδανβίαν appellat (vid. p. 371); nec in his libris ullam habet offensionem rarioris vocabuli Graeci interposito *id est* interpretatio paulo etiam minus ad verum limata. Librarius ἀδανβίαν aliter (substantivo abstractae, quam appellant, significationis) interpretatus esset. Miror autem Ciceronem „doctis philosophis“ haec exponere dici; scripsit non peritissimus ipse Graecae philosophiae iis, qui primis eius elementis imbui vellent.

M. TULLII CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM
LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Initio libri Cicero M. Brutum alloquens consilium suum ea, quae Graeci de philosophia scripsissent, Latinis litteris mandandi a vituperatoribus sic defendit, ut, quoniam universae philosophiae reprehensoribus in Hortensio responsum sit, contra eos autem, qui philosophiam non prorsus reiciant, sed minus studii et operae in ea ponendum putent, pugnare vix opus sit, eos maxime refellat, qui Graeca scripta legere malint, Latine conversa nolint (c. 1—3). Se vero, quemadmodum olim rei publicae res gerendo non defuerit, sic nunc, neglectis obtrektoribus, elaboraturum, ut cives sint opera sua doctiores. Nec quidquam esse, quod potius scribere debeat, quam haec, in quibus gravissima, quae philosophiam contineat, quaestio de summo bono pertractetur (c. 4). Ut autem a facillimis ordiatur, ab Epicuro initium facit, cuius disciplinam accurate quondam a L. Torquato, cum C. Triarius adesset, apud se in Cumano expositam esse narrat et contra eam a se disputatum (c. 5). Nam cum Torquatus e Cicero quaesisset, quae esset causa, cur minus Epicurum probaret, Cicero breviter omnem Epicuri philosophiam sic percurrit, ut demonstret, quid in physicis, dialecticis, ethicis eius desideret et re-

prehendat (c. 6—7). Defensionem Epicuri Torquatus suscipit et, ceteris in aliud tempus reiectis, eius de summo bono sententiam explicat (c. 8). Exponit igitur, Epicuri formam docendi sequens et saepe verbis eius utens, omne animal a primo ortu natura voluptatem appetere, dolorem respuere, ut appareat, illam per se expetendam, hunc reiciendum esse (c. 9). Sed ita probari voluptatem, improbari dolorem, ut delectus faciendus sit et saepe voluptates praetermittendae, ne maiores dolores consequantur, et dolores et pericula subeunda maiorum voluptatum causa (c. 10). Voluptatem autem ab Epicuro intellegi non eam solam, quae sensus motu quodam titillet, sed maximam illam putari, quae percipiatur omni dolore remoto (c. 11). In hac esse summum bonum, facile intellegi posse, posita ante oculos imagine cum eius, qui omnibus voluptatibus fruatur, nulla re impediante, tum eius, qui in summo doloris cruciatu sit. Itaque summum esse bonum iucunde vivere (c. 12). Virtutes autem non per se expeti, sed quod multa afferant ad iucunde et tranquille vivendum; id facile perspicui in sapientia sive prudentia (ubi etiam cupiditatum divisio attingitur), temperantia, fortitudine, iustitia (c. 13—16). Voluptatem et dolorem animi e corpore oriri, nec tamen non maius esse multo utrumque in animo quam in corpore, quod hoc praesentis solum temporis particeps sit, animus praeterita meminerit, futura expectet (c. 17). Non posse iucunde vivi, nisi honeste, nec honeste, nisi iucunde. Sedato demum animo sublatisque cupiditatibus et terroribus beate vivi posse (c. 18). Itaque sapientem semper esse beatum, fortunae potestati non multum subiectum. Dialecticis Epicurum non multum tribuisse, quod ea ad beate vivendum essent inutilia, physicis plurimum, quod utilissima essent (c. 19). Postremo amicitiam, quamquam nonnullis tolli videatur Epicuri decretis, tamen vel maxime ab eo laudari et confirmari, ab utilitate proficiscentem (c. 20). Summam igitur gratiam Epicuro habendam esse, qui naturae voci parens viam beatae et quietae vitae monstraverit (c. 21).

L. Manlius Torquatus, qui in hoc libro primas partes habet, filius fuit L. illius, qui cum L. Cotta consulatum

gessit a. 65 a. Ch. n. (de quo dicitur ad II, 62). Inde ab adulescentia cum patre, qui Ciceronis condiscipulus fuerat (Corn. Nep. Att. 1), multum Cicerone usus est, et in eius contubernio in consulatu fuit (pro Sulla 11 et 34). L. Sullam, patris in consulatu competitorem, una cum patre ambitus accusavit et damnavit (II, 62, pro Sulla 49), postea eundem a. 62 de coniuratione frustra accusavit, defendente Cicerone, quae defensio extat. A. 49 praeturam gessisse, intellegitur ex Caesaris libr. I B. C. 24; in hoc sermone designatus praetor inducitur libro II, 74; itaque is a. 50 habitus fingitur. In bello civili Torquatus Pompeium secutus (ad Attic. VII, 12, IX, 8) et in Graeciam transgressus cum a Caesare captus (Caes. B. C. III, 11) dimissusque esset, in Africa perit (Brut. 265, Script. de B. Afric. 96). Studia eius Cicero in Bruto (265) his verbis laudat: L. Torquatum non tam cito rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat gravitas et integritas. Ea studia significantur etiam in hoc libro 25, memoria excellens libro II, 113.

C. Valerius Triarius (qui a nonnullis confunditur cum eo Triario, qui, cum Luculli legatus esset, infeliciter contra Mithridatem pugnavit; vid. Drakenb. ad Liv. epit. 98, Heinrich. ad Ascon. argum. orat. pro Scauro p. 6 edit. Kilon.) item Pompeianus fuit, parti classis Pompeianae praefectus et pugnae Pharsalicae particeps (Caes. B. C. III, 5 et 92). Cum in bello perisset (Brut. 266), liberorum eius Cicero tutor fuit (ad Attic. XII, 28). Huius quoque litterae et studia in Bruto (265) laudantur: Me quidem admodum delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! Quo teste nonnulli eum a. 52 tribunum plebis fuisse statuunt, nescio; nec magis scio, cur Goerenzius (ad I, 13) eum quadraginta quattuor vel quinque annos natum obisse dicat

et ideo a Cicerone adolescentem appellari. Ipsa haec appellatio Ciceronisque in Bruto verba (in illa aetate) aliquanto minorem fuisse ostendunt.

I. 1. Non eram nescius, Brute, cum, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis litteris mandarem, fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam qui-
5 busdam, et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet, philosophari. Quidam autem non tam id repre-

VARIETAS SCRIPTURAE.

[Inscriptio in A haec est: *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber incipit.*] 5. et his [A] LP et is C 6 non id tantum LPMCR non id tam Or. reprehendent R [reprehenderunt A¹]

ANNOTATIO.

Cap. 1 § 1. *Non eram nescius*) Easdem res, quas in hoc exordio, Cicero attingit Academ. II, 5 et de N. D. I, 5 sqq., ubi quod *benevolos obiurgatores* cum alii, tum Heindorfius et Wolfius Stoicos intellegunt, *invidios vituperatores* Epicureos, falluntur; nihil enim Cicero ibi dicit, quod ad scholarum discrimina pertineat (et habebat omnium benevolentissimum Epicureum Atticum), nec Epicureos ad *paenitentiam reprehensionis* adducturum se putabat aut Stoicos nova docturum, sed, ut hic, contra Romanos studiorum suorum reprehensores pugnat, quorum alii mitius et amice obiurgabant, alii molestius obtrebant.

non tam id reprehendunt) Non satis confirmatur exemplis, *non tam*, quemadmodum *non ita*, dici, evanescente comparatione, pro eo, quod est *non admodum*; ne illud quidem ita ponitur apud Ciceronem et vetustiores, nisi ante adiectiva et adverbia; vid. Handii *Turs.* III p. 490; ante verba dicitur *non ita valde*; nam ad Att. III, 15, 3 potest audiri *ut tu*; de reliquis, quae Handius p. 492 disputat, dicam ad II, 17. In iis, qui proferuntur, locis facile ex adiunctis auditur, ad quod *tam* referatur, velut II de Div. 58: *haec in bello plura et maiora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace* [et Verr. III, 190 et pro Rab. Post. 3: *non tam homines probassent*]. In Livii loco (XXXIII, 45, 4: *eam rem esse rati, quae maturata dilatare non tam magni momenti ad summam rem*

hendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi Graecis litteris, contempnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me 5 ad alias litteras vocent, genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen et dignitatis esse negent. 2. Contra quos omnes dicendum breviter existimo. Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset 10 accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber cum et tibi probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare ar-

2. in eo ponendam C 3. ii quidem M [contempnentes A semper]
9. equidem PR 10. philosophia a nobis E collata P 12. his C

publicam esset) tam pro ita in unico codice ortum est ex sequenti littera m; et video, nuper Kreyssigium ita edidisse. Sed qui hoc quoque loco audiri volunt: *quam illi, quibus totum hoc displicet*, non vident, illos non gradu, sed genere ab iis, qui nunc commemorantur, separari; et obstat pronomem interiectum inter particulas et verbum. Itaque haec potius est sententia, quam etiam Otto exposuit: Non tam id (ipsam rem) reprehendunt quam nimis magnum studium; pro hoc altero membro Cicero inflexa leviter oratione subiecit illa: *sed tantum cet.*, ut magis exprimeret sententiam et orationem adversariorum. Eadem orationis forma est in Brut. 58: *quae (svaviloquentia) nunc quidem non tam est in plerisque; latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur; sed est ea laus eloquentiae certe maxima*; significat, non tam esse svaviloquentiam nunc in oratoribus, quam ipsam laudandam et requirendam esse. Et in hoc ipso libro § 10 sic dixit: *nec cum istis tanto opere pugnare — et iis servire*, id est, *quam iis servire*. [Add. I de Legg. 40.] Ut edidi, *non tam id*, scriptum est in Pal. 1, [B] mg. Crat. *Non id tam*, quod inde a Victorio fere editum est (a Grut., Ern., Gzio, Or.), pravo positu (neque enim divelli debet *non tam*), erat in cod. Vict., fortasse uno et altero praeterea; nam Oxx. de tribus tacent. Ex eo nata est scriptura vulgaria codicum, ex qua Dav. faciebat *non id tum*.

2. a nobis philosophia) phil. a nobis [B] „multi scripti et veteres editi“, si Gzio credas; puto eum praeter Erl. id in Spir. et fortasse Gud. 2 repperisse, alibi nusquam.

bitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum
5 coërceri reprimique non potest; ut propemodum iustioribus

3. placet E 4. iam missum [A]ELPMR 5. possit L

ne movere hominum studia) A. Matthiaeus (Vermischte Schriften, Lips. 1833, p. 1, Miscell. Philol II p. 93) scribendum putavit *movere posse*; debebat alio ordine, ne obscuraretur ea ipsa vox, in qua contrarie posita sententiam verti volebat; sed inutiliter haec tentantur; moveri enim studia apparebat tenebaturque ipsa res; de retinendi facultate et potestate dubitari poterat. Mox *si maxime* non tam miror a Goerenzio annotari tamquam rarum, quod est pervagatissimum (vid., si tanti est, pro Quinct. 35, in Verr. II, 164, IV, 91, V, 20, in Cat. I, 29, Tusc. III, 51), quam Handium (III p. 587 et 592) ab hac communi forma seiungere videri Terentii Phorm. II, 1, 65 et Eun. V, 2, 26 et Plauti Bacch. IV, 9, 80: *nam ego non laturus sum, si iubeas maxime* (ubi *maxime* vult esse *instanter*). [*Εἰ τὰ μάλιστα, εἰ ὅτι μ.*]

semel admissum) Codd. meliores (Pal. 1, [B.] cod. Mor., Erl.; de ceteris siletur) et deteriorum longe plures (omnes Pall., quinque Davisii) habent *semel iam missum*, quod ferri nequit; nam nec *iam* habet, quod hic agat (itaque in cod. Guelf. Bremii omissum est), nec translatio a telo misso ducta placere potest. Quod editur, sumptum ex paucis exiguae fidei libris (praeter C cod. CCC Davisiano, Oxx. Uχ; Eliens. Davisii habebat *iam admissum*), dissentiunt, utrum ab equo laxis habitus admissio traductum ad concitationem studii significandam sit an pro eo, quod est *receptum*, *aditu patefacto*, accipi debeat. Priorem significationem Rubenius (ad Senec. de Ira III, 6) assequi volebat et simul propius ad codices accedere, cum *semel immissum* scriberet, quo verbo de equo usus est Galba in epistula ad Ciceronem (ad Fam. X, 30, 3), translate *semel* et iterum Seneca, ut Epist. 40, 6: *oratio perturbata et immissa*; apud Ciceronem ceterosque eius aequales non reperitur sic positum. Verum ut nihil dicam de ipsa comparatione equi et studii, quod studium concitatum cum equo admissio comparari potest, non continuo sequitur, ut ipsum, remota comparatione et ascita translatione, *admissum* sic dici a Cicerone potuerit; multo minus id participium convenit notioni indefinitae (*in eo, quod*); et omnino concitari studium vetabant reprehensores. Itaque probandam veterem correctionem puto et

utatur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituent in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. 3. Sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est, tamen nec 5
modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defatigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, cum scribimus, quis

1. iis LPM 2. reque, quae eo melior est C 3. fit C ad om. E
5. Inter etiam et est interponunt sapientia omnes, Or. cum unciis. 6. ullus est E 7. defatigatio [A¹]E

iam missum ex ammissum ortum esse, quomodo in hoc et aliis verbis saepe scribitur in Erl. et scribebatur fortasse in codice archetypo; accipio autem *admissum* simpliciter, nec desidero, quod quidam tum adici debuisse credunt, *in animum*; generalius enim dicitur, estque contrarium *excludere*. Est hic locus ex iis, in quibus difficulter diiudicantur verborum significationes, quod non satis constat, quam late in vita communi patuerit singularis aliquis usus.

3. *fruenda etiam est*) Quod in codd., excepto uno Eliensi, interponitur, Manutium aliosque sequens eieci; nam quae exempla et ab aliis et hic a Bremio proferuntur vocabulorum intra breve spatium abundanter repetitorum (et quis dubitat, quin in hoc genus neglegentiae interdum et alii veteres et Cicero quoque inciderit? etsi in nonnullis, qui citantur, locis nihil est quod reprehendas, ut in Tusc. IV, 64, ubi in duplici definitione repetitur vox definienda, et de Legg. III, 41, ubi post *rem publicam*, obiecti loco positum, additur *res publica*, subiecti loco; tantum minus apto loco positum videri possit; rectius advocatur de Divin. I, 46), — sed ut dicere institueram, ex illis exemplis nullum huiusmodi est, in quo nominativus in protasi positus repetatur in apodosi continuo subiecta (nisi quod in syllogismis hoc interdum fit de industria); multo autem minus pronomini (*ea*) ad substantivum relato ita ipsum substantivum superaddi potest.

Etenim cet.) Non ad proximam sententiam haec ratio pertinet, sed ad primam quaestionem de moderatione adhibenda; nam particula *etenim* utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur, ut saepe fere idem sit ac *porro, praeterea*. Exempla sunt Verr. III, 178, Tusc. III, 20, de N. D. II, 77, de Divin. II, 89, ubi Hottinger *et* malebat nec a recentioribus refutatus

est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus, quis est, qui alienae modum statuatur industriae? Nam ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

5 Fodere aut arare aut aliquid ferre denique

1. *timidus* E *deducat* E 2. *non ut* P¹ *ut om.* E

est (cetera sic legenda sunt: *cum tempore anni tempestatum atque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu*), ibd. II, 142, ubi idem *at enim* scribi volebat. Hoc etenim ante hos paucos annos e codd. restitui Ciceroni in orat. pro Balbo 24 (*Etenim in P. R. grave est*) et 32 (*Etenim quaedam foedera extant*).

[*abducat*) Cesseram in priore edit. auctoritati cod. Erl., non recte. Etiam B *abducat*.]

Nam ut Terentianus Chremes) Errorum cod. P secutus est Lallemandus, oblitus, particulas ut — sic non minus poni in contrariis comparandis quam in similibus; vid. modo huius operis lib. I, 49 et 67, II, 67 et 100, al.

(*aut aliquid ferre denique*) Versus est ex Heautontimor. I, 1, 17, ubi Chremes Menedemum admonet, ut sibi parcat. Bentleius ex Eugraphio et Donato ad Phorm. I, 2. 71 legit *aliquid facere denique*. Equidem apud Terentium illis assentior, qui a voce *denique* novam sententiam incipere statuunt; nam postquam Chremes dixit *tam mane et tam vesperi*, colligit omnia: *denique Nullum remittis tempus*. Donatus quidem (ad Phorm. l. c.) hoc loco utitur, ut ostendat, solere Terentium *denique* in fine ponere; nec tamen minus frequenter initio ponit, ut Eun. Prol. 40, Andr. I, 1, 120, Eun. III, 1, 42 et 54 et alibi (vid. Westerhovii ind.). Sed Ciceronem hoc loco alteram sententiarum distinctionem, quam versus subiciebat, secutum esse patet; nam Lambino, quosdam libros non habere *denique* affirmanti, non credo. Tum *denique* aut generalem notionem (*facere*) requirere videtur aut leviolem, quam quae est in *fodere* aut in *arare*. Nam frustra Handius (II p. 270 et p. 277) huic particulae minuendi vim eripere studet, quae oritur necessario, conversa orationis forma, ex ea, quam ipse p. 268 explicavit, intendendi significatione; itaque ipse sibi repugnat, cum *aut denique* in negatione dicit esse *aut ne — quidem*. Ipsa illa enumerationis concludendae forma significatur, id, quod postremo loco ponatur, minimum esse, in quo consistat oratio tamquam in extremo; id potest esse et est fere generale; minus est enim, sublata hac vel illa prae-

(non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret), sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

II. 4. Iis igitur est difficilium satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, 5

1. *illum enim* L *illum* R 2. *ostendit* E 4. *his* [A]ELPCROr. [Latine A²]

cupua specie, genus tamen relinqui; sed tamen non raro directo significatur una aliqua res minor. Qui enim potest in Caesaris locum, quem Handius citat, B. G. II, 33 includi illud, quo utitur. *omnino*, nisi *praesidia deducere* species erit *indiligenter servandi*? Nec sane apud Horatium Sat. I, 2, 133 fama nummos et pugam complectitur. Perverse autem in Horat. Epist. II, 2, 127 delectatio dicitur esse species fallaciae; nam *fallere* manifestum est ibi dici, quae non animadvertantur et ignorentur, non quae decipiant. Postremo, si *denique* non interdum est *certe*, quid fiet Livio, qui IV, 55, 5 scripsit: *tentati, ut tum denique desisterent impediendo bello*, id est, hoc saltem tam periculoso tempore? [Add. Cic. ad Fam. V, 16, 3, Rhet. ad Her. IV, 8, Asin. in ep. ad Fam. X, 33, 5.] Nec tamen dubitari potest, quin Cicero *ferre* posuerit, sive ita Terentius scripsit sive non scripsit. Cicero igitur in uno versu recitando non satis attendisse videtur ad coniunctionem vocum *ferre denique* aut potius ad ipsum *ferre*, et id tamquam minus accepisse.

curiosi) Apertius h. l. et II, 28 haec vox in reprehensionem trahitur, *τὴν πολυπραγμοσύνην* hominum alienas res nimis curantium significans, quam N. D. I. 10 (*curiosius quam necesse est*) [aut Off. I, 125]; cfr. Sveton. Aug. 27 (*curiosus et speculator*). Nam Quintilianus VIII, 3, 55 (*ut a diligenti curiosus et a religione superstitio distat*) aliam curiositatem intellegit.

Cap. II, 4. *Iis igitur est difficilium*) Nam superiorum curiositatem nullo argumento utentium facile erat vel docendo vel neglegendo vincere; hi pertinacius urgebant et speciosius. Eodem modo Cicero fabularum exemplo refellit eos, qui orationes Graecas quam Latine conversas legere malint, de opt. gen. orat. 18.

Latina scripta) *Latine* mg. Crat. et cod. Vict., ediditque Lambinus; sed hoc participium sic in substantivum transiit, ut, si tamquam participio adverbium adiunxeris, aliud intellegatur, res Latine dictae et verba recte et Latine posita, non libri Latini.

in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum iidem fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam ini-

2. *patr. sermo* LPMCROr. tum E [*idem* A] de LPMCROr. 3. *legantur* E

(*in quo admirer*) Insolenter dictum; itaque Lambinus scripsit *quod demirer*; nam sic admirandi verbum mutare is solebat, ubi pro simplici positum erat. Dissimilia omnino sunt, quae Breuius profert exempla, in quibus dicitur *aliquem in aliquo admirari* (de Orat. I, 47, II, 316); nec tollitur dubitatio, quod satis notum est, illa praepositione id significari, quod materiam, locum, occasionem praebet, ut cum Theophrastus dicitur *vevari in eo libro, quem scripserit de vita beata* (Tusc. V, 24), aut cum aliquis *laetari in aliquo* (Phil. XI, 9) et alibi *gloriarī in aliquo*; nam verbi hic positi alia est natura, accusativum requirens eius rei, quam quis admiretur; nec ea rursus mutatur, quod Cicero ad Att. X, 17, 4 dixit: *de diplomate admiraris*, id est, non ipsum diploma et eius formam, sed datum id esse, ut *de* praepositio tantum universe rem, de qua agatur, indicet; similisque est ratio in orat. pro Mur. 39: *quid tu admirere de multitudine indocta?* hoc est: quid tu id, de quo dictum est, studium ludorum, admirere de multitudine (in mult.) indocta? Itaque id unum efficitur, maxime ex loco illo ad Attic., paulo durius interdum sic poni *admirari*, ut non directo referatur ad rem, quae admirationem afferat. Id h. l. durissime fit, ipso illius rei vocabulo (*quod*) aliter (*in quo*) adiecto. Nec tamen in codicum consensu in tali re, cum nulla erroris causa appareat, de scriptura videtur dubitandum. [Fuit, qui me doceret audiri *eos*, ut scilicet Cicero hac utatur oratione: *hoc est in te, in quo te admirer, cur me tūlia moneas. Mox sermo patrius restitutum ex ABERl.*]

(*ad verbum e Graecis expressas*) Sic etiam [AB] cod. Vict.; editiones *de*. Dissentire a se Cicero videtur Acad. I, 10: *an quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poetarum?* Quae interpretando tentantur, ut Cicero utroque loco idem dixisse videatur, rem non expediunt, ut illud, *non — sed esse non solum, sed etiam*; quamquam oratorie illas particulas positas esse tenendum est. Minuitur dissensio, quod illic universe de poetis, hic de certis fabulis Cicero loquitur; neque enim omnes eodem modo conversas fuisse veri simile est. Tum utrobique rem exaggerat, illic verba expressa negans, quod aliqua vertendi libertas apparebat, hic affirmans, quod fabulae Latinae multum ab illa libertate abhorrebant, qua ipse Graecorum philosophorum sententias reddebat. Utro loco propius ad veritatem Cicero ac-

micus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se iisdem Euri-

1. *nomini paene* E 2. *quod si* E *qui se* LPMCROr

cesserit, disputant tragoediae Romanae existimatores, ut Langius in Vindiciis Trag. Rom. p. 16.

paene nomini) Ut in [B et] Erl., sic in duobus praeterea suis transponi Gzius ait. Pertinere sane *paene* videtur non ad praecedens adiectivum, ut is putat, sed ad subsequens substantivum; nam *nomen* ipsum Romanum odisse videtur, qui litteras Latinas odit. [Et reperitur *paene* substantivo, ad quod pertinet, et adiectivo genetivove interpositum, de quo dubitaveram, apud Ciceronem Legg. II, 4, quem locum indicavit Handius Turs. IV p. 418, Cat. 78, ad Fam. IV, 6, 1, Phil. II, 17 (quem locum Alanus indicavit). Sed auctoritatem cod. B et Erl. vincit A. *Inimicus paene* pro eo, quod est *paene inimicus*, a Cicerone dici potuisse, adverbio adiectivo subiecto, defendat aliquis ex I de Orat. 214.] Quintilianum non raro *paene* nomini postponere, ostendit Bonelli lexic. Quintil.

reiciat, quod — oderit?) Haec scriptura praeter [A et B et] Erl. confirmatur a mg. Crat., id est, optimis, tum a Gud. 2 et Bas., Oxx. Eξ. Quaerit Cicero, quis ita Ennii Medeam et Pacuvii Antiopam reiciat, ut hanc afferat causam, quod Graecas easdem amet, Latina scripta oderit. (Si quem offenderit *quod — dicat*, expectantem: *quod — delectetur* aut: *dicens se delectari* —, satis erit de communi Latinorum more in significanda causa, quam alii dixerint, Zumptium testem citasse [aut me ipsum, Gr. Lat. § 357 a not. 2].) Vulgata scriptura: *qui se iisdem* cet. duos efficit gradus interrogandi, ut primum simpliciter quaeratur, usque ad *reiciat*, deinde coniuncte de duobus. (Nam quod Klotzius in Quaest. Tull. p. 42 non gradationem esse vult, sed continuari omnia, ut posterius *qui sit cum tamen idem*, neque protulit neque potuit proferre ullum exemplum, ubi post huiusmodi formam orationis: *quis est, nemo est*, sic duo relativa ponerentur, ac non ἐκ παραλλήλου, ut duo aut plura negarentur. Uno modo sic poni duplex relativum post *nemo est* potest, cum prius definitur subiectum, de quo negatur, ut *modo* vel *quidem* additum sit audirive possit, deinde id ipsum, quod negatur, adiungitur, ut in Catil. IV, 16: *Servus est nemo, qui modo tolerabili condicione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat.*) Sed nec satis commode prius absolute interrogatur, cum de ipsa coniunctione utriusque rei agatur, nec recte in hac connexa interrogatione contraria ponuntur *eaedem Euripidis fabulae* et *Latinae litterae*; debebant

pidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam? 5. A quibus tantum

1. *litteras cum unciis Or.* 3. *tam COr.*

enim haec accurate respondere. Itaque Gulielmus et alii *litteras damnarunt*, ut esset: *qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas oderit?* Sed parum concinne componuntur *Euripidis* et *Latinas*. cum deberet esse *Graecis — Latinas*. Davisius, quod haec cum superioribus coniungenda esse sentiebat, etiam propter pronomen *iisdem*, quod melius annecteretur superiori quam in novae interrogationis initio poneretur, longius progressus haec omnia: *Latinas litteras oderit* eiciebat (quae aberant a Par. 2, quaeque postea Gzius in Spir. et Gud. 2 non invenit, de quo consensu vid. ad 27); pro *qui* ex uno El. scribi volebat *quique*, prava coniunctione contrariorum membrorum. Easdem voces omittentes Ern. cum scribi voluit, Gzius *quod* scripsit. Nulla omnino illorum codicum est auctoritas in iis omittendis, quae utriusque generis ceteri retinent. In nostra scriptura si omittatur *litteras*, vitiose idem in causali sententia dicatur, quod in primaria; nunc generalius est posterius. Medea Ennii notissima est. Antiopae Pacuvianae, in qua tractabatur contentio fratrum Thebanorum, Zethi et Amphionis, fragmenta sunt apud Bothium p. 102 [apud Ribbeckium, Trag. Lat. Reliq. p. 62].

Euripidis) Vict. cod. *Euripide*, id est, *Euripidi*; vid. ad § 14.

Synephebos ego, inquit) Paulo abruptiore oratione primum fere idem, quod negarat quemquam dicturum, sibi a diversa parte dici facit; deinde, cum tantum universe sententiam aliquam et orationem significarit, quasi ipsos homines nominarit, subicit relativum plurale (*a quibus*), dura figura. (Aliter Philipp. IV, 3 relativum laxius subicitur, sed singulare et de eo, cuius paulo ante nomen positum erat.) Synepheborum L. Caecilii Statii fragmenta non multa sunt apud Bothium p. 146 [apud Ribbeckium p. 58].

5. *A quibus tantum*) Rariore exemplo *tantum* dissentio dicitur pro *tanto opere*, quoniam *tantum* fere iis modo verbis additur, in quibus magis pro substantivo mensuram indicet quam pro adverbio gradum, ut cum *tantum abesse*, *tantum proficere* dicitur; nec longe abeunt ii loci, in quibus aliis quidem verbis additur, sed adiuncto *quantum*. (*Si me amas tantum, quantum profecto amas*, ad Attic. II, 20, 5, al.) Apud Livium XXXVII, 57, 12 est: *novum sibi hominem tantum praeferrere*. Eodem modo dicitur *multum*, velut hic V, 75 (*non multum supplicandum*), ad Attic. XIII, 6, 4 (*operam tuam multum amo*) et XIV, 13, 3

dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem; de quo Licinius, ferreum scriptorem; verum, opinor,

1. *Electram* om. L 2. *Atilii E Aulii* LPMR

(*multum me litterae consolantur*) et apud Caesarem non *multum confidere* et apud Cornelium aliquotiens; (Plautum et Terentium hic non numero). Nam in aliis locis *multum* non est pro *valde*, ut cum dicitur: *multum mecum municipales homines loquuntur* (ad Att. VIII, 13, 2), id est, *saepe*; cfr. Brut. 310, quem locum malle Handius III p. 668 coniunxisset cum iis, quos p. 670 n. 7 posuit. Nec ab alia causa *plus* non raro pro *magis* dicitur (Zumpt. ad Verr. II, 21; add. N. D. I, 72, Tusc. III, 72, Legg. II, 3, Parad. 2, Philipp. II, 38). Quod hic post Manutios a recentioribus editum est et tamquam contra novatores defensum, *tam*, nullam nisi primae editionis auctoritatem habere videtur; in codd. Davisianis sex erat *tantum*; [sic B].

Atilii [Sic A.] Etiam cod. Viet. *Aulii*. Atilii, *poetae durissimi*, versus ex comedia, ut videtur, citatur ad Att. XIV, 20, 3; Electra eius apud Svet. Iul. 84. Inter comicos ponitur in versibus Sedigiti apud Gell. XV, 24, nec aberrare eos credo, qui eundem a Varrone de L. L. VI p. 75 Bip. et a Gellio III, 3 nominatum putant. Mire vir eruditissimus, A. Weichertus, in commentat. de Licinio Calvo (p. 139), quod Atilius post Statium et Terentium nominatur, comice ab eo Electram conversam putat, novo genere vertendi, quod ne nunc quidem in hac omnium litterarum communione receptum est, ut Germanica, verbi causa, parodia scribatur tragoediae alicuius Gallicae; nec sane tum Atilii Electra eadem esset, quae Graece legeretur. Post bonos poetas tragicos et comicos malus nominatur sine generis discrimine.

de quo Licinius) Quis sit, incertum est. Vetustissimum poëtam comicum, Licinium Imbricem, fortasse Atilio priorem, quem I. G. Vossius et alii intellegunt, censuram scriptorum versibus exercuisse, prorsus improbabile est; a Lucilio et Attio hoc coepit (cfr. Opusc. nostra Academ. I p. 106); nec carminum leviorum et iocorum scriptor C. Calvus, Cicerone paulo aetate minor, intellegi potest. Superest, quem etiam Weichertus (l. c.) intellegit, Porcius Licinius, qui de poëtis aliquid versibus scripsit (Varr. L. L. V p. 45 Bip., Gell. XVII, 21, Svet. vit. Terent., Opusc. nostr. I p. 107); videtur enim is Cicerone aliquanto antiquior fuisse, fortasse etiam paulo Q. Lutatio, cos. a. 102 (Gell. XIX, 9). [Ceterum is rectius Licinus appellari videtur, ut, si hic intellegitur, littera detrahenda sit.] Quod post Vossium multi, nuper Weichertus, omnia usque

scriptorem tameu, ut legendus sit. Rudem enim esse omnino in nostris poëtis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra iguota sunt. An

5 Utinam ne in nemore —

nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum, quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? 6. Quid, si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta
10 sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus? quid habent, cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint neque

1. inde (pro tamen) C 3. illi LP 4. at [A] ELPC ac R 5. Post nemore L addit Pelio 6. qui E 8. Quod si ELPMCROR. 10. his CE officium C nostrumque dicendi L 12. dicta sunt [A]ELP

ad legendus sit Licinio tribuunt et in versum septenarium cum dimidio describunt, Licinium valde accommodate ad Ciceronis consilium scripsisse statuunt, qui non solum Atilium singulari voce notarit, sed excusarit etiam et legendos poëtas Latinos esse praeceperit. Scaliger, quum in codice suo repperisset *exscriptorem*, claudicanti versui, neglecta sententia, subvenit legitimamque caesuram reddidit: *ferreum scriptorem, opinor, verum exscriptorem tamen, Ut legendus sit*. Illud non nego, Ciceronem alibi, ubi pauca huiusmodi verba, non integram sententiam, a poëta sumat, suis verbis grammaticae annectere solere.

An *Utinam ne* cet.) Hoc in Spir. esse, Gzius ait, nescio, satisne certa fide, Lambinus in duobus, vereor, ne obsequiosis; ceterorum (Grut., Dav., Gzii, [B]), item ut nostri, codd. *at*, unus Par. Dav. et Ox. U *aut*, ξ *ac*. Verum restituit Muretus (ad Phil. XIV, 12), de quo dubitationem tollit frequentissima forma argumenti per interrogationem connexam conclusi superioribus subnectendi. Vid. Emendatt. nostr. Cic. libr. philos. p. 40, Hand. Turs. I p. 349 sqq. [*Aut*, quod vidi commendatum, ab hac orationis forma et sententia alienissimum est.] Exordii Medae Ennianae ad Euripideae exemplum expressi (*Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa accidisset abiegnata ad terram trabes* cet.) qui primos versus citarunt, enumerantur apud Bothium p. 52 [apud Ribbeckium p. 36].

6. *dicta sint*) Sunt Pal. 1 [B] et deteriores aliquot, *sint* Davisiani aliquot, Gzii duo. [Baiterus verbum delevit. Paulo ante *Quid si* pro *Quod si* restitutum ex A.] Mox *dicent* pro *dicerent* Lamb., e Pal. 1 Grut., e Parr. duobus Dav., Gzii tres, [B].

sint conversa de Graecis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. Quid enim est a Chryssippo

1. *dicerent* LPMCR 2. [*ipso* A (in fine versu)] *quid* E [*multas* A']

quam legendi sunt) Hoc non idem esse posse ac *leguntur*, quod Davisius putabat, non est opus doceri; quod autem Hottinger (ad Cic. de Divin. II cap. 7) pro *legi possunt* accepit, a quo re ipsa non abit Handius ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 369, explicans: *parati sunt, ut legantur*, id si per grammaticam ferri posset, a sententia respueretur; nec enim ad rem pertinebat, non opus esse omnes legere, qui legi possent; quis enim id faciebat? Itaque restat, ut cum Bremio intellegamus: quam legendi sunt, si quis doctus et eruditus haberi vult communemque studiorum rationem persequi. Illa autem gerundivi significatio prorsus abhorret a Ciceronis et aequalium usu. Primum in illo de Divin. loco agitur non de re, quae fieri possit, sed de praedictione rei futurae, ut *inveniendum* (esse) debeat esse *inventum iri*, quomodo ante Lactantium et Hieronymum nemo scripsit; recte nunc e bonorum codd. scriptura (*inventurum*) factum est *inventum iri*. (Caesar B. C. I, 72 loquitur de adversariis, quos, victoriae certus, sibi interficiendos dura necessitate videbat. [B. G. VIII, 4 ex uno malo codice editur: *millia nummum condonanda pollicetur*; ceteri *condonata* habent; quid scripserit Hirtius, incertum est. Unum firmum est exemplum in *promittendi* verbo apud Liv. III, 45, 3, ubi *promitto puellam sistendam* eodem modo dicitur, quo *voveo aedem faciendam*.) In Cic. de Off. I, 159 et de Orat. II, 209, quos locos Hottinger et Handius citant, ne minima quidem causa est, cur ab usitata gerundivi significatione discedatur. Neque, si quando Cicero dicit *intellegendum est*, id potius cum eo comparari debet, quod alibi dicit, *intellegi licet*, quam cum eo, quod item alibi, *intellegi debet*. In iis locis, in quibus Bremius et Zumptius (§ 650) eius, quod liceat facere, significationem esse putant (hic II, 77. III, 7, Off. I, 113), simul significatur, quid rectum sit et deceat; neque aliter accipi debet, quod Tusc. I, 2 legitur (*non — sunt conferenda*). Sed cum aliquid ferendum esse viro dico, *vix ferendum* primum erit, quod vix postulari a quoquam potest ut ferat (*vix quod ferri debeat*); hinc autem proximus transitus est ad id, quod vix ferri possit, significandum. Itaque non solum Caesar et Cornelius Nepos nullam timentes ambiguitatem sic dixerunt, *vix credendum esse*, sed eodem modo Cicero IV, 53 dolorem dicit *asperum et vix ferendum*. V, 32 etiam

praetermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele
5 ante tractatos? quid? Epicurei num desistunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a Graecis, iisdem de rebus alia ratione compositis, quid est, cur nostri a nostris non legantur?

2. *Panaetium* om. C 3 *Theophrastum* [A]EPMCR 5. *Epicuri* E non [A, sed superscripto *num*] L nam C [isdem A] 6 *quibus* ab LM

dolores *non ferendos*, et pro Cael. 37 *patres ferreos et vix ferendos* et de Orat. I, 96 et in Catil. II, 28 *vix optandum*. Sed horum nemo ad illud *vix (non) ferendus* quidquam addidit, quo magis emineret potestatis significatio, ut a Velleio II, 46 scriptum est: *res vix multis voluminibus enarrandae*. Deinde autem a posterioribus dictum est etiam *nulli cernendus. non cognoscendus*, de eo, qui cerni cognoscive non posset, quod genus Ovidius primus frequentavit, raro tamen sic, ut cum verbo *esse* coniungeret (Metam. VIII, 785). In aienti sententia posuit in Fast. VI, 720: *Continua Delphin nocte videndus erit* (*Gegenstand der Betrachtung*). [Trist. III, 4, 56. Ibid. IV, 4, 36: *Ultima si demas, vita tuenda mea est, hoc est, defendi potest.*] Prosa oratio vel postea modestior fuit in hoc usu.

Mnesarchum, Panaetium) Mire, cum in ceteris temporum ordinem et disciplinae servasset (nam Chryssippi Diogenes Babylonius, huius Antipater Tarsensis auditor fuerat), in his invertit; nam Mnesarchus Panaetium audierat, post quem Athenis docuit (de Orat. I, 45, Acad. II, 96). Panaetius Antipatrum. Aut igitur Cicero neglegentius scripsit, aut nomina transposita sunt, ut Gzius putat.

familiarem nostrum Posidonium) Eum Cicero viderat et audiverat Rhodi (Tusc. II, 61, de N. D. I, 6. Plutarch. Cic. 4). Venerat etiam Romam circa C. Marii mortem (Svid. v. *Ποσειδώνιος*, Plut. Mar. 45). Ad eum Cicero post consulatum litteras misit (ad Att. II, 1, 2).

Quid? Theophrastus) Etiam [B,] mg. Crat., cod. Mor., Pall. praeter 3 et Oxx. omnes *Theophrastum*, ut satis certum sit, non solum in Dav. et Gzii codd. idem fuisse, sed in cod. arch. Et tamen recte Aldus accusativum mutavit, ex praecedentibus nominibus ortum. Ac ne quis defendere conetur: *quid Theophrastum?* superioribus annexum, sequitur: *quid? Epicurei* cet.

III. 7. Quamquam, si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos 5 quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab

1. plane se sic E 2. mali E • 3. meretur E 4. ingenita E transferrem ingenia M 5. neque tamen mihi L [nec faciam A¹] ut faciam C interdictum puto ne faciam P

iusdem de rebus — compositis Haec verba in Spir., Gud. 2, Par. 2 exciderunt (vid. ad § 27), sine quibus sententia non constat, quae vertitur in illis: *iusdem de rebus*. Alia ratione composita recte dicuntur, quae alio ordine scribendique forma tractata erant.

Cap. III, 7. *male, credo, mererer*) Scaliger „ad oram libri sui“, El. 2, ed. Marsi: *non male*. Aperta est ironia. Sed annotanda est duplex sententia condicionalis uni primariae, quae media interiecta est, circumdata, quod fit item interdum in sententiis causalibus ita, ut posterior specialius aliquid contineat et ad rem, de qua agatur, propius pertinens, quod in priore quasi involutum lateat. Citat Otto Verr. IV, 43: *Si emeris, quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repetiturum, si id tibi sua voluntate vendiderat?* Eodem modo scribitur Tusc. V, 24 (quamquam ibi alterum *cum* magis comparare contrarium quam causam significare videtur), de Divin. II, 57, ad Att. I, 5, 4 (*cum multis dies aures meas Acutilio dedissem, non mihi grave duxissem scribere ad te de illius querimoniis, cum eas audire, quod erat subdiosum, leve putassem*). [Cfr. huius operis III, 38. Duas concessivas sententias sic posuit Cicero III, 58.] Add. pro Tullio 12, ubi attingit hoc genus Beierus p. 21; dixerat aliquid Heindorfius loco non apto ad N. D. I, 25 (nam is locus, in quo prior sententia cum altera pugnat, graviter mendosus est); de eadem Graecorum forma (sic enim sponte nascitur, ut apud eos quoque sit) v. Matthiaeus Gr. Gr. § 636, 2. Sunt aliae cognatae formae, in quibus post primariam sententiam distinctius explicatur, quod ante generalius et brevius dictum est, velut in consilio significando (pro Rosc. Amer. 14 ibique Matth.), in comparando (ad Q. Fratr. II, 15 a [13], 2: *hoc fortasse efficiam, quod saepe* cet.) [Top. 100, Philipp. III, 35 et IV, 11.] Diversa est ea condicionalium sententiarum ratio, de qua dicitur ad II, 112.

et maxime ab iis) Ad Att. VI, 2, 3: *Atque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli*. Male igitur in Svetonii

iis, quos modo nominavi, cum incidere, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet. Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et

1. *his* CR 2. [*amandro* A] 3. *nec ut* (om. *vero*) PR *aut noster* E [*omnis* A]

vit. Terent. c. 5, quod olim edebatur: *cum centum et octo fabulis conversis a Menandro*, nescio quando mutatum est, ut esset: *e Menandro*. Nam etsi dicitur (libro II, 2): *e Platone intellegi potest*, de significationibus per scripta sparsis, tamen loci et fabulae sumuntur et convertuntur a Menandro. Solet om. cod. Scaligeri.

ut noster Lucilius) II de Orat. 25: *C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea, quae scriberet. neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse; de quo (non recte recentiores contra codd. de omittunt; quo sic dici nullo modo potest) etiam scripsit: Persium non curo legere; hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus; Laelium Decimum volo; quem cognovimus virum bonum et non illitteratum, sed nihil ad Persium. De C. Persio, Gracchorum aequali, cfr. Brut. 99.*

Scipio vero et Rutilius) Scipionem litteratum illa aetas vix habuit nisi P. Africanum minorem. de quo vid. Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. 25. P. Rutilii Rufi, hominis prope perfecti in Stoicis, qui post consulatum (a. 105) iniustae damnationis calamitate nobilitatus est, multa apud Ciceronem mentio est (Ellendt. l. c. p. 49, quosque citat Henrichsenius ad Cic. de Or. I, 227). Scripserat etiam Graece historiam (Athen. IV p. 168 E). Hos igitur iudices nimis intellegentes, Scipionem etiam orationis elegantia excellentem, Lucilius reformidans, illis se scribere dixerat, qui in confiniis, ut ita dicam, Graecae et Latinae aut potius Oscae linguae nati parum subtiles essent scriptorum iudices. *Bilingves Brutates* Ennius dixerat, quod Graece et Osce loquerentur (Fest. v. *Bilingves*); in Bruttiiis Consentia erat. A. S. Wesenbergius, amicus meus, (in censura quadam Danice scripta) scite suspicatur, Lucilium illo, quem Cicero significat, loco facete orationem parum puram et Graecis verbis intermixtam excusasse. Neque enim constat, ex eodem Lucilii loco sumpta esse et illa de Persio et haec de Scipione et Rutilio; potiusque e duobus petita videntur; altero non doctissimis nec tamen rudibus se scribere significabat, Laelii exemplo utens, altero indoctis et vulgo.

Rutilius multo etiam magis; quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alia; sed neque tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris. 5
8. Ego autem quem timeam lectorem, cum ad te, ne Graecis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere? Quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod 10

3. *alias* omnes. Or. nec C tunc PCOr. 4. *elaborare* E 6. *ego quidem quem* E *timeatur* E 8. [*prouocatis* A¹] *gravissimo* L 10. [*usui venire*, mutat. ab ead. m. in *illud euenire* A] *venire usu* LPMCR.

sicut alia) Sic Ursinus in codice esse scribit, suspecto testimonio [B quoque *alias*]; sed iure ipsam scripturam probat Wesenbergius. Nam *alias* apud Ciceronem et omnes ante Plinium est *alio tempore*, numquam *alio loco*; (ad Attic. XVI, 11, 7 apertissime tempus significatur; Cicero scire vult, qui nunc in illis locis gratia floreat, quoniam non iidem semper gratiosi sint); temporis autem significatio in scriptis sic citandis inepta est. Deinde *alias* (non addito *saepe*) significare videtur unum aliquod tempus. Atqui nec loco uno alio nec tempore facete Lucilius scripserat, sed saepe multa, id est, *alia*. Litterula ex sequenti voce adhaesit.

sed neque tam docti cet.) Sententiae paulo obscurius sic cohaerent: Sed neque tum, si Scipionem et Rutilium et fortasse paucissimos alios excipias, erant homines tam docti, quam nunc sunt, ad quorum iudicium scripta sua componeret; (itaque, cum se ad minus excultae multitudinis captum accommodaret, iure subtiles illos arbitros vitabat); et scripta illa leviora sunt, ut vix videri queant summos illos viros doctrinae copia tenere potuisse. (*Tum pro tunc* etiam [AB,] cod. Vict. et Dav. e tribus suis.)

8. *ne Graecis quidem cedentem*) Vid. Acad. I, 12, Tuscul. V, 1 et 30. Veterem academiam ab Antiocho suscitatum Brutus sequebatur (Plut. Brut. 2). Scripta Bruti de philosophia Quintilianus non mediocriter laudat X, 1, 123; cfr. Dialog. de Orat. 21. Librum *de virtute*, quem ad Ciceronem miserat, id est, ei inscripserat, nominat Seneca Cons. ad Helv. 9; *de officiis* Charisius p. 83 et Priscian. p. 679. quem Senec. Ep. 95, 45 *περὶ καθήκοντος* appellat; *de patientia* Diomedes p. 378.

inciderint in inculpta quaedam et horrida, de malis Graecis Latine scripta deterius. Quibus ego assentior, dum modo de iisdem rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis graviter ornatique dictas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. 9. Quem

1. *in om. I. male Or.* 2. *quid ego assencio E* 3. [*hisdem A*]
4. *dictatas [A]EPMCR* 6. *praetor omnes*

in inculpta quaedam et horrida) Amafinii et Rabirii (Acad. I, 5, Tusc. IV, 6) et Catii Insubris (ad Fam. XV, 16 et 19), Epicureorum, quos Cicero etiam Tusc. I, 6 et II, 7 et h. oper. libr. III, 40 tangit.

de malis Graecis) Aberravit Ernestius et post eum alii, *de male Graecis* scribentes, quod Ernestius in editione principe Moguntina esse dicit, deceptus, si Coloniensem intellexit, compendio minime dubio. Nemo dixit nec *male Graecus* nec *bene Graecus*, quia *bene* et *male* non adduntur adiectivis huiusmodi definitae notionis, quae gradum non habent. Illud dicitur, *bene Latine* (lib. II, 10) et *non optime Graece respondere* (II de Orat. 75), adverbii ex aequo positus. Deinde orationis Graecae vitia non offendebant eos, qui in Latinas interpretationes incidebant; Cicero intellegit malos Graecos libros vertendo, accedente horrido sermone Latino, factos deteriores. Itaque, ne de solo orationis genere dici putes (et qui potest, quoniam aperte Epicurei significantur, qui non verborum genere, sed rebus a ceteris abhorrebant?), addit *de iisdem rebus*.

dictas) Scriptura necessaria, a Lambino reperta, malos sponsores habet Par. 3 et L et fortasse Par. 1 Davisii; ceteri omnes *dictatas* [etiam B et, de quo olim dubitabatur, Erl.] duo Gzii *ditatas*. Res bonas bene scriptas Cicero dicit.

est praetore) Codicum mendum Manutius correxit. Res intellegitur ex Lucilii versibus et ex eo, quod Albucius praetoram in Sardinia longe post gessit. T. Albucius cum Athenis adulescens esset, perfectus Epicureus evaserat (Brut. 131). Q. Scaevolam augurem repetundarum accusavit nec damnavit (Brut. 102, de Orat. II, 281); postea ex praetura Sardiniensi ipse repetundarum damnatus (pro Scauro 40, in Pison. 92) Athenis exulavit (Tusc. V, 108), doctus homo Graecis litteris vel potius paene Graecus (Brut. 131) ac levis (de prov. cons. 15), quem etiam ob ineptias orationis Lucilius irriserat (de Orat. III, 171, Orat. 149). Cetera de

quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaevola:

2. [*Scaevola dicit A²*]

eo collecta sunt in ind. Orelliano. In eum adulescentem Athenis incidit Q. Scaevola in Asiam proficiscens praetor (de Orat. I, 75). [A. 121 a. Chr. Scaevolam praetorem fuisse, sine certo, opinor, testimonio ponitur, coniectura ducta ex consulatu, quem 117 gessit.]

9. *Quem quidem locum*) Apparet, aut verbum excidisse aut aliquid depravatam esse. Nam qui verbum eiusmodi, quale est *persequitur, tractat*. omitti potuisse statuunt, ut Wopkensis Lectt. Tull. p. 52, non tenent, quos fines illa res habeat. Praeterrmittam nunc dicendi verba, de quorum ipsorum omissione possunt quaedam utiliter notari, velut recte omitti *inquit* in hoc positu: *mihī vero, ille*, de quo dubitatum est ad Acad. I, 14; cfr. de R. P. III, 44, Tusc. I, 104; non recte omitti coniunctivi modi verbum in sententia condicionali conjunctioni causali subiecta, ut factum est in Acad. II, 88 (*diceret*). Sed alia verba omittuntur. oratione ad familiarem consuetudinem accedente. in brevi sententia a reliquis diiuncta, aut cum adverbio posito iudicatur de re aliqua, aut ubi partim ex subiecto et cohaerentia orationis, partim ex obiecto aut praepositione verbo subiecta intellegitur una illa, quae apta sit, verbi notio, ut hic II, 17 et 65, IV, 1 et 80, ad Att. I, 18, 6, II, 12. 2, IV, 8 B init., de N. D. III, 94, II, 1 et 11, Tusc. I, 34, II, 41. Interdum quidem ex sola cohaerentia orationis et ex rei praegressa commemoratione verbum definitur, ut II Philipp. 72 (*A me Caesar pecuniam?* Gravius sic primariae notiones aures feriunt; cfr. ibd. 74, ubi ego delevi *accepisti*). ad Attic. IV, 8 B 2; cfr. Orat. 20, de Off. III, 109, quibus utrisque locis *ἀπὸ κοινῶν* sumitur faciendi notio. Hoc igitur, de quo agimus, loco neque propter incertam notionem neque propter adiecta illa *cum multa venustate* neque propter sententiae cum proxima implicationem audiri verbum potuit. Emendandi conatus parum felices fuerunt, primum Ursini: *iocum — ridet* (pro *idem*) *Lucilius* (*iocum* etiam Scaliger in cod. invenisse dicitur; neque *iocus* neque *locus* ridebatur); deinde Moseri: *quem iocum — reddit Lucilius*. Prorsus tenendum. *idem* propter superiorem Lucilii facetiarum mentionem. Locus autem ille a Lucilio tractatus non solum iocus ille Scaevolae fuisse videtur, sed de nimio et affectato rerum Graecarum studio; itaque signantius Cicero dixit: *quem quidem locum*.

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sa-
binum,

Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signife-
rumque,

Maluisti dici; Graece ergo praetor Athenis,

5 Id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto:

Χαίρε, inquam, Tite! Lictores, turma omni' co-
horsque:

Χαίρε, Tite! Hinc hostis mi Albucius, hinc ini-
micus.

2. Pontii [A]ELPMC [Tiranii A¹, Tritanii A²]E Titi Annii C
4. enim E 5. quod id PMC quod L quod tu id B accedis et omnis
plene scribitur. 6. [chaere et mox chere A] care et mox chere E chere
bis LPMCR chorusque omnes 7. hic [A¹]E [mi om. in rasura A; pro
eo] Mucii (Mutii) LCR mummi PM [Albutius A]

cum multa venustate) Addita una cum adiectivo praepositio,
in qua fuit qui offenderetur, magis comitatum aliquem et
adiunctionem (ut hic venustatem per omnem narrationem
fusam) quam modum significat. Exempla quaedam collegit
Handius Turs. II p. 156—158, qui quod Latinos dixisse putat
fide amicitiam colere, nemo dixit. [Gr. Lat. § 258.]

Ponti, Tritanni) T. Pontius centurio viribus excellens
nominatur Cat. 33. Tritannus alius esse videtur ac gladiator
ille eximiis viribus, quem Varronem sequens Plinius comme-
morat H. N. VII, 81 [ubi codd. fere *Tributanum* habent] et
Solinus, pater filii non minus eo genere excellentis (add.
Vopisc. Firm. c. 4, coll. Duk. ad Liv. IX, 40, 2). Neque
enim gladiatorem centurionem illa aetas vidit. [*Tritani* Bait.]

praeclarorum hominum ac primorum) *Homines primi* ali-
quotiens cum laude honestatis dicuntur in Verrinis (vid.
Zumpt. ad I, 67 et ad IV, 50), Tusc. I, 81, pro Sest. 114.
Rustica haec nobilitas fortium hominum atque antiquorum in
memoriam revocat *pueros illos magnos, magnis e centurionibus*
ortos apud Horat. Sat. I, 6, 73 et *gentem hircosam centurionum*
apud Pers. III, 77, coll. V, 189.

cohorsque) Sic primus, quantum video, Manutius; codices
etiam aliorum (etsi de plerisque tacetur) *chorusque*, ut [B.]
Oxx. Eξψ.

mi Albucius) Sic („proxime mss. nostros“ Grut.) etiam
mg. Crat. (de Vict. cod. dubito), e Davisii codd. El. unus;
cetera turba eius et Oxx. *Muti, Mutii, Mucii*. Gzius tacet.

10. Sed iure Mucius. Ego autem mirari *satis* non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus; sed ita sentio et saepe disserui, Latinam lingvam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiore etiam esse quam Graecam. 5
Quando enim nobis, vel dicam, aut oratoribus bonis aut

1. *satis* om. omnes; *satis mirari* Or. 2. *tam* om LPR 3. *hic omnino* ER 4: *non modo inopem* [A]EP 6. *vel nobis dicam* LMC

10. *mirari satis non queo*) Necessarium supplementem primus interposuit Aldus Manutius, sed ante *mirari*; apud Ciceronem bis legitur *mirari satis non queo*, semel *satis mirari, iudices, non queo*. Codicum scripturam defenderunt Rathius et Gzius, qui hoc Ciceronem dicere putant, causam se quidem videre, sed non esse hic eius exponendae locum. Lepide profecto Cicero, cum rei tam mirae, et de qua tam multa dixerit, causam sciat, eam nec hic nec alibi exponit, sed alia narrat. Et tamen dixerat initio (§ 4) se hoc mirari; et statim ostendit, non se causam tenere illius fastidii, sed nullam esse causam. Nihil dico de orationis forma, in qua *mirari non queo* erit *non miror*. Sed boni illi viri ea, quae sequuntur, de causa fastidii intellexerunt, cum hoc Cicero dicat, se iudicium suum de divitiis lingvae Latinae nunc plene explicare non posse. [Quod Baiterus, Alani Hiberni coniecturam secutus, scripsit *rimari non queo*, nihil obstat, quo minus Cicero rimaretur, unde fastidium illud esset, sed intellegere non poterat. Nec potest sic intellegi, non esse nunc tempus id rimandi; nam nec *nunc* additur et hoc post demum dicitur: *Non est omnino* cet. Neque in tali re Cicero *rimari* quasi de investigatione rei occultatae dixisset.]

non modo non) Alteram negationem a quattuor suis optimis abesse Gzius dicit. [Abest a B.] Non est opus eos refutare, qui, erroribus aliquot librariorum patrocinantes, omitti *non* ante *sed etiam* posse defenderunt [non animadverso, qua sententiae singulari inclinatione fiat, ut ante *ne* — *quidem* omitti possit. Et tamen in illo numero fuit C. O. Muellerus ad Varr. de L. L. IX, 7 et 14 (VIII p. 128 et 129 Bip.). Sed Varro codicibus quid in hoc genere tribuendum sit, apparet vel ex eo, quod in eodem libro (p. 130) pro *non modo* habent *modo*]. De ipso hoc iudicio cfr. III, 5, Tusc. II, 35, de N. D. I, 8. Simplicius verum fatetur alibi, ut hic III, 51 in persona Catonis.

nobis, vel dicam) E codice suo hoc sumpsit Victorius, quem Orellius secutus est, [habetque idem Erlangensis, non, ut, olim

poëtis, postea quidem quam fuit, quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae vel elegantis ornatus defuit?

IV. Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a

1. *poëtis* om. L [quem corr. eadem manu ex quae A] 2. *ornatus* ne fuit E 3. *cum forensibus* omnes, Or. 4. *videri* [A]E quo in populo E

priori collationi credidi, *nobis ut dicam*, quod idem significaret]. Idem in ceteris optimis fuisse, facile mihi persvadeo, etsi Gruterus suos vulgatum *vel nobis dicam* tueri dicit, Pal. 1 non excipiens [quem debuisse excipi nunc constat]; neque enim ordinem verborum curare solet. *Nobis, vel dicam, aut oratoribus*, id est, *vel potius* (ne de nobis dicam) *omnino aut oratoribus* cet. Sic Brut. 207: *mihi placebat Pomponius, vel dicam, minime displicebat*; ibd. 246: *nec hebes in causis, vel dicam, plus etiam quam non hebes*; pro Cael. 75: *qua ex vita, vel dicam, quo ex sermone*; Phil. II, 30: *stuporem hominis, vel dicam, pecudis attendite*; ad Fam. IV, 7, 3: *a plerisque, vel dicam, ab omnibus*; ad Attic. IX, 7, 1: *ne quid turpiter facerem, vel dicam, iam fecissem*. In solo Philippicæ loco unus codex deflectit, tentabatque Lambinus *ne dicam*. Svetonius Calig. 13 habet: *populum Romanum, vel dicam, hominum genus*; in Claud. 4 et 39 minus recte hanc formulam inferre conantur. [Varro L. L. VIII p. 106 Bip. dixit in augendo: *omnes binos consules, vel dicam amplius, omnia nomina*.] Coniecturas omitto.

Cap. IV. *quoniam* — *mihi videor*) Tollendus erat apertus vulgatae scripturae soloecismus, quem Ernestius viderat, ea ratione, qua post alios nuper Wunderus et Orellius in epistularum Ciceronis libris usi sunt; correxit etiam Otto. Bremius indicativum post *cum* eo defendens, quod Cicero de hac re tamquam certa et non dubia loquatur, incidit in errorem se indignum eorum, qui in causali sententia ceterisque, in quibus coniunctivus e nexu sententiarum oritur eiusque index est, incertae et dubiae rei eum significationem habere putant, quasi, cum ita dicam: *cum videam, haec fingi, non refutabo, dubitem*, aut, cum ita: *quaero, cur dicas*, non certum mihi sit, alterum dicere. Et tamen in hac notionum confusione et elementorum ignoratione quam se iactant! vid. modo Ramshorn. p. 712 et 768 (ed. 2) et Kritz. ad Sall. Iug. 4, 4. Neque tamen Bremius, quod Gzius ei affingit et probat, sic haec accipi vult, ut ante *debeo* intellegatur *tum*, sed cum ibi Lambinus *tum* addidisset (audiri enim posse, neutri in mentem venit), ostendit, sic tolli apertam conclusionem. Magnum numerum locorum, in quibus *cum* causale indicativus sequi putatur, rectius

populo Romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possum, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tanto opere

1. *sim* [A]EPMCR 2. *possim* [A]LPCROv. *laborare* LPMCR *labore studio* L 3. [*tantopere* A *semper et magnopere*]

interpretando removit Wunderus ad Cic. pro Plancio § 29, qui tamen quod ubique *cum pro eo, quod* accipit, mallem in aliquot locis admonuisset, Ciceronis aetatem retinuisse vetustiorum consuetudinem post *laudandi* et *gratulandi* verba *cum* ita ponendi, ut esset *quod*, de ipsa re, quae laudaretur et ob quam gratiae agerentur (vid. Terent. Andr. IV, 4, 32, Heaut. II, 4, 2, Adolph. I, 2, 58; cfr. Phorm. V, 8, 74, Andr. III, 5, 17; Plautina tria exempla e pluribus habet Gron. ad Liv. XXXIX, 12, 7, qui locus vel propter *id* eam defensionem respuit; sed dixit ita Cicero non solum ad Fam. XIII, 24, 2: *gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt*, et IX, 14, 3, sed etiam pro Mil. 99; Sallustius quoque Iug. 102: *magna nobis laetitia est, cum te talem virum di monuere*). Deinde neque in ipso illo Plancianae loco neque in § 78 *cum est eo, quod*, non magis quam in Verr. Act. I, 28: *quid faceres pro innocente homine et propinquo, cum propter hominem alienissimum de officio decedis?* Sed Latini interdum, cum, quid alicui rei consequens et consentaneum sit, ostendunt, actiones similes tamquam eiusdem temporis animo concipiunt; itaque, prorsus ut Cicero, Vergilius dixit (Ecl. III, 16): *quid domini facient, audent cum talia fures?* [et Horat. Sat. I, 5, 60: *Ni . . ., quid faceres, cum sic mutilus minutaris?*, et Od. I, 29, 16 (*tendis*). Cfr. ὅτε apud Graecos]. Haec si exceperimus, ceteros locos, ubi extra comicorum antiquam orationem (velut apud Terent. Andr. III, 2, 8, Hecyr. II, 1, 33 et IV, 1, 53) *cum* causale indicativum habet, non dubitabimus mendosos dicere. Ut hic in Erl. [AB] pro *videor est videri*, sic in epist. Balbi apud Cic. ad Att. IX, 13 A 2: *quod si una essem, aliquid fortasse proficere possem videri* (nulla sententia, nisi *deleas videri*) pro: *posse videor (videor mihi posse, si cet.)*. [H. l. tamen etiam *cum* — *videar* scriptum fuisse potest. *Locatus sim* etiam B.]

quantumcumque possum) *Possim* habet etiam [B.] Ox. E; res nunc nota est. Haeret tamen de Orat. III, 192: *qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum pro est*. Ad rem cfr. Acad. II, 6: *Quod si, cum fungi munere debebamus, non modo operam nostram nunquam a populari coetu removimus cet.*, ut emendavit e codd. Durandus; soloecum erat *debeamus*.

elaborare) Tres Gzii quoque et Ox. U mendose *laborare*;

pugnare, qui Graeca legere malint, modo legant illa ipsa, ne simulent, et iis servire, qui vel utrisque litteris uti velint vel, si suas habent, illas non magno opere desiderant. 11. Qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse
5 debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e

1 malunt E ipsa illa CO. 2. nec simulent Or. his C 4. quod autem C 5. ut om. E memini (pro nemini) omnes

in hoc molestiae anxiaeve curae (*non laboro*, id est, *non curo*; *brevis esse laboro*), in illo studii et consilii cum efficiendi spe (*in aliqua re elaboro*) significatio eminet; fallitur Doederlinius (Lat. Synonym. I p. 116). Quis credat, fuisse, qui putaret infra IV. 30 et 31 eodem significato posita esse *elaborare* et *laborare*?

qui Graeca legere malint) Poterat expectari indicativus de certo genere hominum ante notatorum; sed sequitur *velint, desiderant*. Igitur generaliter Cicero locutus est et propter infinitam sententiam coniunctivo usus. [B *malunt*.] Sed in hac coniunctione offendit illud *si suas habent*. in quo dure reditur ad notionem definitam, ut non sine causa Lambinus *habeant* scripserit, etsi Ciceronem ipsum correxisse videtur.

modo legant illa ipsa, ne simulent) Duo etiam Gzii *ipsa illa*, quod secutus est Orellius; vid. Opusc. Acad. I p. 131, ubi tamen vereor ne nimis haec ad certam regulam astrinxerim. [B ut A Erl.] In Tusc., si optimos codd. sequimur, uterque ordo saepius reperitur (*illi ipsi* II, 17 et 49, V. 65 et 108, *ipsi illi* II, 7, IV, 44 et 55). Gzius *illa*, quod abesse nequit, delevit, omissum dicens in Spir. (Eξ et unus Gzii habebant *ea*.) Ut indicative dicitur: *legunt, non simulant*, ita, quoniam dicitur *modo ne, fit modo legant, ne simulent*, quod in omnibus codd. fuisse certum est, etsi omnes fere inde ab Aldo *nec* ediderunt, nulla discrepantia annotata nisi ex Oxx. quattuor. Dixit hoc Cicero non in eos, qui furtim Latinis interpretationibus uterentur (nihil enim tale significat), sed in eos, qui, cum Graeca se legere malle dicerent, ne haec quidem legerent, sed nihil legentes illam simulationem inertiae obtenderent.

11. *sic ut plura nemini e nostris*) *Memini* etiam [B.] „fere“ Gziani, Eψ; correxisse videtur Aldus. Annotandus hic locus ad questionem de dativo pro praepositione *ab* verbis passivis subiecto, praesertim cum hoc respondeat praecedenti *a nobis*. Collegit igitur Otto eiusmodi locos in excursu ad h. l. scripto. Exempla bonorum scriptorum prosae orationis aut in participio sunt, ut res effecta tamquam extet et teneatur (*pertractata mihi sunt*. id est, habeo pertractata, II de Orat. 146; *elaboratum mihi est*, Div. in Caec. 10), aut in eiusmodi verbis,

nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet; et tamen, qui diligenter haec, quae de philosophia litteris mandamus, legere assveverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora. Quid est enim in vita tanto opere quaerendum quam cum omnia in philosophia, tum id, quod 5 his libris quaeritur, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda, quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum? Qua de re cum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alie- 10 num putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuat,

1. *suppetit* E 3. *iudicabit ullam* E 4. *iis* M 5. *cum* om. E in *philosophia* om. L *cum id* E 6. *iis* C *quis* [A]LPR *quid* EMCOR. 7. *consimilia referendi* E 8. *sequitur* L *nr̄a natura* C 9. *expetendum* LPMCR 11. *dignitatis esse* E [*tribuat* A¹; A² et ceteri] omnes *tribuit*

ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intellegatur, ut in *quaerendi* verbo. In incertis exemplis pono de Inv. I, 86 (*illa nobis (a nobis) alio tempore explicabuntur*), in falsis Cat. 38 (*viventi pertinet ad obrepit*), in summa vero inscitia eiusmodi locorum usum, qualis est in epist. Pompeii apud Cic. ad Att. VIII, 12 A 4 (Ramshorn. p. 351), aut illorum. in quibus dicitur: *Cui non hoc auditum?*, cum ceteris confusionem. Ad Attic. I, 16, 8 *aliis legi* aut est *aliis recitari* (cfr. XVI, 13 A) aut scribendum *ab aliis*. [Cfr. Wesenbergius, Emend. Cic. Epist. I p. 22.] De Livio annotatio est Drakenborchii ad VI, 11, 4, ubi loci corrupti, unius aut alterius boni aut mali codicis scriptura ab ceteris discrepans. structurae hinc remotissimae et pervagatae, accedente prava interpretatione (velut XL, 26, 8, ubi *naves iis ornatae sunt* est: *ad eorum usum*) in unum acervum ab homine diligentissimo coniciuntur. Non poterat ergo Cicero dicere: *scribuntur nobis multa*, poterat: *scripta sunt nobis*. Ceterum Ciceronem Varro iam tum fortasse librorum multitudine superabat; sed Cicero de eo genere haec dixit. quod a se expectaretur, orationibus.

qui sit finis) *Quis* etiam Gnd. 2 et praeter R aliae veteres editiones. Receperunt Vict. et Lamb., hic simul bis *quod* scribens. Et *quis* geminata littera et *quid* [B] ortum ex *qui*, quod iam Orellio visum est. Non agitur de notione finis et extremi, sed quaeritur, *qui* sit finis et in qua re positus, cfr. IV, 5 et 14; adiectiva recte adiunguntur pronomini substantivo (*quid sit summum et extremum*); cfr. 29 et V, 15.

quis alienum putet) Quod Vict. edidit: *quid alienum putem*. probarunt Davisius et Ernestius; erit tum *quisque tribuit* dic-

quid in omni munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere? 12. An, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam Maniumque Manilium, ab iisque M. Brutus dissentiet (quod et
5 acutum genus est et ad usus civium non inutile, nosque ea scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter et legemus), haec, quae vitam omnem continent, neglegentur? Nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt. Quamquam id quidem licebit iis existimare, qui lege-
10 rint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bo-

1. *omni genere* C 2. *habendus in fr.* L 3. [*M. que A*] *M.* Or. *M.* vel P *M.* ELMCR 4. *Mallium* L *Manilium* PMR *hisque* [A]ELPCROr. *dissenciat* E 7. *continent omnem* LPMCROr. *negleguntur omnes* 8. [*sunt A*] 9. *quod licebat* E *his* CR 10. [*hoc A'*]

tum pro eo, quod est *omnes tribuunt*, ut Cicero certam quandam dignitatem sibi ab omnibus tribui dicat, satis arroganter. Sed numquam sic illud pronomen ponitur, quod semper cum aliqua distributione singulos separatim significat. Vulgata contra recte hoc significat: eius dignitatis, quam mihi pro se quisque sive magnam sive parvam tribuit. [Tum autem sententia relativa non per se dicitur, sed sic cum primaria connectitur, ut paene necessarius sit coniunctivus modus, quem ex A¹ restitui; cfr. Off. I, 47.] Non raro in hoc vocabulo aberratur; cfr. IV. 76. Itaque de Divin. II, 124 imperite alii coniciunt scribendum. alii probant: *sed haec cuique in promptu*, ut sit, *omnibus, cuius*. Nec apud Lucretium I, 243 *vis quaeque est omnis*, vel minima, sed, ut Germani loquuntur, *die jedesmalige*.

12. An, partus ancillae cet.) Nota controversia, utrum eius, qui usumfructum servae haberet, partus fieret, an eius, qui dominus esset. Nam cum aliquando etiam de pecoribus dubitatum esset, postquam de iis constitit, in serva alio ducebat rei notio, alio hominis. Ulpian. in Digest. VII, 1, 68: *Vetus fuit quaestio, an partus ad fructuarium pertineret; sed Bruti sententia obtinuit. fructuarium in eo locum non habere*. Cfr. id. in Dig. V, 3, 27. Gai. XXII, 1, 28, Iustinianus Institt. II, 1, 37.

P. Scaevolam Maniumque Manilium) [Sic ex A Baiterus; *M.* pro *M.* quis restituerit, nescio.] *M.* Manilius (nam de P. Scaevola pont. max., qui primus iuris prudentiam in illam familiam intulit, omnia nota sunt), Manilius igitur, cos. a. 149, cum iuris prudentiae laude commemoratur etiam in libris de Orat. et de R. P., nominanturque eius tres libri de iure civili a Pomponio. (Vid. Maii prosopogr. libb. de R. P., Henrichs. ad Cic. de Orat. I. 212.) M. Iunii Bruti. qui paulo ante Mariana tempora

norum et malorum fere a nobis explicatam esse his litteris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus.

V. 13. Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat 5
in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissima est, quam a nobis sic intelleges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. Verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate autem quondam a L. Torquato, ho- 1
mine omni doctrina erudito, defensa est Epicuri sententia de voluptate, a meque ei responsum, cum C. Triarius, in primis gravis et doctus adulescens, ei disputationi interesset. 14. Nam cum ad me in Cumanum salutandi causa

1. *iis* M 2. *modo* om. E *quid a nobis* E 3. *a* om. R 4. [*disciplinae* A¹] *discipulis* C 5. *ordinamur* EL 7. [*ab* (ante *ipsis*) om. A¹] *ab his* C 10. *quandam* M. *Torquato* (om. a) E 12. *T. Triarius* C

floruit (Brut. 175), in eodem genere laudem et Cicero aliquotiens commemorat et Pomponius Dig. I, 2, 2 § 39. [*Negliguntur* etiam B, correxit Aldus.]

his litteris) *Libris* multi scribendum putarunt, quemadmodum est Tuscul. III, 6: *his autem libris exposita sunt* cet., itaque in Ursini cod.(?) et El. priore erat. Nec sine causa offenditur, cum ipse, qui alterum defendit, *Bremius litteras* de libris in universum poni dicat, non de certo quodam librorum genere. Rectius dixisset, non de certis libris; nam de genere et de omnibus iis, quae de aliqua re scripta sint, ponitur. Nugatur Gzius, non litteras pro libris poni, sed significari: *in dieser Schrift*; quasi id aliud sit. Similia ex aliqua parte sunt haec (de Orat. I, 192): *neque ita multis litteris aut voluminibus magnis continentur* et (de Div. II, 5): *ut Graecis de philosophia litteris non egeant, propter adiecta multis et de philosophia*, [et (ad Fam. XV, 4, 12): *in omni varietate litterarum mearum*, Brut. 205, pro Arch. 14], nec tamen prorsus. Mox *discipulis* mendose etiam in Spir. et Gud. 2 erat, idemque „Scaliger ad oram libri allevit“.

Cap. V, 13. *Ut autem a facillimis ordiamur*) Saepe hoc Cicero et iure dicit, facillimam esse Epicuri disciplinam, quod nulla sit in ea subtilitas, nulla rerum verborumve obscuritas. Cfr. § 27, Tusc. IV, 6 et 7. Paulo post, cum ederetur *ab his*, in mg. Crat. et e cod. Vict. annotatur *ab ipsis*. Vid., quae dicentur ad II. 93.

uterque venisset, pauca primo inter nos de litteris, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus. Quoniam nacti te, inquit, sumus aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum non tu quidem
 5 oderis, ut fere faciunt, qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitror unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum liberavisse et omnia tradidisse, quae pertinerent ad bene beateque vivendum; sed existimo te, sicut nostrum Triarium, minus ab eo delectari,
 10 quod ista Platonis, Aristoteli, Theophrasti orationis orna-

1. *primum* L *inter nos primo* E [Post *de litteris* A² inserit *contulimus*] 3. [*hac tite* A¹ *hac die* A²]. [*ociosum* A et sic semper] 4. *quid* (pro *quod*) EL [om. A¹] [*nostrum istiter non* A, sed *istiter* linea subducta prima manus delendum significavit] [*quide* A] 5. *oculis* (pro *oderis*) E *certe fac.* M 6. *maximis* (om *que*) LP² 8. *pertinent* LPMCR 10. [*quid isti* A¹] *Aristotelis* [A²]LPMCRor. *ornamenta orationis* COr.

14. *quae pertinerent*) Bene, quod nunc Erl. [et AB] silentium fidem facit. sic esse in melioribus codicibus; nam et edd. ante Gruterum, excepta Lambini. et Davisii codd. quos ipse secutus est, et Oxx. praeter U habent *pertinent*; Gzius *pertinerent* scripsit, de codd. tacet.

minus ab eo delectari) Praepositionem abiecerant Vict.. Man., Lamb.. postea Davisius, qui a Parr. 1(?) et 3 abesse dicit; Oxx., cum in textu omitterent, tantum ex χξ eam annotarunt. Gruteri et Gzii codd. omnes tenent. Comparatis ceteris locis. ubi sic dicitur (Div. in Caec. 44: *cuius ego ingenium ita proba. ut me ab eo delectari facilius quam decipi putem posse.* ubi aliquid ad hanc formam eligendam valuisse videtur adiectum *decipi*; Orat. 195: *alterum nimis est vinculum —, alterum nimis dissolutum — ut ab altero non delectere. alterum oderis*; [Brut. 193: *vulgus a mediocri ... oratore delectatur*;] de R. P. III. 42: *significabant, ab eo (Laelio) se esse admodum delectatos*), primum facile apparet, non rectum esse, quod in loco Oratoris Handius (Turs. I p. 26), Gzium sequens, ascripsit: *ab altera parte poematis.* cum ibi duo componendae orationis genera describuntur, quorum alterum delectationem afferat. alterum non afferat. Deinde intellegitur, addita praepositione magis significari motum aliquem et actionem hominis aut rei nos certo tempore aliquo modo afficientis; itaque *delector aliquo* est univ-erse: *probo, placet mihi; delector autem ab aliquo* est: *delectationem mihi* (aliquo temporis momento) *parit.* Id maxime in loco de R. P. apparet, ubi praepositio omitti nullo pacto potuit; neque enim significabant, Laelii naturam sibi placuisse.

Aristoteli) Hanc formam genetivi Erl. et hic praebet et V. 12 et 14, ad quam cum semel (V, 12) Gzius atten-

menta neglexerit. Nam illud quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur. 15. Vide,

1. *illuc* PMCRor. [ad *illud* A²] 2. *videntur* C

disset, negavit Ciceronem ea uti; scilicet, si isto modo codices inspicias. Si terminationes littera praecedenti distingvere quis velit, dixit *Praxitelei* in Verr. IV, 4 et 12. Idem codex [et AB] *Carneadi* dedit II, 35 et II, 116 *Aristidi*, *Themistocli*, haec quidem a Gzio recepta, et V, 5 *Pericli*. Atque ego cum videam ubique fere, ubi codices boni adhibeantur, eam formam prodire (vid. de Verrinis, in quibus magna est copia Graecorum nominum, Epist. ad Orell. p. 22 et Zumpt. ad II, 108 et ad IV, 4, coll. de opt. gen. orat. 14 in edit. Orell. min.), vereor, ut alia Cicero umquam usus sit. Sed tamen in hac re, ut in aliis similibus, quae vocum scriptionem et formam attingunt, apparet quoddam iudicium et potestas eorum, qui vetustissimos codices singulorum operum Ciceronianorum scripserunt. Itaque in Tusc. III, 54 et V, 88 et cod. Paris. et ceteri retinent *Carneadis*. Ne nimium constantiae darem in ea re, in qua potest Cicero inconstans fuisse, neque paulo ante § 4 *Euripidi* recepi ex parum noto libro neque II, 118 *Herculi* scripsi, etsi ita est Acad. II, 108.

orationis ornamenta) Persvaseram olim Orellio, ut e cod. Bas. et ed. Marsi scriberet *ornamenta orationis* (ut est pro Sulla 82: *cuiusquam ornamenta orationis*), quod putabam duplices genitivos ab eodem nomine aptos numquam sic poni, ut primo loco esset principalis, altero secundarius, tertio nomen regens, ne coniungeretur *Theophrasti oratio*. Sed scribitur Brut. 163: *Scaevolae dicendi elegantia*; Tusc. IV, 31: *animi multarum rerum brevi tempore percursio*; [Cat. 50, Off. I, 43]. Neglexisse Epicurum omnem dicendi ornatum, et alii testes sunt et Diog. Laërt. X, 13: *Κέχρηται δὲ λέξει κυρία κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν, ὅτι ιδιωτικωτάτη* (sic Menagius pro *ιδιωτάτη*) *ἔστιν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιάται*. Alia, quae huc pertinent, citat Fabricius ad Sext. Empir. p. 215.

Nam illud quidem adduci vix possum, ut — videantur) Non ignota in hoc verbo dicendi brevitatis, qua *adducor* fit *adducor ad credendum*. Sed cum id initio efficiendi notionem habeat, in nova significatione partim retinet priorem sententiae annectendae formam (*ut*), partim eam asciscit, quae novae significationi accommodata est, accusativum cum infinitivo. *Ut* praeter hunc locum habet infra IV. 55, et apud Lucretium V, 1341, accusativum cum infinitivo de Divin. I, 35, ad Attic. XI, 16. 2 (*sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem*

quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio me istius philosophi non offendit; nam et complectitur verbis, quod

1. *fallere* omnes [praeter A] 2. *non om.* C

putare mihi tanti fuisse), de Legg. II, 6, pro Cluent. 104 (ubi *adducti* Classenius e codd. restituit pro barbaro *addocti*); eodemque modo Curtius scripsit X, 10 (2, 19) [et Colum. II, 1, 4, Festus v. *Oscos* p. 198 M.: *quod verum esse non adducor*]. Alia est ratio in orat. de prov. cons. 39, quem locum minus recte tractavit vir egregius, E. Wunderus in iis, quae scripsit de particula *ut* (Iahn. Annal. V p. 158). Sic enim ibi orsus est orator (*Nam ut C. Iulius* cet.), tanquam subiecturus esset: *feri non potest*; deinde, cum longius tracta oratio esset, dixit: *adduci ad suspicandum nullo modo possum*. Sed quod in adducendi verbo orationis brevitate fit, ut res effecta (*adducor, ut sit*) dicatur pro fide rei effecta (*adducor, ut esse existimem*, quod plene scribitur ad Att. XI, 7, 3), eius rei simillimum est exemplum in orat. pro Sulla 40: *nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas — mea sponte dispexerim*, hoc est. *me dispexisse credam*. Eadem confusio rei effectae et notionis iudiciiue de re effecti est in cogendi verbo, cum de necessaria conclusione dicitur, ut *ἀναγνώζειν*. Itaque vulgo quidem dicitur: *ratio cogit, verum esse* (vid. lexica et add. de Fat. § 9); sed huius operis libr. III, 42 scribitur: *eorum autem ratio certe cogit, ut in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti*. De ipso efficiendi verbo et similibus pervagata res est. Sunt, qui parum Latine dici putent: *hoc sic accipiendum est, ut Cicero posuerit* cet.; dicendum enim esse: *posuisse statuatur aut: sic accipiendum est, Ciceronem posuisse*; nam scripsisse ipsum Ciceronem (Off. I, 96): *illud superius sic fere definiti solet, decorum id esse, non: ut decorum id sit*. Verum dixit tamen Tusc. IV, 47: *ita enim definit, ut perturbatio sit aversa a ratione animi commotio* (non: *ut dicat esse*) et de Legg. III, 33: *ego in ista sum sententia, — nihil ut fuerit in suffragiis voce melius* (non: *fuisse putem*) et ad Fam. XV, 2, 8: *hac opinione, ut — meus adventus — liberarit*. [Cfr. hic II, 11 et 75, III, 55, V, 46 et 90.] Durius est, ex eodem tamen genere, quod legitur de leg. agr. III, 3: *num quid est causae, quin illa criminatione — vestram diligentiam prudentiamque despexerit*, hoc est, *despexisse iudicetur*. [Nec multum discedit de Or. I, 115: *Neque haec ita dico, ut ars aliquos limare non possit*. Temere, ut saepe, cavillatus est Wolfius in orat. pro Marc. 34. Eadem in voluntatis notione brevis est in Cat. IV, 3: *Moveor his rebus omnibus, sed in*

vult, et dicit plane, quod intellegam; et tamen ego a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem; re mihi non aequae satisfacit, et quidem locis pluribus. Sed quot homines, tot sententiae; falli igitur possumus. Quamobrem tandem, inquit, non sa-
5
tisfacit? te enim iudicem aequum puto, modo, quae dicat

1. [*quam intellegam* A¹] ego om. LPMCROR. 3. *satisfecit* omnes.
4. *et equidem* L *plurimis* E 5. [*possimus* A] *tandem* om L *satisfecit* LR

eam partem, ut salvi sint vobiscum, hoc est, salvos esse velim.] Ergo hic quoque accidunt eadem aut similia Latinis in naturali sermonis cursu, quae nobis. Restat *illud* pro *illuc* ex [AB] Erl. et L receptum. Est hoc ex pervagato genere accusativorum pronominalium, qui initio sententiae ad rem universe significandam poni solent, etsi nullum accusativo proprie aptum verbum subicitur, ut cum dicitur: *Hoc irascor, illud tibi assentior, vel: quid sim tibi auctor, vel: quod quidam auctores sunt* (Liv. XXIII, 16, 15, XXX, 26, 7), vel etiam: *id operam do* (Ter. Andr. I, 1, 130, II, 1, 7), ubi olim ellipsin grammatici advocabant (Ruddim. II p. 148, not. 10 et p. 160, Ramshorn. p. 394). [Gr. Lat. § 229.]

15. *et tamen ego a philosopho*) *Ego* habuit etiam [B,] cod. Vict. Formam orationis huius loci declaravi in Emendd. Ciceron. p. 50, ubi, comparatis similibus exemplis (ad Fam. III, 8, 7, pro Mil. 33, de N. D. I, 23, aliis. Graecis quoque) ostendi, primariam sententiam hanc esse: *a philosopho eloquentiam non flagitem*, sed ei adiectam observationem, cum posset, nostro more etiam deberet, per concessionem interponi (*etsi non asperner*), ex aequo interiectam esse. Cfr. ad V, 89. *Tamen* Cicero dixit, quod sententiam de eo adiungit, de quo quaeri non necesse sit, cum iam concesserit. Epicurum satis bene loqui. [*Fallere* etiam B et Oxx. duo, id est, omnes praeter A, et sic edebatur ante Aldum.]

non aequae satisfacit) *Satisfecit* etiam [B,] Oxx. Eξψ et „plerique fere codd.“ Gzii. Sed quod per se, cum ad lectionis tempus referretur, recte diceretur, hic inter cetera praesentia ferri nequit. Et mox recte [AB] Erl. et cod. Vict. (id est, optimi) et alii nonnulli *satisfacit*; nam ibi *satisfecit* tantum ex E notatur.

pluribus) Non secutus sum [B et] Erl., quod illo modo vel optimi codd. aberrant, etiam ubi prorsus ineptus est superlativus; vid. Orell. ad Cic. de R. P. I, 12.

quot homines, tot sententiae) Terent. Phorm. II, 4, 14.

ille, bene noris. 16. Nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum

1. *hic* (pro *nisi*) LPC *mihi aut* (compend. obsc.) *Phaedrum pulchrum* E *meritum* P

16. *Nisi mihi Phaedrum*) „Est a Pall. notae melioris tribus; tres enim reliqui: *Hic mihi Phaedrum*; nam Aldi vetus: *hic nisi mihi*.“ Grut. *Hic mihi* (Oxx. EUξ) aut *hic nisi* etiam Davisiani et Gziani, etsi hoc posterius ex nullo nominatim citatur. Verum habet etiam mg. Crat. et cod. Mor. Victorius annotavit: *nisi tu Phaedrum*, et sic edidit, secutusque Davisius est.

Phaedrum aut Zenonem) Coryphaeos Epicureorum illius aetatis appellat. Phaedrum Cicero, ut apparet ex XIII ad Fam. 1, iam puer Romae audiverat et postea Athenis, cum eum, familiariter cum Attico viventem, ut virum bonum et svavem probaret. De Attici erga eum amore cfr. lib. V, 3. *Phaedro nihil elegantius, nihil humanius* esse dicitur N. D. I, 93. Ex huius Phaedri libro *περὶ θεῶν* sumpsisse Ciceronem, quae in libro primo de N. D. de aliorum philosophorum sententiis in Velleii persona exponuntur, nunc patet ex reliquiis Herculani repertis, quas in Germania seorsum edidit Petersenius in programmate Hamburgensi a. 1833. [Eas tamen reliquias potius Philodemi libri *περὶ εὐσεβείας* esse, Spengelius 1863 et Sauppium 1864 disputarunt.] Hunc denique Phaedrum nomine omissio intellegi voluit Cicero I N. D. 58, ubi nunc miro modo locum eius homo longe diversus occupavit: *Saepe enim de L. Crasso, familiari illo tuo, videor audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferet et paucos tecum Epicureos e Graecia compararet* cet. Mire Cotta de scientia philosophiae Epicureae testem dat oratorem Romanum, quem neque in Bruto neque in libris de Oratore Epicuro favisse significatio ulla est, eumque de iis etiam Epicureis iudicantem, qui in Graecia viverent, quorum paucissimos, si quemquam, homo consularis norat; mire etiam dicit de Crasso: *familiari illo tuo*, tanquam de homine remoto et in quo hoc memorabile sit. Ipsa vox *togatis* significat, Graeci hominis iudicium et auctoritatem proferri. Iam omnes Davisii codd., omnes Oxx., apud Moserum A, C (sane etiam B, si recte inspectus esset), ceteri, ipse interpolatissimus Glogaviensis nomen omittunt. Unus Rehdig. aperte coniecturam nomen quaerentium ostendit: *de Lucilio, de Crasso*. In Crassum incidebant propter III de Orat. 78. Phaedrum, qui Romae fuerat, Cicero satis significatum putabat. Zenonem non esse familiarem illum Velleii, intellegitur ex § 59. Acriculus hic senex, Epicureorum illius

mihī nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihī Epicuri sententiae satis notae sunt; atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi, cum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret; cotidieque inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus, 5 neque erat unquam controversia, quid ego intellegerem, sed quid probarem.

VI. 17. Quid igitur est? inquit; audire enim cupio,

1. sed utilitatem [A]E 2. quos modo nom. L 4. quod (pro quidem) E Phaedrum pulchrum E autem om. L 5. cotidie (om. que) L

temporis acutissimus, quem Philo eorum coryphaeum appellabat, commemoratur etiam I N. D. 93, Tusc. III, 38.

Cap. VI, 17. *Principio in physicis* — *primum totus est alienus*) Cum Davisius et Ernestius, *principio* et *primum* eodem referentes, alterum abundare putassent, eamque abundantiam Wopkensis defendere conatus esset (Lectt. Tull. p. 255), recte Bremius et Matthiaeus docuerunt, *principio* pertinere ad divisionem philosophiae, in cuius tribus partibus Epicurus reprehendatur, ut huic respondeant illa in § 22: *Iam in altera philosophiae parte, primum* eo referri, quod non solum aliena sint, quae Epicurus in physicis dicat, non sua, sed multis novis erroribus implicata. Hoc ostendit Cicero § 18 sqq., nec tamen ponit *deinde*, sed alia forma alteram partem adiungit, ut facit saepissime [velut I N. D. 43—44, 62—64, pro Mil. 84 sqq.]. (Vid., si tanti est, Manut. ad Epist. ad Fam. II, 9 et VII, 23, Wopkens. Lectt. Tull. p. 52, Beierus ad Offic. I, 44, Heusinger ad Offic. I c. 28, 9; quamquam quis hoc non attigit, etiam nuper?) Similis divisionis gradatio bis eadem voce *primum* notata est II N. D. 142. De Epicuri physicis a Democrito, qui sententiam de atomis post Leucippum uberius exposuerat et expoliverat, traductis, cum Nausiphanem Democriteum solum audivisset, satis expositum est ab iis, qui philosophiae historiam scripserunt; itaque ipse Metrodorus, alter Epicurus, dixerat: *εἰ μὴ καθηγῆσαιο Δημόκριτος, οὐκ ἂν προῆλθεν Ἐπίκουρος ἐπὶ τὴν σοφίαν* (Plut. adv. Colot. 3 p. 1108 E; Cic. Acad. I, 6: *si Epicurum, id est, si Democritum probarem*). Sed Democritus vertice quodam et vertigine (*δίνη*) necessaria et ictibus effici putabat atomorum *σῆγκρισιν, συμπλοκῆν, ἐπάλλαξιν*, e qua orerentur innumerabiles mundi; Epicurus motum deorsum fieri iussit et, ne necessitate omnia fierent, libertatis vindicem casum attulit, cum atomos recta linea deorsum descendentes perpaulum declinare itaque cohaesiones fieri statuit. Ex Ciceronis libris huc pertinent N. D.

quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Democritea dicit, perpauca mutans, sed ita, ut ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille atomos, quas appellat, 5 id est, corpora individua propter soliditatem, censet in in-

2. [*Democrite adicit* A¹] *Democriti adicit* E *Democrito adicit* [A, sed *adicit*] LPMCROr. (*adicit* C *abicit* L) 4. [*athomos* A] ἀτόμους Or.

I, 69 et 73, de Fat. 21 sqq. De gloriatione Epicuri in hac parte cfr. ad § 63.

Democritea dicit) Praeclare haec sanavit Erl. [e quo *Democritia* posueram]; nam in vulgata scriptura iure et Ursinus offenderat (*adhaerescit* in suo illo ficto libro legi dicens) et Davisius, qui primum, quod in CCC et ed. Venet. 1471 erat *adicit* (etiam in Ox. γ), scribendum putabat: *Democrito accedit, perpauca mutans*, deinde, cum in Par. 1 (?) et 3 (et cod. Vict.) *adicit* repperisset: *Se Democrito addicit* (pravo verborum ordine). Frustra ceteri explicare vulgatam scripturam conantur, alii *adicit* interpretantes *accedit* aut ex male intellecto Vergilii loco in Aeneid. X, 182 aut ellipsi inaudita utentes vocis *calculus*, alii (Gzius, Orell.) mire interpungentes: *adicit perpauca, mutans*, quasi *mutans* sic absolute dici possit aut non sic id, quod summum est, Democrito Epicurum adhaerere, obscuretur. cum tantum adiectio significetur. [Cfr. § 21, IV, 13: *Pauca mutat.*] *Dicere* Cicero saepissime de philosophorum sententiis ponit, ut de his ipsis libro IV, 13: *cum de plurimis eadem dicit, tum certe de maximis*. Quod ad adiectivum *Democritea* mox refertur pronomen *ille*, de eo (est enim notum schema) cfr. V, 16: *Carneadia nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur* (Carneades) cet., et quae ibi dicentur.

atomos) Graece Gzius et Orellius. Transierat vox, opinor, in ius Latii.

id est, corpora individua propter soliditatem) Recte Davisius citat Lucret. I, 485: *Sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis Stingvere; nam solido vincunt ea corpore demum*. Addendus Plut. (?) Plac. Philos. I, 3 p. 877 F (sive Stob. Eclog. Phys. p. 306 Heer.): ἀτόμος οὐ δύναται τμηθῆναι, ἀπαθῆς οὐσα καὶ ἀμέτοχος κενού et paulo ante: σώματα — ἀμέτοχα κενού, ἀγέννητα, αἰδία, ἀφθάρτα, οὔτε θρασυθῆναι δυνάμενα οὔτε διάπλαστον ἐκ τῶν μερῶν λαβεῖν οὔτ' ἀλλοιωθῆναι. Nec quemquam fugere potest, ideo atomos putari, quod nihil habeant vacui, nihil compositi, quod dissolvi possit. (Quae Bremius ex Diog. Laërt. IX, 44 (de Democrito) citat, minus huc pertinent,

finito inani, in quo nihil nec summum nec infimum nec medium nec ultimum nec extremum sit, ita ferri, ut concursuibus inter se cohaerescant, ex quo efficiantur ea, quae sint quaeque cernantur, omnia; eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intellegi convenire. 5
18. Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non

1. *imatu* E 2. *citimum* (pro *extremum*) Or. *inferri* R [*ita ferri* ut om. A¹] 5. *sed extremo* E *sed externo* L

quoniam ibi non ipsae solum atomi, sed prima quaedam earum *συγκρίματα*, ea, quae vulgo elementa appellantur, dicuntur esse *ἀπαθή καὶ ἀναλλοιώτα διὰ τὴν στερεότητα.*) Imperitissime Gzius, individui et solidi notiones confundens, quarum altera ex altera apud Democritum et Epicurum nascitur, ad tautologiam scilicet vitandam defendit editionum quarundam interpunctionem casu ortam: *corpora individua, propter soliditatem censet* cet., quasi soliditas quidquam ad infinitum et atomorum in eo verticem pertineat. Neque Epicurus, nedum Democritus, motum atomorum soliditate. sed pondere effici dicebat; iam motas, cum colliderentur, repelli ictu et plaga propter soliditatem statuebat; (*ἡ στερεότης ἢ ὑπάρχουσα αὐταῖς κατὰ τὴν σύγκρουσιν τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ*, Diog. Laërt. X, 44, coll. Lucret. II, 84 et 85). Nec iure Matthiaeo haec omnia verba suspecta erant; neque enim Cicero res Torquato ignotas explicat, sed lectorum rationem habet, ut II, 1 et 20, neque nomen tantum vertit, sed causam nominis et ipsam notionem atomi ostendit.

in infinito inani) ἐν τῷ ἀπειρώ κενῷ. Nam Omne (τὸ ὅλον) Democritus docebat constare τῷ κενῷ, spatio per se vacuo, quod infinitum quoquoersus pateret, et atomis, quae in eo vagarentur, corporibusque, quae inde orerentur. Semper a Democrito et Epicuro notiones spatii et vacui confunduntur.

nec extremum) Non videtur hoc diversum esse ab *ultimo*; itaque, cum diligenter hic distingvi notiones putent, corrigunt, Goerenzius et Orellius ex Ursini cod. et duobus Parisiensibus Lallemandi, id est, coniectura Ursini, *citimum* pro *extremum* scribentes, Davisius *primum* pro *ultimum*. Sed in hac coactione vix tam diligens Cicero fuit; nulla est enim notio, quae recte includi possit nisi *primum*; *citimum* ad eam divisionem locorum pertinet, quae etiam in infinito fieri potest, si in uno aliquo eius loco ipse sis. Itaque amplificatam esse notionem puto, quemadmodum I N. D. 37 (quem locum Bremius citat) est *ultimus et altissimus atque undique circumfusos et extremus ardor*. Ultimum est, quod ab initio remotissimum, extremum, quod cetera finit et cingit.

fere labitur. Quamquam utriusque cum multa non probo, tum illud in primis, quod, cum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur, alterum, quae vis sit, quae quidque efficiat,

1. vere R proba E 3. ex quo [A]ELP 4. efficitur E efficiantur MC quodque EOr.

concurSIONIBUS inter se cohaerescant) Συγκρούσεις hae sunt et συμπλοκαί et συγκρίσεις et περιπλοκαί et ex iis ουστήματα, cum ex atomis coniunctis et propter figuram implicatis res oriuntur. Diog. Laërt. IX, 32 (de Leucippo), 44 et 45 (de Democrito), X, 40 (de Epicuro); Lucret. II, 95 sqq.

intellegi convenire) hoc est, ut nunc loquuntur, cogitari (*man muss sich die Bewegung von Ewigkeit her denken*); cfr. IV, 38, V, 33; male Gzius addi vult esse.

18. non fere labitur) non quod verae sint sententiae, sed quod ordine et sine perturbatione expositae.

cum multa — tum illud) Saepe Latini in huiusmodi conjunctione omittunt vocem *alius*, quae ex adiecto intellegitur. Brut. 152: et apud Scaevolam et apud multos; pro Cluent. 140: cum multorum, tum L. Crassi auctoritatem sequor; in Verr. IV, 147: cum multa, tum etiam hoc me meminisse dicere; pro Cael. 42: ego fortasse et pauci; add. Lael. 48, N. D. I, 57. Male igitur III Off. 47 contra codices et longe plures et optimos adiectum est *alias* in his: cum saepe, tum maxime bello Punico. Simile est, quod de ceteri, reliquus posui in Emendatt. Cic. p. 197.

in rerum natura duo quaerenda sint) Haec etsi Acad. I, 24 Peripateticis et Academicis veteribus tribuuntur, tamen hac forma maxime explicabantur a Stoicis, qui duas ἀρχάς statuebant esse, materiam (τὸ πάσχον, τὴν ἀποιον ὕλην) et vim efficientem (τὸ ποιοῦν, τὸν ἐν τῇ ὕλῃ θεόν); Diog. Laërt. VII, 134, ubi omnes Stoicorum coryphaei in hoc dogmate citantur, Sext. Emp. adv. Mathem. IX, 11, Plut. de Plac. Philos. I, 3 p. 878 C, Senec. Ep. 65, 2--3.

quae quidque efficiat) Paene perpetuam codd. Erl. et Spir. [B] confusionem sequens Gzius pro substantivo *quidque* substituit adiectivum, cui nihil hic loci est. Secuti tamen ceteri. Repetitur error III, 67 (*quo minus suum quodque cuiusque sit*) et V, 16 (*quo quodque referatur*), propagaturque ad pronomen interrogativum V, 15; in omnibus editionibus praeter Manutii haerebat V, 37, animadversus tamen a Bremio. Contrarius error erat infra II, 109 (*aliud aliquid summum bonum*). Simile mendum (*aliquid dictum*) in orat. pro Cluent. 184 sublaturum est a

de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium; illae Epicuri propriae ruinae:

1. [deseruerunt A'] efficiendi om. L 2. [vitium A]

Classenio. Recte etiam Wesenbergius meus (in programmate Danice scripto de oratione Caeliana p. 21) in orat. pro Rosc. Am. 83 restituit: *unumquidque tangam* (coll. Divin. in Caec. 45). Sed restant alia. In rhetoricis ad Herenn. II, 46 editur vitiose: *ut quodque primum*, quod recte improbatur apud Cic. de Inv. I, 19; de Inv. I, 28 retinetur vitiosum (*etsi semel unumquodque dicitur*) contra cod. Turicensem. Mox *reliquerunt* est: *non tractarunt*, ut IV, 7. de Legg. I, 6. *Causa efficiendi*, quae propriae est, propter quam quis aliquid efficiat, minus proprie pro *efficiente* dicitur.

illae Epicuri propriae ruinae: censet enim) Pronomen *ille*, ut saepe, explicatur sententia per *enim* subiecta; vid. ad III, 26. Nec tamen explicatio illa prima sententia absolvitur; neque enim ulla ruina est, etsi pravum est, quod Epicurus atomos deorsum ferri putat, nedum plures ruinae; sunt eae in eorum, quae adiciuntur, repugnantia. Fit hoc interdum apud Ciceronem, ut, oratione non statim recto cursu eo progrediente, quo debebat, particula sententias connectens innepta videatur, si ad eam solam sententiam referatur, in qua posita sit, maximeque hoc accidit in iis particulis, quae conclusivae dicuntur. *itaque, quare*, aliis. Velut Tusc. II, 62 si haec sola legas: *Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, nihil sit ad superiora ineptius; sin perrexeris: cuius in primis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non esse aequae graves imperatori et militi* cet., apparebit hoc dicendum fuisse: *Itaque Africanus laudabat illud, quod Xenophon diceret* cet. Adiecta observatio primariae sententiae locum occupavit. Eiusdem generis hoc est de Orat. II, 217: *Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere. Sensit Ern., male haec cohaerere cum superioribus, in quibus nulla significata est causa huiusmodi spei, sed potius desperandi. Recta erit conclusio, si itaque ad proxima rettuleris: inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum; — sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi extiterunt* cet. Eadem ratio est I de N. D. 85, ubi *itaque* pertinet ad illa: *in hac ita exposita sententia sunt, qui existiment* cet. [et in Verr. IV, 108. Cfr. infra ad II, 90 de *enim* et Tusc. V, 32 de *quia*.] Handius in Turs. III p. 504 in hoc et aliis aliquot locis, qui nullo artificio egebant, *itaque* vult esse: *auf gleiche Weise*, quod numquam significat. Cognata est haec sententiae, quae subnecti debebat, cum primaria permutatio aut saltem aequalis connexio cum iis. quae

censet enim, eadem illa individua et solida corpora ferri deorsum suo pondere ad lineam; hunc naturalem esse omnium corporum motum. 19. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur et, 5 ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere, itaque attulit rem commenticiam: declinare

1. et censet R fieri E, ferri suo deorsum LPMCROr. 2. habet pro hunc E 4. deorsus [A]P 5. [adlinam A¹] fore unquam E athomos [A]E

attigi supra ad § 15. *Ruinæ* nomen h. l. eodem modo de errore poni videtur, quo apud Lucretium I, 740 (*Principiis tamen in rerum fecere ruinas*) et verbum coniunctum infra II, 18. De Epicuri physicis quæ sequuntur, nota sunt et explicata ab iis, qui de veterum philosophia scripserunt.

deorsum suo pondere) Sic præter Erl. [B,] „alii“ apud Gzium; Bas. om. *deorsum*, et putat Gzius abesse posse, quod satis sit *ad lineam*, quasi non *sursum* quoque *ad lineam* iri possit. De motu atomorum ad lineam et declinatione, quæ casu fiat. brevia et obscura nec satis emendata sunt Epicuri verba aqud Diog. Laërt. X, 43 et 61 (ubi commemoratur ἡ κάτω φορά διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν), luculentiora, quæ Lucretius exponit II, 80 sqq. Cfr. Cic. N. D. I, 69, de Fat. 22. Tertius atomorum motus, quem Democritus solum probabat, qui plaga efficeretur, hic omittitur. Quod hic *ad lineam*, de Fato *rectis lineis* dicitur.

19. *Deinde ibidem*) Eodem modo Cicero dixit II Acad. 44; transitur a loci ad temporis notionem, ut sit: *paene eodem temporis momento*. Cfr. ad Att. II, 12, 2: *ibidem illico puer abs te cum epistulis*.

occurreret) Interpretantur *adversaretur*, *repugnaret*, ut simile sit ei, quod libro II, 108 scriptum est paulo insolentius: *quid occurrat, non videtis*; comparantque eos locos, in quibus de iis ponitur hoc verbum, qui aliquid argumentis refellant, ut Offic. II, 7, Acad. II, 44. Hic tamen obstat sententia infinita, quæ subicitur, cogitque accipere pro eo, quod est: *in mentem veniret et cogitanti contrarium videretur*. Mox pro *deorsum* e Pal. 1 *deorsus* scribere, cum paucis ante verbis *deorsum* teneretur, nulla ratio erat. Mihi nondum certi quidquam, et quod bonorum codicum aliqua constantia confirmetur, effectum de hac duplici forma videtur, etsi de *quorsum* et *quorsus* Gernhardus conatus est regulam constituere (ad Cat. Mai. 42; *quorsus haec*, quod ille probat, est in optimis codd. Cat. 42, Off. III, 68, Legg. I. 62, sed *quorsum haec* Lael. 42, Phil. VII, 26).

itaque attulit) Insolens oratio est. Nam primum *itaque*

dixit atomum perpaulum, quo nihil posset fieri minus; ita

1. [athomos A] [posset fieri posset A, sed alterum posset ab ead. m. deletum]

nec solet poni in oratione, quae a proposito et periodi forma paulo liberius evagata est, revocanda, sed *igitur*, nec significatione et compositione, qua coniungendi vim habet, ad eum usum aptum est; exemplo utuntur uno Liviano ex II, 12, 3, ipso propter hanc insolentiam dubio; deinde nulla omnino hic est periodi talis inflexio, ut in viam revocanda fuerit; protasi brevi subicitur apodosis, ne minima quidem sententia interposita. Itaque hic ne *igitur* quidem locum habiturum erat, nec simile ullum anacoluthon reperietur. Apud Ottonem quidem, qui excursus de anacoluthis Ciceronis ad hunc ipsum locum scripsit, sic inter cetera hoc intermiscetur, ut unum de multis esse videatur; negat enim ad certa genera posse referri, et omnia dissimillima uno ordine enumerat. Non iniuria igitur suspectum *itaque* fuit Manutio, Ursino, Ernestio; etsi addendi quae potuerit causa esse, non apparet; et fortasse aliud latet mendium, ut exciderit verbum aliquod, cuius subiectum esset *homo acutus*. [Fuit nuper, qui totum hoc: *itaque* — *commenticium* tolleret, prorsus improbabiler vel ob vocabulum *commenticium*. 1874.]

declinare atomum perpaulum) De Fat. 22: *declinat atomus intervallo minimo; id appellat ἐλάχιστον; quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri*. Add. § 46. (In priore loco paulo post, ubi scribitur: *Sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam*, Cicero scribere debuit: *ut alia ab alia numquam depellatur, si ne cet*. Nam ita concluditur, cum atomi rectis lineis deorsum ferantur, aliam aliam non attingere; itaque ne depellere quidem; itaque non pulsu, sed sine causa fieri declinationem. Et quae non contingit, non potest depellere; quae non depellit, potest tamen sane contingere. Si, ut editur, Cicero scripsit, incidit in conclusionem paene aequae inanem atque hoc opere II, 35.) Pluribus rem persequitur Lucretius II, 216 sqq. *Παρέγγλισιν* appellant Ioannes Stob. Ecl. Phys. p. 346 Heer., Plut. de Plac. Philos. I, 12 p. 883 A.

quo nihil posset fieri minus) Exprimitur τὸ ἐλάχιστον. Lucretius v. 219: *paulum, Tantum, quod momen mutatum dicere possis*; v. 244: *nec plus quam minimum*. Non attendebat Bakius (ad Cleomedem p. 418), cum haec a Cicerone negante dici putavit; itaque scribi volebat *potest*. Quid editores nostri? Eadem sententia accipiunt et tamen coniunctivi imperfectum defendunt, Orellius, quod sit omnium sanorum philosophorum sententia (bonam causam coniunctivi!), Otto, imperfecto usum

effici complexiones et copulationes et adhaesiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi, quaeque in eo essent. Quae cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit *quidem*, quod vult. Nam et ipsa declinatio
 5 ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa, quo nihil turpius physico quam fieri quidquam sine causa

1. *adhaesitationes* [A]PMROr. 2. *efficitur* C 3. *tota res* E *puer. sit* P *sit om.* E 4. *cum ne* E *quidem om.* omnes quo E *et om* E 5. *fungitur* E 6. *sine causa quidquam* LPMCROr.

esse Ciceronem tradens, quia rem significaret, quae prorsus fieri nequiret. Itaque dicam: Nihil posset dici perversius; dicturus alioquin eram: Nihil potest.

et adhaesiones) Erl. [et B] sequens mutavi, quod erat *adhaesitationes*, orta forma *ex copulationes*; quamquam sic scribebatur in Pall. omnibus, Davisianis, Oxx. etiam; Gziani plerique paulum abibant (Gud. 1 et Bas. *adescitationes*, Gud. 2 *adhaesitationes*). Nec *adhaesitare* reperitur et ipsum *haesitare* apud Ciceronem semper significatu translato; nec aptum est frequentativum in generali notione. Idem Lambini et Bremii iudicium fuit.

ex quo efficeretur) Poterat scribi: *ex quo effici*, id est, *et ex eo*; continuativa enim oratio est; sed vitavit Cicero in eodem praesertim verbo similitudinem nimiam. Vid. ad § 30.

cum res tota ficta sit) De hoc coniunctivo, quo significatur, non prorsus eodem loco utrumque haberi, sed alterum aut generalius aut dignitate prius esse (nam in iis, in quibus etiam temporis discrimen est, non fere offenditur), cum Heindorfus ad I N. D. 1 dubitasset, infinitum est, quot contra dixerint, ut iam in scholasticis libris res tradatur. Sed hoc loco sane suspectus coniunctivus fit, quoniam et [B et] Erl. et cod. Vict. omittunt *sit*. Potuit excidere, ut saepe excidit, librariis non intellectum est. [Tenet tamen A.]

ne efficit quidem) Om. *quidem* [B,] omnes Dav., Ox. χ ; fuisse dicitur in omnibus Gzii, errore manifesto. Pro *tum ne* E ξ , Bas. *tamen non*, quos perspicuum est non habuisse *quidem*; corrigendo enim error occultatus est, quae correctio (om. *quidem*) est etiam in ed. Crat. Nam ceterae ante Aldum ut codices.

quo nihil turpius physico quam) Quod inerat in ipso relativo, explicatur adiecta per *quam* integra sententia, quo fit, ut alterum comparationis membrum dupliciter significetur. Dixit de hoc epexegesis genere, Graecis et Ciceroni valde usitato, nec magis in relativo quam in demonstrativo, Heindorfus ad I N. D. 38, citatis etiam superioribus, Marklando,

dicere) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis; nec tamen id, cuius causa haec finxerat, assecutus est. 20. Nam si omnes atomi declinabunt, nullae umquam cohaerescunt, sive aliae declinabunt, aliae suo nutu 5 recte ferentur, primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur; deinde eadem illa atomorum (in quo etiam Democritus haeret) turbulenta concursio hunc

1. *illud* E 2. *a regione* E *regionem* (om. e) LP 3. *hoc* L *id* C
5. *suo motu* EL 6. *hic* L 7. *eadem* om. L 8. *etiam* om. L

Toupio, Wopkensio; vid. de Orat. I, 169, II, 38 et 302, Verr. IV, 77, ad Attic. IV, 8 B 2, Acad. I, 45. De Graecis satisfaciet exempla quaerenti Matthiaeus Gramm. Graec. § 450 not. 2 et quos ille citat. Hoc loco rem a plerisque superioribus editoribus non intellectam iam Bremius confecerat coniecturasque refutarat, advocato illo ex libro I de N. D. loco et comparatis aliis generibus pronominis adiecta sententia declarandi (velut: *quod* — *quanta vis insit*, II N. D. 24 cet.). Ne sic quidem Gzius, quid ageretur, intellexit.

20. *si omnes* — *sive aliae*) Tuetur hanc dilemmatis formam codicum consensus; exemplum eiusdem generis nec apud Ciceronem nec apud quemquam prosae orationis scriptorem inventum est, ne apud poëtam quidem; nam aut dissolutis sententiis ponitur *si* — *sin* (*si*) aut coniunctis *sive* — *sive*, quorum hoc Manutius, illud Dav. reponi voluerunt. Comici paucis locis *si* — *sive* dixerunt, sed in una sententia (*si media nox est sive est prima vespera*, Plaut. Curc. I, 1, 4; cfr. Bentr. ad Ter. Andr. I, 3, 11 [et Ritschl. in proll. ad Plaut. Trin. p. 85; C. I. Lat. I n. 206, 4]). Quae praeterea comparantur a Gzio ad Acad. I, 7, alienissima sunt. In illo ipso loco Cicero incipit a forma dilemmatis connexi (*sive enim Zenonem sequere*); deinde, interpositis aliquot verbis, cum longior facta esset prior pars, tamquam de integro orditur (*si vero Academiam veterem persequamur*), ut, modo vera sit scriptura ac non Turnebi coniectura sequenda (neque enim satis causae videtur fuisse deflectendi in aperto orationis progressu), non alius generis sit hoc anacoluthon, quam cum pro altero *nec* in diiunctione negativa alia forma substituitur, de quo genere dicitur in exc. ad I, 23; eaque ratio certa est Tusc. I, 97. Mox *nutus*, ut tribus aliis Ciceronis locis, est *pondus et inclinatio*.

(*in quo etiam Democritus haeret*) Non videtur dicere, ipsum Democritum difficultatem confessum esse, sed in ea deprehensum se non expedivisse. Neque enim quidquam ab eo

mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici, credere aliquid esse minimum, quod profecto numquam putavisset, si a Polyæno, familiari suo, geometrica discere maluisset quam illum etiam ipsum dedocere. Sol Democrito
 5 magnus videtur, quippe homini erudito in geometriaque perfecto; huic pedalis fortasse; tantum enim esse censet,

1. *efficere ornatum* E *physici* om. C 2. *esse* om. E 3. *geometricam* [AL] *geometricam* MCROr. 4. *illud* E *illam* [ceteri praeter A] Or. *ipsam* L 5. *geometricaque* LPM *bipedalis* LPMCROr. 6. *esse* om. F

ad eam solvendam excogitatum videtur. Lucret. II, 167 sqq. affirmando pugnat.

credere aliquid esse minimum) Nam materiae partes *infinite* secari et dividi posse, cum esset nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequiret (Acad. I, 27), ceteri philosophi docebant, cum viderent, nullo iure in eadem materiae notione insisti aliquo loco, ultra quem procedi dividendo non posset. Epicuri sententiam (*τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοῦλαττον ἀναίρετόν*, Epic. in epist. ad Herodot. apud Diog. Laërt. X, 56) Lucretius explicat I. 528 sq.

Polyæno) Lampsaceno, qui cum magnus mathematicus fuisset, postea, Epicuro auctore, totam geometriam falsam esse putavit. (Acad. II, 106.) Nominatur aliquotiens a Diogene inter Epicuri familiares.

geometrica) Quod est in Erl., coniectura reppererat I. F. Gronovius (Obs. II, 2) probaveratque Bremius, cum in quinque Pall. esset *geometricam*, ut in [B et] Vict. cod. Davisius de suis codd. tacet, Oxx. item; Gzizius suos vulgatam „mordicitus“ tenere narrat, nescio qua fide in ceteris, de Erl. falso. Sic in Tusc. I, 57 est *geometrica discere*, multaque eiusdem generis alibi (*musica, dialectica*, al.). Quod sequitur mox substantivum, eodem modo de Orat. I, 187 est: *in musicis — in geometria*.

quam illum etiam ipsum) Sic [A,] videbaturque latere in Erl. [et B] scriptura. Gronovius oblitus erat hoc simul corrigere. In vulgata scriptura pravus est ordo verborum, cum *etiam ipsum* praeponendum fuerit.

homini erudito in geometriaque perfecto) Solet Cicero etiam magnificentius de Democrito loqui, famam quandam sequens, simul ut Epicurum deprimat: Tusc. I, 22, Acad. II, 73. *Ἦσκητο καὶ τὰ μαθηματικά*, Diog. IX, 37; cfr. Plut. adv. Stoic. 39 p. 1079 E.

huic pedalis fortasse cet.) Ipse Epicurus in epist. ad Pythoclem (Diog. X, 91): *τὸ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἀστρῶν κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικούτόν ἐστιν ἡλίον φαίνεται*,

quantus videtur, vel paulo aut maiorem aut minorem.
21. Ita, quae mutat, ea corrumpit, quae sequitur, sunt tota

2. *iaque* (pro *ia quae*) [A] EMCR *corrumpit mutat ea* (pro *mutat ea corr.*) E *ea quae* (pro *ea*) C [in A *ea* superscriptum est] *quod* (pro altero *quae*) L *sequuntur* E *sequitur quae* (*que*) *sunt tota* MC et, om. *sunt*, LPR

κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ ἦτοι μείζον τοῦ ὀρωμένου ἢ ἕλαττον μικρῶ ἢ τηλικούτων ἡλικίον ὀράται, ut iam alios (velut Lucret. V, 564 sqq., Cleomed. *περὶ μετεώρων* II, 1) nihil opus sit testes citare. Sequebatur hoc ex decreto de sensibus numquam fallentibus et imagines ab ipsis rebus emissas accipientibus. Frustra autem Schneiderum (ad Epicuri Physica p. 105) Epicurum inscitiae crimine liberare conari, quod τὸ πρὸς ἡμᾶς μέγεθος et τὸ κατ' αὐτὸ distinxerit, satis patet et notavit Bakius ad Cleomed. l. c., quoniam de ipso τῶ κατ' αὐτὸ μεγέθει haec dicuntur. Nimirum in omni hac parte Epicuri physicorum hic est error, quod, quae dici possunt de *φαντασία*, transfert ad res externas, de quibus sensus iudicant. De eadem re Cic. Acad. II, 82: *Quantulus nobis (sol) videtur! Mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum. quam videatur, sed non multo; ne maiorem quidem multo putat esse. vel tantum esse, quantus videatur, ut oculi aut non multum mentiantur aut nihil.* Pedalem solem, oculorum mensura utens, dixerat iam Heraclitus (Plut. de Plac. Philos. II, 21 p. 890 E), quem Epicurus secutus videtur; cfr. Senec. Quaest. Nat. I, 3, 10 (*solem sapientes viri pedalem esse contenderunt*) et Arnob. adv. gent. II, 61. (Apud Achillem Tatium III p. 82 Petav. Bakius ad Cleomed. II, 1 p. 389 recte pro *ποδιαῖον* scribi vult *διπλάσιον*.) Non potui igitur facere, quin [AB et] Erl. et Vict. cod. sequerer contra alteram scripturam, in qua editores nihil aliunde discrepantiae annotarant. Erroris origo obscura est.

21. *Ita, quae mutat — quae sequitur*) Editam scripturam prorsus confirmat Vict. cod., illa: *quae mutat, ea corrumpit etiam mg. Crat.* Similiter atque in meis aberratum in aliis fuisse, certus sum; annotatur tantum ex *ἐξ sequitur quae* pro *sequitur*. El. 2 habebat *sequuntur*, ut quosdam legi velle Lambinus annotarat; probabat Davisius, *quae sequuntur* barbare accipiens de iis, quae Cicero subiecturus esset. Cicero. ut utrumque membrum simile esset, cum abundantia quadam dixit, quae sequeretur Epicurus, id est, quae a Democrito sumeret nec mutaret, ea esse tota Democriti. Non multo aliter dixit V, 22: *cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt.* Easdem esse res, significatum satis erat, cum omnia illinc translata dixisset.

Democriti, atomi, inane, imagines, quae εἰδωλα nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus; infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur et intereant cotidie.

5 Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset, nollem vituperatum.

VII. 22. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογική dicitur, iste vester
10 plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distingvantur, ostendit;

1. *inanes* LPMC *idola* [A], *ydola* codd. 2. *quarum* Non. p. 129 Merc., qui haec citat: *quarum* — *vocant. incursionem* LPMCR Non 3. *invitricio ipsa* E *apirian (m)* codd. *vocantur* E 4. *que et* E *cum et* L 5. *in illo modo* E 6. *eum* om. E *est* (P) 7. [*vituperare* A'] *vituperatur* R 8. *alt. in* E 9. *disserendi ac quaerendi* L [*logice* A] *noster* C 10. *quidem* om. E *ac mundus* E 11. *de* om. L *aut* L

atomi, inane, imagines cet.) Nihil attinet de his dicere, quae a Cicerone nominantur tantum et in libris pervagatis traduntur. Pro *quorum* Davisius et Ernestius *quarum* malebant, ut non ad Graecum vocabulum perspicuitatis causa additum, sed ad Latinum referretur. Non necessaria mutatio est. [C. F. W. Muellerus: *tota Democritia, atomi, sine necessitate.*]

qui eum unum secutus esset) Pro *esset*, quod Latinorum more ad primariae sententiae formam accommodatur, Manutii et Lambinus dederant *est*, quod ab uno El. 1 confirmatum Dav. tenuit. Ceteri Dav., Oxx. χψ, Gzii omnes, [B] *esset*. Epicurus in Democritum ingratum fuisse, Cicero dicit etiam N. D. I, 93; cfr. Plut. Non posse svaviter cet. 18 p. 1100 A, Diog. Laërt. X, 8; quamquam alii Democritum ab eo in honore habitum narrabant; Plut. adv. Colot. 3 p. 1108 E.

Cap. VII, 22. *Iam in altera philosophiae parte*) e tribus illis, quae in scholis numerabantur. Epicurus logicam ὡς παρέλκουσαν ἀπεδομίμαζεν (Diog. X, 31) et pro ea relinquebat τὸ κανονικόν, partem de iudicio (περὶ κριτηρίου), qua constitueretur regula (κανόν) veri et falsi, proxime physicis adiunctam, ita ut dubitaretur, bipertitam an tripartitam disciplinam fecisset. Vid. Diog. Laërt. X, 31. Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 14, Senec. Ep. 89, 11; cfr. h. libr. 63. Acad. II, 97.

iudicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat.**** 23. Confirmat autem illud vel

3. Lacunae nota nulla in codd. *illud et maxime E*

iudicia rerum in sensibus ponit) Iudicia rerum hic singulatum dicit, universe *iudicium veri* Acad. II, 29. Diog. X, 31: *Ἐν τῷ κανονί λέγει ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ πάθη*. Sed ipsa *προλήψεις* a sensu quodam saepe repetito ducebatur, nec *πάθος* a sensu distinguebatur. Itaque omnes sensus semper veros esse ducebat (infra 64), errores ex opinione adiecta oriri (vid. Diog. X, 31 sqq., Epicur. apud eundem Diog. X, 146, *καρ. δοξ.* 23 sqq., Cic. Acad. II, 79, N. D. I, 70. Lucret. IV, 379 sqq.), in eo saepissime labens, quod affectum et rem afficientem confundebat, talia omnia esse, qualia viderentur, affirmans. Mox Davisius male e Parr.: *et veri et falsi*, quasi horum separatim iudicium sit ac non hoc ipsum iudicetur, utrum verum an falsum aliquid sit.

23. *Confirmat autem illud cet.*) Patet, excidisse in nostris codicibus [fortasse etiam] finem reprehensionis alterius partis, [sed certe] initium eorum, quae ad tertiam partem, ethicam, pertinent. Explere lacunam Marsus conatus est, cuius supplementum alii quidam tenuerunt: *In tertia vero parte, quae est de vita et moribus, in constitutione finis nil generosum sapit atque magnificentum. Confirmat illud cet.* (deleto autem, quod cum Gruterus, qui supplementum expulit, non revocasset, restitutum est a Davisio e quinque codd.; habebant sine dubio omnes; tenent Oxx. et Gziani). Sed ea, quae post lacunam prima sequuntur, vulgo pro integris sic eduntur, ut sunt apud Orellium, non solum contra codd., e quibus *sciscat* scriptum erat etiam in Vict., Pall. omnibus, Oxx. EUZ, [B] (Dav. et Gzianus tacent), *probat* habet etiam Pal. 1 [et B], id est, optimi, sed etiam contra sententiam; neque enim recte Epicurus *confirmare voluptatem et dolorem* dicitur. Itaque Davisius et Bremius scribi volebant: *id esse*, quibus perverse obloquitur Gzianus. Sed everunt istam coniecturam voces *ut ait*, quae hoc modo inepte interponantur sententiae incipienti a *confirmat*. Postremo *reprobare* nec Cicero alibi nec eius aequales habent; apud Quintilianum demum positum est (VI prooem. 3), apud quem ipsum codex praestantissimus, Ambros. 1, habet *repugnantibus*, deinde apud iuriconsultos tertii saeculi; nec, si diceretur Ciceroniane, aptum esset dolori, qui non improbatur, sed fugitur. Itaque haec quoque verba, cum praecedentia exciderent, per-

maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet, id est, voluptatem et dolorem. Ad haec, et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia. Quod quamquam Aristippi est a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur, tamen
 5 eiusmodi esse iudico, ut nihil homine videatur indignius. Ad maiora enim quaedam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest, ut errem; sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatium, qui hoc primus cognomen invenit, aut torquem illum hosti detraxisse,

1. *asciscat* LCO. *reprobet* LMCOR. [*idē* A] *idem voluptatem* E
 2. *et ante dolorem* om. E 3. *quamquam omnia* Arist. L 5. *cuiusmodi* E
 6. *confirmavit* R 7 *quid* E 8. *ne enim* (pro *neque eum*) E *primis* E *prius* L 9. *cognitionem* (pro *cognomen*) E *invenit* [A] LPMCROR.

turbata sunt. Videtur Cicero dixisse, Epicurum sententiam suam eo confirmare, quod idem natura scisceret ac probaret, traducto similitudine *sciscendi* verbo. Cetera non expedio. [Frustra Graserus in programme gymnasii Gubenensis a. 1847 p. 1 sqq. ostendere conatus est, nihil excidisse, etsi Baitero satisfecit. Nam nec post illa in § 17: *Principio in physicis* et in § 22: *Iam in altera* cet. sic occulte transiri ad tertiam partem poterat longeque diversa est ratio brevissimae illius in § 26 percursionis, et ipse ordo verborum (*confirmat autem illud*) ostendit non ad novam rem hic transiri (dixisset saltem Cicero: *Summum autem bonum confirmat*), sed pergi in eiusdem rei expositione. et pravissime dicitur Epicurus *confirmare* id, quod natura sciscat, pro eo, quod est *probare et tenere*, nisi quod pravius est: *quod natura probet, id est, voluptatem et dolorem.*]

melius liberiusque) quod illi aperte unam et veram voluptatem, in iucundo motu positam, defendebant, Epicurus inconstanter alteram non dolendi admiscebat. Vid. II, 19 et 35 sqq. Victorius e suo cod. *uberius*, quod natum est littera *l* non satis porrecta.

neque eum Torquatium) Cum duorum Torquatorum exempla commemoraturus esset, exorsus est a forma diiunctionis negativae (*neque — neque*), sed priore parte longius tracta, alteram aliter subiecit: *Quid? T. Torquatus* cet. Haec bimembris orationis interruptio quoniam late patet pluresque complectitur species, de ea re exponendum putavi in excursu ad h. l. Ipsam T. Manlii Torquati pugnam cum Gallo ad Anienem et torquem caeso hosti detractum fama celebravit; vid. Liv. VII, 10, (quadrig. apud Gell. IX, 13, Flor. I, 13, al.

cognomen invenit) Personam ex pluribus unam definit ad-

ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Vesperim propter voluptatem. Quod vero securi percussit filium, privavisse

1. *corporis voluptatem* M *voluptatem corpore* Or. 2. *conflixisse Vesuvium* C 3. *percusserit omnes*, Or. *privasse* E

dita rei gestae nota extra reliquae orationis obliquae nexum. Itaque requirebatur indicativus non minus hic quam in Tusc. IV, 49: *Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detravisse.* Atque hic concursus memorabilis illius loci et codicis Erl. [cum B, adversante tamen A,] id etiam efficere debet, ut in similibus locis aliquid rationi tribuatur, quod Wesenbergius iure fecit in programmate de orat. Caeliana p. 15, de Brut. 57 et 79 Schuetzio assentiens; in orat. de imp. Pomp. 5, ubi ipsa personae significatio continetur sententia relativa, amico non assentior. Cavendum autem, ne quis eos etiam locos attingat, in quibus latet aliqua aut causae aut contrarii significatio, velut pro Flacc. 33 (ubi hoc: *qui L. Flacco successerit* est: *qui tamen eodem loco fuerit*) et ad Att. XII, 21, 1 (*Caesaris, qui tum praetorio loco dixerit*).

corpore voluptatem) *Voluptatem corpore* Gzuius e tribus suis; quartus habebat *voluptatem corporis*. Vitiose dissolvitur verborum compages ablativo in ultimum locum reiecto, et quod accusatur eadem vox bis in fine sententiae posita, prorsus in eiusdem notionis repetitione sic poni debet. Dav. e Parr. 1 et 3 annotat: *corpore perciperet voluptatem*. Scilicet scribae coniunxerunt *ex eo corpore*. Delendi vocabuli nulla est ratio, cum hoc ipsum Cicero premat, corporis esse illam voluptatem. Cfr. N. D. I, 111.

tertio consulatu conflixisse apud Vesperim) a. 340 a. C. n. cum collega P. Decio, qui in eo proelio se devovit. „haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Vesperim ferebat“ (Liv. VIII, 8, 19). Vesperim fluvium (sic appellat Victor de vir. illust. 26 et 28) in hac narratione omnes nominant, quos enumerat Beierus ad Cic. Off. III, 112, alibi nemo. *Vesuvium*, notius nomen, subiciebant duo Gzii codd. et veteres quaedam edd. Itaque in mg. Crat. et e cod. Vict. verum annotatur.

securi percussit) eodem bello ante pugnam; Liv. VIII, 7, Gell. IX, 13, al. Ausus sum hic sine codd. [cod. Glog. apud Baiterum nulla auctoritas est] indicativum restituere, ut paulo ante cum Erl. Res ex historia sumpta, de qua iudicatur, ipsa plane seiuncta est ab illo *videtur*; ac ne sic quidem defendi coniunctivum verborum ordo sinit, ut ultra veros fines

se etiam videtur multis voluptatibus, cum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii.
 24. Quid? T. Torquatus, is qui consul cum Cn. Octavio fuit, cum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in
 5 adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum

1. et (pro etiam) E patrio quoque PMCR primoque L 2. amore E
 3. L. Torquatus omnes [cum G. N. Oct. A] cum C. Oct. L 5 adaptionem E [Sillano A] manciparat C Macedum E

progressa infinitae orationis vis putetur. [Scrupulum tamen hoc inicit.] Simile dicas II de Divin. 67: *quod ipse et equus eius repente conciderit, non sane mirabile hoc quidem.* Sed ipsae voces hoc quidem admonent, ut melius verba interpungamus et quod alio referamus: *Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt: „Quod ipse et equus eius repente conciderit.“* (Haec ex adverso dicuntur et hoc primum est membrum, cui Marcus occurrit.) *Non sane mirabile hoc quidem.* „*Quod evelli primi hastati signum non potuerit.*“ *Timide fortasse signifer evellebat cet.* Itaque ibi quod ponitur in iis, quae universe cum significatione dicendi aut sentiendi comprehensa sunt, particulatim adiungendis, ut saepe, [de quo genere dixi Opusc. II p. 236]. Similiter Phil. V, 17 (*An illa non gravissimis ignominis monumentisque huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe palam secum habuerit armatos cet.*) sic quod annectitur pronomini illa, ut ad ipsam sententiam pertineat vis verbi praecedentis, quasi sit: *an non notandum, Antonium habuisse cet.* (Cfr. Caes. B. C. I, 23: *pauca apud eos loquitur, quod cet.*) [Alius esse generis eos locos, quos Iordanus ad orat. pro Caecina 26 citat, facile ostendi potest; satis erit vel ad ordinem sententiarum et locum particulae quod attendere. Proprio loco habendum esse, quod Cicero ter, in Verr. II, 15 et V, 175 et in Pison. 66, eodem modo, quo comici aliquotiens, quod cum coniunctivo posuit ita, ut esset: *si forte, etiamsi*, dixi Emm. Liv. p. 415 not. Nam olim hic in Pisonianae loco videtur scribendum iudicaveram. Singulare est etiam et indidem, opinor, ortum, quod Ovidius aliquot locis quod cum coniunctivo ponit fere pro *quamquam* in concedendo: Epist. IV, 157, Metam. VII, 705, Trist. IV, 9, 17, ex Ponto IV, 10, 25.]

24. T. Torquatus) Praenomen plurimum coniectura restitutum est (nam codd. etiam aliorum L.) e Liv. epit. 54. Val. Max. V, 8, 3, ubi eadem res narratur, didasc. Hecyr. Ter., fragm. fast. Capitol. Consul fuit a. 165. [Bait. praenomen omisit; constanter a Cic. addi in hac forma: T. T., is qui demonstrat I. Muell. II p. 8.]

legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet, reque

1. *pecuniam* L

D. Silano emancipaverat) Itaque apud Livium et Val. Max. ipse D. Silanus appellatur. Proprie autem Cicero dixit; nam adoptio fiebat mancipatione, patre filium ter emancipante, de quo more vid. Sveton. Aug. 64, Gell. V, 19, Gai. Inst. I, 134, l. ult. Cod. de adopt. (VIII, 48) et qui ex his fontibus rem exposuerunt, ut Heineccius in Syntagm. Antiqu. I, 11, 15. Mox, ubi est *pecunias cepisse*, addi poterat *contra leges*; sed alibi quoque, illo omisso, in hanc partem dicitur, ut Verr. III, 218, de Legg. III, 46, Sall. Jug. 32, Liv. XLIII, 2, 3. *causam apud se dicere iuberet*) In epitoma Liv. narratur, cum senatus cognoscere vellet, Torquatium petisse et impetrasse, ut sibi cognitio mandaretur, similiterque apud Valerium, qui solum per totum biduum utrique parti vacasse addit. Haerent Sigonius et Dukerus, quod legati senatum adeunt senatusque cogniturus fuisse dicitur, cum iam aliquot annis ante (a. 149 a. Chr.) lege Calpurnia quaestio de pecuniis repetundis constituta esset; nam Silanum ex Liviana epitoma intellegitur Macedoniam rexisse post Q. Pompeii consulatum (a. 141). Equidem ne antea quidem senatum neque de repetundis neque de ullo alio crimine cognovisse et iudicasse arbitror, neque sine lege aliis mandasse, ut quaerent; sed longum est hoc contra Dirksenium (Civilistische Abhandlungen I, 2) persequi. Deinde privato homini et uni cognitionem mandari a senatu mirantur; nam patriae potestatis nec huiusmodi cognitio erat, nec eam Torquatus habebat filio in adoptionem dato. Scilicet iudicii forma et apparatus a narrantibus et rem exornantibus accessit. Legati provinciae, qui accusatores Romanis legibus esse non poterant, ad senatum adierunt iniurias suas querentes et remedia petentes. Quae de ea re senatus decreasset, si res relata esset, et existimationem Silani laedere potuissent et praeiudicio esse, si quis postea vere in foro accusaret. Torquatus petiit, ut ea res ne ante ageretur, quam ipse causam cognosset. Sed tota haec privata cognitio erat, cuius nec absolutio veram accusationem impeditura erat neque damnatio poenam ullam legitimam afferebat. Cicero tamen iudiciali verbo utitur, *videri* pronuntiasset dicens (II Acad. 146, in Verr. V. 14). Pro *videri* codices deteriores alii (Lambini et Gulielmi quidam) *fideri* (Germanica illa pronuntiatione, quae in comment. in Verr. I, 141 *fabrum ex vafro* fecit), alii illinc progressi *fidei* habent (eorundem aliquot, Gud. 1, Bas.). Vict. cod. *firti* habuit.

ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent, et in conspectum suum venire vetuit, numquid tibi videtur de voluptatibus suis cogitavisse? Sed ut omittam pericula,
 5 labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates, dolores denique quosvis susci-

1. pronuciare E pronuntiasset C talem fidei fuisse PR 3. videtur tibi LPMCROr. 5. dolores E 6. suscipit E 7. denique pro suis suscipere L

et in conspectum suum venire vetuit) Melius sane, quoniam in hoc ipso inest severitas, Cicero scripsisset *vetaret*. ut coniungeretur cum *iuberet* et *pronuntiaret*; duriorque etiam hic negligentia ea est, quod non in exitu periodi postremum membrum dissolvitur, sed in media periodo. Nec tamen dubitari potest, quin sic Cicero scripserit; vid. excurs. I extr. (Handius Turs. II p. 486 simplicem ait esse verborum rationem; sic enim pergere, quasi ante dixerit: *severitate adhibita pronuntiavit et vetuit*. At qui ex hoc: *pronuntiavit et vetuit fit: pronuntiaret et vetuit*? Mirifice interdum philologi convivendi artem tenent.) Valerius Max. et epitome Liviana addunt, Silanum vitam suspendio finisse nec patrem ei exequias isse. [Mox tibi videtur pro *vil. t.* ex ABerl. restitutum.]

dolores denique — officii partem) Adeo haec, si sola spectantur, apte et Ciceroniane dicta sunt, adeo nullam additamenti aut notam aut causam habent, ut deleri mutarive nullo modo possint, cum praesertim apertum sit, quid Ciceroni acciderit, ut sic scriberet. Nam cum de praetermittendis voluptatibus dixisset, augendo progressus est ad dolorum officii causa susceptionem commemorandam. Et tamen ita haec scripta sunt, ut, qui tamquam recte scripta defendere velit, nihil agat; voluerunt autem Gzius et Otto: volet omnis natio superstitiosorum Ciceronianorum. Inceperat enim a rerum iniucundarum et molestiarum commemoratione, quae nulla expectata voluptatis mercede susciperentur; addere poterat: cum omissione etiam voluptatis; illud vitiosum est: ut etiam molesta suscipiantur. Davisius haec omnia delebat; Bremius modestius supra tollebat voces *dolorem etiam*, ut pro *quem* scriberetur *quae*, quo remedio non multum efficitur. Nam vel sic haec dicuntur: ut omittam molesta, quae optimus quisque suscipit sine spe mercedis, (hic subsistendum erat; sed additur:) „ita ut etiam dolores suscipiat“. Non tulerunt

pere malit quam deserere ullam officii partem, ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. 25. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poëtarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert? Nec mihi 5 illud dixeris: Haec enim ipsa mihi sunt voluptati, et erant illa Torquatis. Numquam hoc ita defendit Epicurus neque

2 [ueniamus corr. ex uideamus A] 7. Torquati [A]EPM

in Cicerone naevum; at quam multos et in hoc opere et in omni hoc genere eius scriptorum non viderunt! Cfr. ad II, 35 et quae de toto genere in praefatione nostra II § 4 exposita sunt.

omittam — veniamus) Numeri mutatio in eadem periodo non ita infrequens, etsi ad nostras aures offensionem habet. Vid. § 1. Vereor, ut recte olim mutaverim, quod scribitur pro Ligario 20: *Sed ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Utrum tandem existimas cet., quamquam ibi et in brevissima oratione et membrorum aequalitate durior est mutatio.*

25. *quid historiae cognitioque rerum*) Mire Bremius dubitat, quo casu *historiae* positum sit, et eo delabitur, ut genetivum esse velit, ut si dicatur: *historiae cognitio cognitioque rerum*, quod ferri nullo modo potest. Ecce autem Goerenzius *cognitionem rerum* philosophiam esse statuit; eam una notione cum historia coniungi non posse; itaque delevit *historiae* et *que*; nam *que* „glossis iungendis inservire“; o barbariem! et quam mira narrantur de librariis! Cicero Torquato Epicureo non illam cognitionem rerum tribuit. quam philosophia promittit (et belle huic superaddidisset poëtarum evolutionem, versuum memoriam!). sed encyclopaedicam illam, quae in liberaliter instituto homine esse solet, eamque in litteris partiendis cum historia coniungit, quod ex prosae orationis scriptis hauritur rerumque magna pars ex historia sumitur. (Plin. Epist. I, 22: *Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet!*) *Historias* dixit de singulis historiae partibus, ut V, 64. Aliter historiae a Quintiliano I, 8, 18 et poëtis dicuntur.

Haec enim ipsa) Non tam ellipsis est in hoc particulae usu, quod negat Handius II p. 394, quam coniuncta affirmationis et causae explicationisque additae significatio; sed tamen haec in particula ipsa inest, illa ex hac oritur. Exemplis add. Brut. 152.

Metrodorus aut quisquam eorum, qui aut saperet aliquid

1. *vero tu aut* (pro *Metrodorus aut*) [A]ELMOR. *vero troii aut* PR
vero tu Triari aut C

neque Metrodorus [in priore editione *neque vero tu*] *aut quisquam*) Quod in ed. I est: *neque vero tu, Triari, aut quisquam*, tenuerunt Vict., Grut., Ern. Vocativum *neque* [B *neque*] Palatinus ullus habet *neque*, ut videtur, Oxon.; Davisius in eo omittendo uno auctore utitur codice Ball., Gzius Erl. et Spir. Nec Triarium Cicero hic alloquitur, *neque* Stoicus (II, 119) inter Epicureos, a quibus desciscere Torquato non liceret, referri potuit. Perverse tamen scripsit Cicero, si ita, ut edebatur, scripsit. Nam cum Torquatum admoneat, non licere ei, si verus Epicureus esse velit, illo modo sententiam defendere, quid ad rem pertinet, quid ipse Torquatus ante dixerit? Scholae constantia commemoranda sola erat. Et qui poterat Cicero illud scire, quocum Torquatus numquam ante de hac re locutus esset (§ 14)? (Nam quod Gzius ad *tu* andiri vult *defenderes*, primum non potest ullo modo sic mutari intellegendi verbi modus in novo subiecto per *neque* adiuncto, cum praesertim in *quisquam* redeatur ad *defendit*; deinde nimis lepide Cicero Torquatum admonet, ne id dicat, quod dicturus non sit: *ne feceris; nam non faceres*.) Haec incommoda sensit P. Manutius intellexitque inter Epicuri nomen et illa: *aut quisquam*: apte nihil aliud interponi posse nisi praestantis alicuius veteris Epicurei nomen. Ergo venit ei in mentem: *neque Metrodorus aut quisquam*. scite hercle; *neque* enim alius aptior huic loco quam Epicuri collega sapientiae (vid. ad II, 7). Sed ipse a libris longius hoc discedere confitetur, a melioribus praesertim; nam illo spectare videri possint illa in deterioribus: *neque vero troii* (etiam in vett. libris Lamb., Pal. 4, Oxx. Uχ; Gzius partim hoc, partim *neque vero torii* in suis praeter Erl. et Sp. esse dicit; cod. Vict. *neque vero modo aut qu.*) Sed nec haec proxime accedunt et periculosissime ex his codd. coniecturae ducuntur. praesertim ne conspirantibus quidem; nam in LM, Oxx. saltem Eξ nihil tale. *Neque vero* rarius ponitur in novo substantivo eidem verbo adiungendo, nisi in diiunctione negativa (*neque — neque vero*, de qua forma vid. Opusc. Acad. I p. 406); alibi fere augetur res negando (*und zwar nicht*), ut in Tusc. III, 24, hic II, 54 et 93, IV, 11, V, 29, aut nova sententia sic annectitur. Sed tamen eodem modo ponitur hic I, 67 (in infinitivo) et I N. D. 18 (*non opificem aedificatoremque mundi Platonis de Timaeo deum nec anum fatidicam. Stoicorum ἀγόροισιν — neque vero mundum ipsum animo et sensibus praeditum*) et Orat. 71. [Nunc cum Baitero

aut ista didicisset. Et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei, sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem. Homines optimi non intellegunt, totam 5 rationem everti, si ita res se habeat. Nam si concederetur,

2. sunt LPMCR Epicuri ECR 3. hoc MROr. putat PMCR
4. licentiam E 6. se res LPMCO.

Metrodorus posui. Prorsus enim apertum est, inter *Epicurus* et aut quisquam, qui aut sciret antiquum Epicureum nominatum esse. Ceterum expectes non eorum, sed istorum, ut Epicurei demonstrantur.]

cur tam multi sint) Leviculum errorem (sunt) Lamb. tacite correxit, deinde Dav. Rectum habuit etiam Spir. [B]. Deinde haec maxime (causa) recepi ob auctoritatem [AB.] Erl., Spir., Gud. 2. Est etiam in Ox. ζ. De ipsa re cfr. Tusc. IV, 7, ubi Cicero recte addit facilem disciplinae minime abstrusae cognitionem. Conveniebat Epicuri disciplina animis a religione aversis et in perdita re publica et moribus otium sectantibus, non veritatem.

ita putant dici) Sic (pro putat) Dav. in El. 2 legi annotat, Gzius in Gud. 1 et Bas. (Erl. oblitus est et fortasse etiam Spir.); est ita in mg. Crat. [et AB]; Vict. cod. putavit. Recepit putant Orellius, citans Tusc. IV, 6. Recte de Ciceronis usu praecepit Zumptius § 366. In illo autem Tusculanarum loco quod Klotzius invitabatur sic tuetur, ut sit: *es wurde eingeladen, es fand eine Einladung statt*, nihil prorsus proficit; nullius enim verbi Latini passiva forma impersonaliter ponitur, nisi quod aut intransitivum est aut pro intransitivo poni potest (ut *amo, bibo*). [In eo, quod I de Orat. 186 scribitur: *posteaquam est editum* (nullo subiecto), iure Schuetzius haesit, nec dubitandum videtur, quin aliquid subsit mendi.]

si ita res se habeat) Hoc ordine etiam [AB,] cod. Vict., Spir., Gud. 1 apud Gzium. Sequor codicum praestantiam, regulam certam non novi. Hoc ordine II de Orat. 271, N. D. II, 23 et III, 89 (ex optimis codd.), Acad. II, 54, Legg. I, 36 (sed postposito *sic*), altero fortasse etiam saepius, ut II de Orat. 23, Cat. 65, Tusc. V, 63, ad Att. II. 22, 1. Legg. I. 58. Aliter implicatur ordo adverbiorum transpositione, de qua quae dixit Handius Turs. III p. 498, parum firma reperientur, si ad ipsos locos exacta fuerint.

etiãmsi ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se esset et virtus et cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. 26. Haec igitur Epicuri non probo, inquam. De cetero vellem equidem aut ipse

2. [esset iocunda A] et (posterius) om. E 4 quidem E

etiãmsi ad corpus nihil referatur) De re vid. ad § 55. Mirari aliquis possit, Ciceronem in hac inclusa sententia et pendenti praesens tempus retinuisse nec ad condicionalem formam primariae eam accommodasse. in ea praesertim re, quae non extra condicionem et ab ea seiuncta intellexeretur, cum alibi propter notum Latinorum studium sententias annexas ad primarias verbi tempore accommodandi ad condicionalem formam etiam ea revocet, quae noster sensus diiungat tamquam ad rem veram et praesentem pertinentia: Off. II, 51: *quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi cet.*; ad Fam. XIII, 66, 1: *A. Caecinam non commendarem tibi, cum scirem, qua fide in tuos soleres esse, nisi cet.*; Acad. II, 65: *Itaque, nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, — iurarem me ea sentire, quae dicerem (id est, nunc dico)*; Phil. V, 51: *audebo etiam obligare fidem meam. quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem cet.* [Add Verr. III, 127, pro Balb. 60.] Ideo hic II, 22 dicitur: *cum praesertim esset, ut tu ais, cet., non sit.* et I, 27 *quae diceret, non quae dicit, et IV, 52 cum — quaereremus; cfr. V, 41.* [Plusquamperfecti exempla sunt pro Sull. 14: *investigasset — aperuisset — vindicasset, in Pis. 81, pro Rab. Post. 33, pro Mil. 82.*] Livius quoque VIII, 5, 3: *Tempus erat tandem iam vos nobiscum nihil pro imperio agere, cum florentissimum nunc Latium videretis cet.* Similiter atque hic Tusc. I, 60: *illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem. sive anima sive ignis sit animus. eum iurarem esse divinum.* Videtur Cicero ipsam rem controversam universius eloqui velle. [Ed. Tur. est, errore, ut videtur.]

26. *vellem — doctrinis fuisset instructor*) De Epicuri et ipsius ἀπαιδευσία et ad eam cohortatione multa veteres, fortasse non sine exaggeratione aliqua. Praeter cetera memorabilis ipsius Epicuri vox ex epistula ad Pythoclem annotata (Diog. Laërt. X, 6): *Παιδείαν πᾶσαν, μακάριε, φεῦγε*, ubi Menagius plura congescit. Athen. XIII p. 588 A: *Καὶ πρῶτόν γε μνησθήσομαι τοῦ φιλαληθεστάτου Ἐπικούρου. ὅστις ἐγκυλίον παιδείας ἀμύητος ὢν ἐμακάριζε καὶ τοὺς ὁμοίως ἀπὸ ἐπὶ τὴν φιλοσοφίαν παρερχομένους, τοιαύτας φωνὰς προΐέμενος: Μακαρίζω σε, ὦ οὗτος, ὅτι καθαρός πάσης παιδείας* (sic recte Schweighauserus pro αἰτίας) *ἐπὶ φιλοσοφίαν ὄρησαι.* Sext. Empir. adv. Mathem. I init., Plut. Non posse svaviter cet.

doctrinis fuisset instructor (est enim, quod tibi ita videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur), aut ne deterruisset alios a studiis. Quamquam te quidem video minime esse deterritum.

VIII. Quae cum dixissem, magis ut illum provocarem, 5 quam ut ipse loquerer, tum Triarius leniter arridens: Tu quidem, inquit, totum Epicurum paene e philosophorum choro sustulisti. Quid ei reliquisti nisi te, quoquo modo loqueretur, intellegere, quid diceret? Aliena dixit in physis, nec ea ipsa, quae tibi probarentur. Si qua in iis 10

1. *ita tibi* LPMCO^r *ita* om. R 3. *non* E 4 *quid* E 6 *tu Triarius* E [leniter A] *tum quidem totum inquit* E 8 *thoro* E [quoque modo A¹] *quoque ut id modo* LPMCR 9. *dicit* LPMCR 10. [ipsa ea A] *Si quae* Or. *sed si qua* LPMCR *his* [A]EPCRO^r.

c. 12 et 13 (ubi p. 1095 E sic distingvenda oratio: ἄρ' οὐκ ἄν εἶπε: Τοῖς Σαμίοις, ᾧ Μούσα, τίς ὁ γένος; Ἀθηναίων γὰρ οὐδὲν πρόπει κ. τ. λ.: significatur Epicuri patria). Quas artes Cicero intellegat, patet ex Athenaeo, tum distinctius dicitur h. libr 72. Invidiose I N. D. 72 *pueriles disciplinas* appellat. [Mox tibi ita ex ABERl restitutum.]

Cap. VIII. *Quid ei reliquisti*) Non inscite orationis cohaerentiam ostendunt Oxx. Eξ scribentes: *quid enim reliquisti. quoquo modo*) Sic etiam nig. Crat., Spir., [B.] El. 2, cod. Vict., id est, optimi. Ceteri, quorum fit mentio, ut nostri deteriores. Coniectura verum invenerat Manutius, cum in Maffei libro esset [ut in A¹, teste iam Grutero]: *quoque modo*. Morelii cod. *quoque ut modo*.

Aliena dixit) Sic etiam Pal. 1, Spir., [B.] Bas. Ceteri, de quibus constat, *dicit*, quod etiamsi non optimorum codicum testimonio convinceretur, tamen in hac brevi coacervatione ferri inaequalitas temporum non posset, nec in hac commemoratione praesentis iudicii excusari: *dicit. quae — probarentur*.

Si qua) Sic (non *quae*) Pal. 1 et [B et] Erl., ediditque Gruterus et post Davisius, de codicibus tacens. *Si quae* Bremius „ex quibusdam libris“ (ipse nullos codices habuit), Gzius, Spir. et Bas. testes citans; *sed si qua*, quod antea edebatur (nisi quod quidam *seil si quae*) Oxx. omnes, certe *sed si*; hoc etiam Gziani praeter Erl. et Spir. De discrimine formarum illarum plura legi, quam res merebatur, nihil, quod non ex uno alterove loco sine causa arreptum aut in eo ipso loco aut in proximo a codicibus argueretur, saepe etiam tale esset, ut illa celeriore aut spissiore pronuntiatione significari nullo

corrigere voluit, deteriora fecit. Disserendi artem nullam habuit. Voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit, deinde hoc quoque alienum; nam ante Aristippus, et ille melius. Addidisti ad extremum, 5 etiam indoctum fuisse. 27. Fieri, inquam, Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret? cum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae; maledicta, contumeliae, tum 10 iracundiae contentiones concertationesque in disputando per-

1. *deteriora* — *voluptatem* om. E 3. *quod* (pro *quoque*) E 4. Post *melius* addunt: *etenim quoniam detractis de homine sensibus* LPMCR *disti* (pro *addidisti*) E 5. *Triario* E o *Triari* LPMCR 6. *quod* E *eius* om. E 7. *Epicurum* ER *esse et probarem* E 9. *esset* om. E *dissentientium* LMC R *differentium* P *repreh. dissentientium int. se* E 10. *cum* E 11. *iracundiae contentiones omnes, Or. contemptiones* L

modo posset, velut ea, quae nuper a Stuerenburgio ad orat. pro Arch. 11 excogitata sunt. Ipsa natura pronomini indefiniti et brevioris formae, quae coniunctioni enclitica adhaerebat, commendabat celeriore pronuntiationem, quam infinito plures poëtarum loci habent. Priscianus solam. In uno et altero loco poëtae licenter produxerunt syllabam. In prosae orationis scriptis librarii ad eam ferebantur formam, quae in relativo et interrogativo sola erat. Probabo igitur *qua*, sequar optimos codices in singulis locis.

melius. Addidisti) Quae nostri deteriores, eadem addunt Pall. excepto 1, Davisiani omnes, Oxx., Gziani praeter Erl. et Spir., e § 30. Primus delevit non Marsus, sed Manutius. Erratum est, cum ad novam paginam exempli transiretur, nec postea deleta, quae prave scripta erant.

27. *Triari, nullo pacto*) *Triario* „tres potiores“ Gzii, [B]; o *Triari* Davisiani, duo reliqui Gziani, Oxx. (silentio).

dissentientium) Sic codd. Vict. (qui primus sic edidit) et Mor. et mg. Crat., Pal. 1, [B]. *Dissentientium* Pall. ceteri, Oxx.

iracundiae, contentiones) [Sic edebatur.] Lamb. scribendum putavit: *iracundiae contentiones*, quem Dav. et Gzius sequuntur, ille in Parr. 1 et 3 ita esse scribens. hic Marso eam scripturam tribuens errore, ut solet. Commendat correctionem particula *tum*, quae mutationem aliquam structurae significare videtur, et adiectivum *pertinaces*, ad *iracundias* parum aptum, a quo nomine si se iungitur, ne ad *contentiones* quidem videtur perti-

tinaces indignae philosophia mihi videri solent. 28. Tum Torquatus: Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes 5

1 *Tunc* (P,C) 2. *Torquatus inquit prorsus* C 5. *at omnes*

nere; contra aptissime utrique substantivo suum additur adiectivum. [Itaque nunc sic scripsi, cum praesertim sequatur eadem distributio bipertita: *cum iracundia* (hoc est, iracunda contentione) *aut pertinacia* (hoc est, concertatione in disp. pertinaci).]

in disputando) Omittunt Par. 2. Spir. [non B] et Gud. 2. quorum in hoc genere mendii conspiratio iam § 4 et 6 apparuit.

28. *Tum Torquatus*) Sic Gzius ex Oxx. quattuor, suis omnibus. In transitu et progressu narrationis numquam ponitur *tunc*, quae particula rem uno aliquo temporis puncto definit. Cfr. 29, II, 6.

recte disputari) Omittunt verbum Oxx. Eξ, e Gzianis Spir. et Gud. 1, delevitque Gzius, quo facto, contra atque is putavit, *recte potest* necessario coniungitur cum superiore *disputari*, pravo positu, peritque sententia, quae posita est in disputatione, reprehensionem requirenti, et recta disputatione, iracundiam respuenti, inter se contrarie relatis.

ad haec — habeo quae velim) Brevius Tusc. I, 55: *nisi quid habes ad haec*; hic IV, 1: *aut omittamus contra omnino velle aliquid*; Lael. 32: *nisi quid ad hoc vultis*. Comparandus est is verbi usus, quo dicitur: *paucis te volo* et similia.

An me, inquam) *An* Par. 2 et El. „unus“ apud Dav. [Glogav.] (Gzius: Vacillant, inquit, codd. in *At*; *atque, ac* et *an* exhibentes.) Id, etsi exigua auctoritate munitur, propter sermonis legem cum Man. et Dav. et Orellio tenendum erat; nihil enim ex adverso obicitur. Itaque Handius Turs. I p. 438 ex hoc uno exemplo singulare constituit genus interrogationis ab *at* incipientis, in qua aliquid reiciatur. At Cicero idem se velle significat, quod Torquatus, ut hic loquatur. Annectitur interrogatio alterius verbis, e quibus nata et apta est (*denn*): II 74: *An me, inquis, tam amentem putas —?* Tusc. V, 73: *An tu me in viola putabas aut in rosa dicere?* ibd. V, 35: *An ego possim, cum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?* De Fat. 4: *An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit?* ubi, ut hic, aliquot codd. *at*, vulgari

haec dicturum fuisse? Utrum igitur percurri omnem Epicuri disciplinam placet, an de una voluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitrato. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo eamque max-
 5 inam; de physicis alias; et quidem tibi et declinationem istam atomorum et magnitudinem solis probabo, et Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correctata permulta. Nunc dicam de voluptate, nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam,
 10 pertinax non ero tibi, si mihi probabis ea, quae dices, libenter assentiar. 29. Probabo, inquit, modo ista sis

1. *utrum qui percurri* E *Utrum igitur, inquit, percurri* [A²]Or. [A¹ ut ceteri] 2. *aut de* C 3. *quid* E *inquam* om LMC R 5. *alias equidem* E 7 *correpta* L 10 *probaveris* R *dicis* L 11. *modo inquit* E

errore (cfr. supra 5); Brut. 184: *An tu, inquit, id laboras?* Legg. III, 33: *An etiam id dubium est?* [Ibd. II, 23: *An censes cet.*] Handius I p. 335 unum huius generis exemplum posuit Terentianum neque admodum perspicue de eo scripsit.

Utrum igitur percurri) Verbi *inquit*, quod post *igitur* Davisius tamquam e tribus Parr. interposuit, nemo alibi vestigium invenit, ut in illis codd. conferendis erratum esse suspicer. [Est tamen in A² et Glog.] In Erl. [et B] *qui* natum est e compendio vocis *igitur*; vid. var. script. ad IV, 2. Mutatio personae hic ipsa interrogationis forma et particula *igitur* significata videtur. Cfr. ad II. 9.

reprehensa et correctata) Bremius *deprehensa* malebat; nam in reprehendendo errore nullum esse meritum, sed primum in deprehendendo, tum in corrigendo. Addere poterat, reprehensum esse ab Epicuro Democritum, satis notum fuisse. Sed *errata* illa fuisse, non conveniebat; nec Cicero aut ea aetas *deprehendere errorem* dixit; in facinoribus et rebus consilio et fraude occultatis id verbum ponebatur.

si mihi probabis ea) Oxx. Eξ, Gud. 2 *probaveris*, non necessaria correctione; poterat enim Cicero disputanti etiam tum statim assentiri.

29. *ista sis aequitate, quam ostendis*) Unus, quod sciatur, Viet. codex et eius editio *qua ostendis*, figura illa ex ellipsi et attractione nata, cuius exempla plenius quam ceteri collegit Kruegerus in libro de attract. p. 259 sqq., a quo tamen ipsa ratio non prorsus recte explicata est. Nam ex ea verbi omissione, quam tractat p. 263, paulo ultra fines suos progressa haec figura nata est, eaque causa est, cur tantum in

aequitate, quam ostendis. Sed uti oratione perpetua malo quam interrogare aut interrogari. Ut placet, inquam. Tum dicere exorsus est.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam, ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid et quale sit id, 5 de quo quaerimus, non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit

2. *Tunc* (P|COR. 4. *agam sic* LPMCR 5. *ipsius* (pro huius) L

certis quibusdam verbis et in brevissima sententiae forma locum habeat. Apud neminem enim Latinum simile reperietur exemplum Xenophontei. quod p. 258 ponit: ὦν μὲν νῦν λέγονται λήψεσθαι οἱ στρατιῶται, οὐδεὶς αὐτῶν ἐμοὶ τούτων χάριν εἶσεται, nec, quod Horatius dixit: *iudice, quo nosti, populo.* poterat etiam dicere: *iudice, quo te nosse dicis, populo,* nec Livio pro eo, quod est I, 29, 4: *raptim, quibus quisque poterat. elatis,* licebat scribere: *quibus quisque poterat efferre.* Et tamen hoc auditur; nam ipsum *posse* nullum habet legitimum casum, qui mutatus dici possit. Itaque omisso demum infinitivo verbi, quod casum pronominis definiebat, occasio attractionis data est; quod si concedere cogimur, nihil est, cur illud exemplum hinc removeatur, quo Bentleius usus est, ad Fam. V, 14, 1: *cum aliquid agas eorum, quorum consvesti;* nec sententia permittit; nam partitiva notio ad relativum non pertinet. Sed ea attractio in declarandi et sentiendi verbis aliquotiens etiam ibi valuit, ubi nullus erat certus omissus infinitivus, sed tamen laxior quidam verbi usus non directo et solita vi accusativum asciscentis, velut in illo Horatiano loco: neque enim *quo nosti* est: *quem, cuius naturam nosti* (*den du kennst*), sed: *quem iudicem esse nosti* (*den du weisst*). Hinc cetera orta sunt. Hoc loco vulgatam scripturam tuetur ceterorum codicum omnium auctoritas.

Tum dicere Vid. paulo ante ad § 28. *Tunc* incuriose propagatum erat. Ex Oxx. tamen ξχ annotatur *tum*.

Cap. IX. *sic agam. ut*) Nescio, quis primus ita ediderit (est iam in ed. Crat.); varietas nulla annotatur, etsi in ceterorum deterioribus codd. idem fuit atque in meis. De re cfr. Epicur. apud Diog. X, 37: *πρῶτον μὲν οἶν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις, ᾧ Ἡρόδοτε, δεῖ εἰληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ζητούμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ταῦτα ἀνάγοντες ἐπικρίνειν.* Cfr. libr. II, 6. A verborum igitur vulgaris usus explicatione et a *προλήψει* illa, quae ibi inesse videbatur, Epicurus ordiebatur.

extremum et ultimum bonorum, quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult summumque
5 malum dolorem; idque instituit docere sic: 30. Omne

1. *quid ultimum* LPCMROr. 2. *ut* om. E 5. *idque* — *docere* om. E

extremum et ultimum bonorum) Optimos codd. (Pal. 1, Spir., [B]) nemo praeter Davisium secutus erat. Et oratorie haec diducuntur a Cicerone, ut § 11, et coniunguntur, quae unius notionis plura nomina sunt; vid. II, 5. Cfr. V, 17.

quod omnium philosophorum sententia) Τοῖς ἀρχαίοις haec tribuitur definitio apud Ioannem Stob. Ecl. Eth. p. 278 Heer.: λεπτέον, τέλος εἶναι, οὐ χάριν πάντα πράττομεν, αὐτὸ δὲ οὐδενός. Similiter Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. I, 25: Ἔστι μὲν οὖν τέλος τὸ οὐ χάριν πάντα πράττεται ἢ θεωρεῖται, αὐτὸ δὲ οὐδενός ἕνεκα· ἢ τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν. Stoici in ipsam definitionem includebant officii et virtutis significationem; Stob. Ecl. Eth. p. 56 Heer.: Λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν Στωικῶν ὀρικῶς· τέλος ἐστὶν οὐ ἕνεκα πάντα πράττεται καθηρόντως, αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενός ἕνεκα. Κρατινός (hoc corruptum; fort. Καὶ ἐκείνως) οὐ χάριν τᾶλλα, αὐτὸ δὲ οὐδενός ἕνεκα. Καὶ πάλιν, ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηρόντως ἀναφορὰν λαμβάνει, αὐτὸ δ' ἐπ' οὐδέν. Non satis caute Cicero et hoc libro § 42 Torquatum dicentem facit, *omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vivatur*, et II, 5 ei Stoicam subiecit definitionem: *omnia, quae recte (καθηρόντως) fierent*. Certe si ipsi sibi constare volebant Epicurei, sic loqui non poterant. Imprudentis erat a summo bono, voluptate, agendo aberrare, contra virtutem, quae postea tamquam ministra nascebatur, non erat.

quod summum bonum esse vult) In Par. 2 et Gud. 2, aberrante librario in voce *summum* his posita, exciderunt haec: *summum* — *vult*. Est quaedam hic orationis copia non vitiosa; nam pronomen *hoc* refertur ad superiorem circumlocutionem; deinde nomen ipsum additur.

instituit docere sic) Eodem modo haec argumentatio a pueris et bestiis desumpta (lib. II, 31) exponitur apud Diogenem X, 137 (Ἀποδείξει δὲ χρηταὶ τοῦ τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν τῷ τὰ ζῶα ἅμα τῷ γεννηθῆναι τῇ μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκροῦεν φυσικῶς καὶ χωρὶς λόγου) et apud Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. III, 194 (ὅθεν καὶ οἱ Ἐπικουρέοι δεικνύναν νομιζόντων, φύσει αἰρετὴν εἶναι τὴν ἡδονὴν τὰ γὰρ ζῶα φασὶν ἅμα τῷ γενέσθαι ἀδιάστροφα ὄντα (nondum depravatam Cicero

animal, simul atque natum sit, voluptatem appetere eaque gaudere ut summo bono, dolorem aspernari ut summum malum et, quantum possit, a se repellere, idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. Itaque negat opus esse ratione neque disputatione, 5 quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam, mel dulce, quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare; tantum satis esse admonere; interesse enim inter argumentum

1. *que* (pro *eaque*) E 5. *nec* C 7. [*haec* A] *dulce mel* ELP.MCRO.
8. *oporteret omnes tantum* om. E 9. [*esse satis* A] *enim argumentumque*
E (om. *inter*) [*augmentatum* A mg. P]

appellat) ὀρμαῖν μὲν ἐπὶ τὴν ἡδονήν, ἐκκλίνειν δὲ ἀλγηδόνας).
Cfr. adv. Math. XI, 96 (μηδέπω τοῖς κατὰ δόξαν δουλεῖον).

30. *negat opus esse ratione neque disputatione*) Sine causa Ernestius atque disputatione malebat; vid. Acad. II, 79: *Tu autem te negas fracto remo neque columbae collo commoveri*, et quae de toto genere negativae adiunctionis post negationem scripsimus ego in Epist. ad Orell. p. 66 et Opusc. Acad. I p. 344, Zumptius ad Verr. III, 220. Erravit in hoc quoque genere, qui nuper iuvenili protervia Ciceronis de Officiis libros commaculavit, in libro II, 84, ubi legitur: *Numquam nec natus aes alienum fuit nec melius nec facilius dissolutum est*. Similiter offendit Gzius libr. II, 48, ubi pro neque videre possit videri dicendum fuisse atque videre. Cfr. V, 41.

quorum nihil oportere) Aut sic scribendum erat contra codd. aut paulo post: *tantum satis esset*; variari in hac contrariorum coniunctione non potuit. Itaque secutus sum cum aliis Manutii coniecturam. Non attendit ad sententiarum coniunctionem Handius ad Wopkensis Lectt. Tull. p. 177, qui quod de condicionali sententiae colore dixit, nihil est; Epicurus diceret simpliciter: *Nihil oportet*. Alioquin poterat sane in sententia relativa pro infinitivo, quem continuativum appellare soleo, retineri finita forma, ut supra 19 et II N. D. 44. Alia reperiuntur apud Kruegerum in fasciculo primo Quaestionum grammaticarum p. 45, 46. [Verbum *putat* prorsus sine causa Baister in ed. minore notavit, Bakii suspicionem sequens. Mox *mel dulce* restitutum ex A.]

oportere — confirmare) Ernestius confirmari; opposuit Bremius Off. III, 3, Lael. 59 (add. 61, al.).

tantum satis esse admonere) Ernestius *tantum* [quod abest etiam a B] omittendum putabat. Bremius advocat II de Orat. 139: *Tantum satis est intellegi, ne hoc quidem eos consecutos cet.*,

conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera occulta quaedam et quasi

2. *anomicionem E occultata L*

et Corn. Hannib. 10: *praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere, ubi citaverat II de Divin. 104: Nihil est necesse dicere. quae sequuntur; tantum sat est intellegi cet. Adde pro Sulla 39: Iam non quaero, purgetne Cassius Sullam; illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in iudicio, ubi memorabile est addi illud. Patet enim ex hoc loco, in unam formulam coaluisse tantum satis; cum enim initio tantum satis est hoc sensu diceretur: nur dieses (und nicht mehr) ist genug, id est, schon dieses, deinde tantum satis prorsus est: schon genug. Erl. omittingo saepissime peccat. [Apparet, cur A in verborum ordine non sim secutus. Eadem abundantia dicitur apud Livium XXXI, 26, 12: neque enim diruere modo ipsa templa satis habuit et XLI, 22, 7: tantum — satis habuit, nec alius generis est apud eundem I, 10, 1: nec domi tantum indignationes continebant (rectius erat solum nec domi; neque enim etiam alibi continebant), et XXXIX, 17, 4, et XXIV, 18, 7: neque senatu modo — cura se tenuit, aut apud Quintil. I, 10, 12: nec illa modo contenti — concordia. Cfr. Vell. Pat. II, 49, 4. Graeci eodem modo: οὐ μόνον τούτο ἀρκεῖ. Schneider ad Xen. Hell. III, 2, 21, Steph. Thes. I p. 1981 ed. nov.]*

conclusionemque rationis) Hanc Gzius ad III, 59, quasi ibi primum nominetur, ait esse, „quam a priori petitam vocemus“ ad syllogismos transferens cognitionis divisionem. Sed *conclusio rationis*, quae dicitur etiam II de Divin. 101 et 103, nihil est nisi syllogismus et argumentatio per syllogismos procedens (*ἀπόδειξις*); nec enim ratio concludit, sed concluditur; vid. supra 22, II N. D. 22, de Divin. I, 71, II, 25, 61, de Fat. 31 et 41, Tusc. II, 29; eodemque modo *argumentum concludi* dicitur; vid. Acad. II, 27 et 44, hoc opere III, 27; in Orat. autem 137 et hic IV, 8 *argumentum ratione concludi*; nam argumenti nomen ad effectum pertinet, rationis ad actum mentis. (In Orat. 122 et de Invent. I. 54 *argumentatio concludi* dicitur, sed, ut consentaneum erat, longe aliter, de fine et extrema parte argumentationis.) Hinc *argumenti conclusio* appellatur Academ. II. 26 et 30 et 40. Patet, longe ab hoc usu loquendi abhorre non solum quod N. D. I, 89 editur: *argumenti sententiam concludere*, verum etiam id, in quod coniectura inciderunt: *argumento sententiam concludere*. Latine rationem, argumentum concludere dicimur, etiam aliquid concludere, ut accusativus pronominis addatur; *sententiam, rem* non magis *concludere* dici-

involuta aperiri, altera prompta et aperta iudicari. Etenim quoniam, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est, quid aut ad naturam aut contra sit, a natura

1. *indicari* LOr. 2. *quo* (pro *quoniam*) E 3. *aut* (prius) om. E *aut secundum naturam* LMC

mur quam, quod fere cotidie etiam in philologorum libris lego, *rem negare* aut *veritatem rei*.

prompta et aperta iudicari) Manutii, Vict., Lamb. *indicari*. Ex apertis et promptis iudicium fit et sententia, ipsa non indicantur; nec enim opus est.

necesse est) Dav. et Ern. malebant scribi *necesse esse*; debebant igitur etiam: *Eam quid percipere* cet.? Recte Bremius et Matthiaeus Ciceronem hic, ut non raro alibi, in exponenda philosophi veteris sententia subito, omissa obliqua oratione, in rectam transisse statuunt, quod is facit non solum, ubi ipse aut is, qui loquens inducitur, eandem sententiam sequitur, ut hic Torquatus Epicuri, ut etiam tamquam suam ponere possit, sed etiam alibi interdum. Exempla et Matthiaeus et ante eum Wopkensus (Lectt. Tull. p. 65 et 95) nonnulla posuerunt non apta nec huc pertinentia (velut Tusc. IV, 24, ubi non propter alienae sententiae significationem, sed propter orationis initium infinito modo pergi debuit); apta ad rem declarandam haec sunt: hoc opere II, 48 (*ut enim consuetudo loquitur*). III, 64 (*ut enim leges*), Tusc. IV, 43, N. D. II, 129, de Fat. 41. Contrarione genere Cicero Acad. II, 40, cum instituisset alienam conclusionem sic proponere, tamquam ipsi eius auctores loquerentur, subito in uno membro ad obliquam narrandi formam (*non posse*) transierit, deinde autem ad rectam orationem redierit (*Nullum igitur est visum*), non sine causa dubitatum est. In libris de Divin. quater (I, 32 et 55 et 56, II, 69) Cicero in narrando a recta oratione; in qua nulla est significatio alienae sententiae, subito ad obliquam transit.

ad naturam) Tenuerunt hoc fere editores ante Manutium et Lambinum. E Gruteri codd. tres sic habebant, tres „commatis quasi sequioris“ *secundum*, e Dav. Parr. 1 et 3 *ad*, El. 1 et Ball. *secundum* (quid ceteri quattuor?); Oxx. omnes et e Gzianis tres *secundum*. [B ut Erl] Non potest nec propter codd. nec per se dubitari, utrum ex interpolatione ortum sit; nec tamen unquam alibi Cicero sic de hac re dixit (nec fere omnino de convenientia *esse ad rem*, nisi I in Verr. 133 *ad perpendicularum*, sed aut fieri *ad voluntatem* aut in adiectivis, ut *sapiens ad aliquam normam*), et quod Gzius ponit, Handius (Turs. I p. 108) repetit, esse Graecorum *πρὸς φύσιν*, quis dixerit *πρὸς φύσιν*

ipsa iudicari. Ea quid percipit aut quid iudicat, quo aut petat aut fugiat aliquid, praeter voluptatem et dolorem?
 31. Sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius velint

1. Post *iudicari* add. *voluptatem etiam et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum* LPMCR *ei quid* E *et quid* L *en quid* MR *enim quid* C *Ecquid* Or. *praecipit* C *et quid* (P)C *ecquid* Or.
 3. hoc L

εἶναι, ut esset *convenire naturae*. nescio; philosophus quidem in hac notione nemo dixit, sed *κατὰ φύσιν* omnes. Permulta huiusmodi Graeca homo audax et, quod pudeat, imperitus finxit Graecis inaudita. [Pearcius: *quid aut ad naturam aptum; Graserus quid aptum ad naturam.*]

a natura ipsa iudicari) Verba eadem, quae nostri deteriores, e loco paulo inferiore (31) huc errore translata addunt Palatini praeter primum, plerique Davisiani, Oxx. omnes. Gzius narrat „plures scriptos, in iisque Erl., Spir., Gud. 2“, ea verba addere; illos ipsos (saltem Erl.) excipere debebat incredibilis negligentiae homo. Etiam codd. Mor. et Vict. [B] omittunt.

Ea quid percipit aut quid) In singulis prope verbis erratur. *Ea quid* est ex Pall. 1 et 4, mg. Crat. et fortasse pluribus, postulatque oratio; cum enim demonstrasset, naturae hoc iudicium esse, addit: Ea (igitur, quae iudicat) quid percipit? Vict. cod. et quattuor Pall. (in Gruteri nota erravit typotheta), Oxx. *Ἐξψχ en quid*; Ursini cod. (?) *at quid*; Dav. *ea* edidit cum Grutero, de codd. tacet; e Gzianis Bas. *et quid*, Gud. 1 *en quid*, Spir. [et B] (ut Erl.) *ei quid*, Gud. 2 *en vel ea quid*. Hinc Marsus fecerat *Ecquid*, idque Gzius et Orellius receperunt, sublato orationis nexu et obscurata primaria notione. Deinde *praecipit* (cod. Vict., Spir., Gud. 1) probavit Gzius, nulla sententia. Negabat Epicurus quidquam a natura percipi, quo ad appetendum aut ad fugiendum moveri posset, praeter voluptatem et dolorem. Tum *aut*, quod diiunctioni aptum est, tenent [AB.] e Davisianis El. uterque, Parr. 1, 3, Mead., Oxx. omnes, Gzii „complures“; ediderat sic Vict. (cod. eius *en quid*); retinuerunt *et quid* Man., Lamb., Gruterus. Gzius hic quoque *ecquid* scripsit. Sententia est Epicurea apud Plut. adv. Colot. 27 p. 1122 D: *Αἰσθησιω ἔχειν δεῖ καὶ σάρμινον εἶναι, καὶ φαρεῖται ἡδονὴ ἀγαθόν.*

31. *Sunt autem quidam*) De horum rationibus nihil traditum est; sed, ut fiebat in illa schola, eadem mutatis verbis dixisse videntur. Ut adversarii non satis explicabant, unde oreretur boni notio a iucundi seiuncta, sic illi e *προλήψει*, quae a sensibus nascebatur et qua hoc tantum iudicabatur, quomodo

tradere et negent satis esse, quid bonum sit aut quid malum, sensu iudicari, sed animo etiam ac ratione intellegi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaque aiunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, 5 ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus. Alii autem, quibus ego assentior, cum a philosophis compluribus permulta dicantur, cur nec voluptas in bonis sit numeranda nec in malis dolor, non existimant oportere nimium nos causae confidere, sed et argumentandum et 10 accurate disserendum et rationibus conquisitis de voluptate et dolore disputandum putant.

1. *malum sit* R 4. *ipsum per se ipsum esse* E 5. *esse* (pro *inesse*) E rationem C 7. *quam pluribus* EC 8. *dicuntur* LPMCR *nec om.* E 9. *ac* (pro *nec*) E 10. *sed om.* E 11. *acute* L *caute* C

aliqua res sensum afficeret, frustra efficiebant, petendam eam esse. *Πρόληψις* est enim illa *naturalis atque insita in animis nostris notio*; cfr. Diog. Laërt. X, 33, Clem. Alexand. II Strom. p. 157 Sylb. Loquitur autem Cicero paene ita, tamquam Epicurus eam innatam putaverit; atque aperte id dicit I N. D. 44, a Platone et Stoicis colorem ducens. Itaque iure in hoc Cicero reprehenditur ab iis, qui philosophiae historiam scripserunt, ut nuper a Rittero (III p. 472 ed. 1). Sed ipse Epicurus parum explicabat, qua nota vera *πρόληψις* a falsa vulgi opinione discerneretur.

animo etiam ac ratione) Insolentius dixit *animo*, cum mentis rationes intellegantur; sed contrarii intelleguntur sensus corporis. De aiente significatione eruenda ex neganti (*negant esse satis*) vid. ad II, 25.

Alii autem) Hi qui sint, quos Torquatus, id est, Cicero videtur significare et ipso Epicuro et illis, qui insita animi notione nitebantur, subtilius disputasse, nescio, nec, quid dixerint, explicat. Nam mox non in aliorum illorum argumentatione pergit, sed ad removendas argumentis ipsius Epicuri dubitationes transit. Vereor, ut Cicero haec satis diligenter scripserit.

dicuntur) Oxx. quoque EUΞχ atque edd. vett. aliae, etiam Manutii, *dicuntur*, ut, licet ceteri taceant, hoc in omnibus deterioribus fuisse appareat. Verum iam Cratander habet, *Lambinus: quoniam — dicuntur.*

X. 32. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus error sit voluptatem accusantium doloremque laudantium, totam rem aperiam eaque ipsa, quae ab illo inventore veritatis et quasi architecto beatae vitae dicta sunt, explicabo.
 5 Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur aut odit aut fugit, sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit, sed quia nonnumquam eiusmodi

2. *sit error* PMCROr. *si error* E *sit errorem* L 5. *si* (pro *sit*) E 6. *oderit* PCR *fugiat* C [*consequuntur* :A]

Cap. X, 32. *inventore veritatis*). Pervagatae in illa hominum dictata magistri reddentium schola magnificae hae Epicuri laudes; vid. supra 14, infra 71; cfr. Lucret. init. lib. I et III, fragm. Hercul. *περὶ θεῶν* [aut *περὶ εὐσεβείας*] extr., quod expressit Cicero N. D. I, 43. Quae sequuntur, breviter comprehensa sunt septima Epicuri sententia (Diog. Laërt. X, 141): *Ὀὐδεμία καθ' ἑαυτὴν ἡδονὴ κακόν, ἀλλὰ τὰ τινῶν ἡδονῶν ποιητικὰ πολλαπλασίους ἐπιφέρει τὰς ὀχλήσεις τῶν ἡδονῶν*. Epicurus in epist. ad Menoec. (Diog. X, 129): *Καὶ ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο καὶ σύμφυτον, διὰ τοῦτο καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἰροῦμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν. ὅταν πλείον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἐπιηται, καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὴν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολονθῆ πολὺν χρόνον* (leg. certa emendatione: *οὐ πολὺν χρόνον*) *ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας κ. τ. λ.* Add. Tusc. V. 95. Senec. de Otio 7, 3 (32, 16). [Paulo ante *error sit* ex A.]

consequuntur magni dolores eos) Saepius *res sequi* aut *consequi* aut *insequi* aliquem dicitur, ubi recentiores aut absolute sequi eam dicerent aut aliquem in eam incidere. In Verr. V, 189: *ut C. Verrem — dignus exitus eiusmodi vita consequatur*; Tusc. II, 28: *Quis igitur Epicurum sequitur dolor, cum hoc ipsum dicit?* [pro Sest. 51; Divin. II, 62: *mors insecuta Gracchum est*; Terent. Phorm. V. 1, 23: *Matrem ex aegritudine mors consecuta est*; Sall. in orat. Philippi § 9: *ubi malos praemia sequuntur.*] Quintilianus et Seneca participii accusativum adiungunt, ut *facientes* sequi aliquid dicatur, quod nobis *factum* sequi dici debuisse prima specie videatur, ille IV. 2, 44: *quae nimium corripientes omnia sequitur obscuritas*, et VIII, 3, 82: *Hoc male imitantes sequitur obscuritas*, hic de Benef. VI, 4, 6: *si secuta est dantem paenitentia*, et de Ira II, 2, 1: *sequitur vertigo prae-rupta cernentes.*

ratione voluptatem sequi) id est, considerate et cum iudicio,

tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam 5 nihil molestiae consequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? 33. At vero eos et accusamus et iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, occaecati cupiditate 10 non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. Nam libero

1. dolore et labore E 2. nimia E minimam C 3. suscepit E 5. quia in ea E esse velit L qua C 7. [quid pro quo A¹] Atque vero C 8. qui per blanditus E 9. deliniti E 10. sunt C 11. deferunt E 12. laborum fuga et dol L 13. est expedita (om. et) L

non impetu. non temere. Male Gzius probavit mendum cod. Spir.: *recte*. Saepe horum compendia permutata sunt; cfr. Opusc. mea Acad. I p. 333. Ipse non recte *ratione* pro *recte* posui in orat. pro Rosc. Am. 138. Ad Att. XII, 44, 3 *ratione fecisti* paulo insolentius ponitur in facto comprobando.

quam nihil cet.) Qua, quod fere edebatur ante Lambinum, Gruterus negat in ullo Pal. esse, Gzius in suis praeter Erl. et Spir. esse dicit; Davisius (*quam*) tacet; Oxx. *Eψ qua*, U *quia*. Frustra *qua* defendit Wopkensis p. 4; primum non potest sic absolute dici *consequi*, ut pro accusativo per praepositionem in adiungatur res praecedens (*in hac voluptate nihil molestiae consequitur*); nam aliter longe dicitur: *in hac re consequitur* (accidit) *obscuratio* (IV, 29); deinde, quod Handius (ad Wopk. l. c.) animadvertit, sed unius mendosi loci testimonio (ad Fam. IV, 13, 5) in dubitationem vocat, numquam Cicero aut quisquam bonus scriptor ante relativum praepositionem, quae ante demonstrativum affuisset, omisit, nisi idem verbum audiretur.

33. *iusto odio dignissimos*) Non ferens copiam orationis emendator ille, a quo orti sunt Oxx. Eξ, cum nemo iniusto odio dignus esset, *multo odio* scripsit, inciditque in idem Th. Bentleius, quasi non *multo* illud aequae insit in superlativo.

id est, laborum et dolorum fuga) Non commemoravit ante *mollitiam animi*, ut ea nunc, quae sit, explicetur, sed, cum doloris fugam ante commemorasset, admonet, eandem nunc a

tempore, cum soluta nobis est eligendi optio cumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus. Temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis aut
 5 rerum necessitatibus saepe eveniet, ut et voluptates repudiandae sint et molestiae non recusandae. Itaque earum

1. est om. R 2 placeat maxime E possumus E 3. depellendus [A] LPMCR 5. ut ei E 6. harum C

se recte mollitiam animi appellari. Itaque praepositur explicatio sive potius, quoniam nihil hic obscuri explicatur, nova notio appellatioque, sequitur, quod notum erat et ante dictum. ut *id est* sit fere: *id est enim* (de quo vid. ad IV, 26). Fit id aliquoties apud Ciceronem, ut supra 25: *laetitiam, id est, voluptatem*; Tusc. I, 75: *a voluptate, id est, a corpore* (de corpore agitur); Lael. 97: *in scaena, id est, in contione* (contionem et orationem Laelii commemorarat); [etiam in hoc est Verr. V, 114: *de latronum, hoc est, de comitum suorum sententia*; ibd. III, 27 et 84]. Itaque sic Cicero loquitur, ubi Graeca subicit interpretationi Latinae, Acad. II, 93 et Tusc. III, 65, ubi Davisius duos Quintiliani locos (II, 15, 4 et III, 11, 6) ascripsit.

eligendi optio) Abundantia quadam substantivum non generale, tamquam generale sit (*potestas*), definitur ascito gerundii genetivo. Praeter Brut. 189 cfr. ad Att. IV, 18, 3: *hiberna legionum eligendi optio delata*. [Similiter dicitur apud Livium III, 24, 1: *frustratio legis tollendae* et XXIV, 18, 5: *callidi exsolvendi iuris iurandi interpretes* et apud Tacitum Ann. I, 76: *remedium coercendi fluminis*, quoniam apud Latinos *remedium* semper est, quo utimur contra rem aliquam. Cfr. Vell. Pat. II, 99, 2: *commeatum acquiescendi petiit*.]

repellendus) Sic etiam Spir., [B.] edideratque Lamb., deinde Ern., recte; nam *depellitur*, quod locum iam tenet, ut febris corpore, [fames, § 37,] alia, *repellitur*, quod appropinquat et instat, *pellitur* omnino, quidquid loco movetur; *pellitur* hostis in acie stans, *repellitur* irruens, *depellitur* praesidium colle; *repellitur*, quod admitti vult. Cfr. Zumptius in vol. V Quintiliani Spald. p. 18. Mira narrat Otto, *animi dolorem posse depelli*, non *corporis*, qui *repellatur* remediis. Cfr. IV, 20.

et aut officiis aut cet.) Offendit editores, quod haec copulative adiunguntur, quae tamquam species subiecta sunt *temporibus*. Itaque Grut. *id est* scribi voluit, Bremius *et deleri*, quod omissum est iam in ed. Ven. 1494 aliisque; minus probabilia alii tentant. Adiunguntur per *et ipsa exempla et species*, non quo *et pro et quidem* positum sit (nihil enim intenditur), sed quod,

rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut reiciendis voluptatibus maiores alias consequatur aut perferendis doloribus asperiores repellat. 34. Hanc ego cum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paulo ante cum 5 memoriter, tum etiam erga nos amice et benevole collegisti;

1. *aut ut* LPMCR 2. *maioris* [A]E *consequantur* L 3. *asperioris* [A]E 4. *eadem* (pro *ad eam*) E *possum* E 5. *tum memoriter* PMCR 6. *et* (pro. *etiam*) E [*benivole* A]

non satis distincto gradu et discrimine notionum, aliud hoc visum est esse atque prius (*temporibus*). Cfr. quae de *atque* dicuntur ad 34. *Necessitatibus*, ad quod non pertinet *debitis*, ita positum est. ut ablativus non multum a significatione *propter* praepositionis discrepet. Comparat Matthiaeus III de Legg. 15: *regale civitatis genus non tam regni quam regis vitii repudiatum est*. Add. de Divin. I, 13, pro Mur. 23, [Philipp. I, 30. Gr. Lat. § 257 n. 2].

saepe eveniet) Quod Ernestius requirebat. *evenit*, irrepererat errore in veteres quasdam editiones (Iunt., Crat., deinde Vict., Lamb.). Mox Manutii et Lambinus cum ed. prima *harum rerum* (de quibus agitur), non incommode.

ut aut reiciendis) Sic etiam Spir. [B], id est, meliores, etsi Vict. cod. habuit *aut ut*, quod cum esset in antiquis edd., nescio a quo primum correctum sit (iam in ed. Crat.). Tacent Grut., Dav., Oxx., sed in deterioribus libris sine dubio erat, ut in Gzianis praeter Erl. et Spir., *aut ut*, defendebatque Wopkens. Lectt. Tull. p. 33; Handius (Turs. I p. 554) etiam proprie dici statuit, quod esset aliquid, si bis *aut ut* scriberetur; verum tum duplex delectus significaretur, non unus. Se-iuncta hinc est negligentia illa, qua semel et iterum post *ut* *aut* abundanter alteri *aut* additur *ut*. (Praeter Livium, quem Handius citat, vid. Cic. Orat. 149.) [Cfr. ad II, 15.]

34 *cum memoriter, tum etiam*) Sic etiam Spir. [B], id est, optimi; ceteri Gzii et edd. quaedam *tum — tum*. Eodem modo deteriores hoc libr. 50, 51, al. Res confecta est a Stuerenburgio ad Cic. pro Arch. 31 p. 164 ed. 1.; confici iam pridem potuerat Drakenborchii nota ad Livium VI, 23, 3. In Verr. IV, 147 Zumptius non animadvertit *cum — tum* esse in optimo cod. Paris. Tum *memoriter* nec hoc loco nec usquam aut apud Ciceronem aut apud quemquam veterum est, ut in lexicis omnibus ponitur [etiam Freundii], *e memoria* (*auswendig, aus dem Kopfe*), ut contrarium sit, quemadmodum Nizolius docet, *de scripto*, quam significationem cum ineptam esse hoc loco

nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti nec seg-

1. [me om. A¹] cum pro tamen E maioribus bis scr. E corripuisti [A]EPMCR

interpretes Germani sentirent, substituerunt: *mit Achtung gegen ihr Andenken*, non minus falso. Semper enim hoc vocabulum laudem habet bonae et copiosae memoriae; idque tam perspicue ubique apparet, ut mirer, ne in secundo quidem loco hanc vocis vim usquam commemorari. Huius operis libr. IV, 1 non ideo Catonem Cicero laudat, quod sine libris locutus sit, sed quod bona memoria tam multa comprehenderit; de Orat. I, 64, ubi in laude oratoris ponitur *composite, ornate, memoriter dicere*, satis patet, non de modo dicendi (e memoria, non de scripto), sed de facultate verbum intellegendum esse; eademque ratio est in Bruto 303. In orat. in Vatinius 10 hunc ipsum Cicero hortatur, ut *memoriter respondeat*, id est, plene et recte, nihil ut obliviscatur. Acad. II, 63 laudat orationem a Lucullo habitam *memoriter, accurate, copiose*; itaque eodem modo intellegendum est, quod, si solum esset, ambiguum videri posset, I de Orat. 88: *memoriter multa ex orationibus Demosthenis pronuntians*; quamquam quid sit *memoriter pronuntiare*, apparet etiam e II de Divin. 14; nam non de scripto Quintum illa recitasse, nihil opus erat dici; [et e III ad Herenn. 30]. In eodem igitur genere laudatur Velleius I N. D. 91, quod *memoriter et copiose* philosophorum sententias enumerarit. Nec in Laelii initio ideo Cicero scripsit, *memoriter et iucunde* Mucium multa de Laelio narrare solitum esse, ut ostenderet, non de scripto illa in familiari colloquio dicta esse, sed ut vim ingenii praeteritae aetatis memoriam conservantis laudaret. Non discrepant comicorum loci. Apud Plautum Asin. III, 2, 38 in exclamando dicitur: *ut memoriter*, hoc est, quam bene recordans; Capt. II, 1, 53: *si istuc potes memoriter meminisse*, id est, bene et probe meminisse; Amphitr. I, 1, 261 Sosia alterum Sosiam, qui Mercurius est, miratur eam, in quibus ipse interfuerit, *memoriter memorare*, id est, ita ut non erret. Apud Terentium Eun. V, 3, 6 cum quaesitum esset, agnosceretne nutrix signa quaedam, respondetur: *Ac memoriter*, id est, et quidem clare et perspicue; memoriae ope sane omnia agnoscuntur. [Phorm. II, 3, 47.] E posterioris aetatis scriptoribus Plinium narrant in Epist. VI, 33 extr. dixisse *memoriter tenere*, id est *memoria*; at is dixit *tam memoriter*, id est, tam bene. Itaque quod Svetonius (Ner. 10) tradit, Neronem *omnes ordines subinde ac memoriter salutasse*, non significat e memoria, sed: *ita ut singulos bene meminisset*, quod erat humanitatis et studii. [Contra haec quae M. Seyffertus ad Laelii initium scripsit,

niorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quemadmodum, quaeso, interpretaris? Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque

3. *aut in sanguinem* LPMCR

refutare supersedeo; nam obtrectandi studio nec, quid locorum singulorum sententia et cohaerentia postularet, consideravit nec, quid ex omnibus comparatis sequeretur de singulis. Illud addam, prorsus eodem modo apud Graecos *μνημονικῶς* dici. Nam et apud Xenophontem Cyrop. V, 3, 46 *ὡς μνημονικῶς πᾶσιν ὀνομάζων ἐνετέλλετο* est: *quanta memoriae vi*, in quo simul studium et observantia significatur, et apud Platonem Polit. 257 B *μνημονικῶς ἐπέπληξας* cum laude bonae memoriae dicitur, et apud scriptorem orat. in Neaeram 110 et Aeschinem 2, 48 similiter *μνημονικῶς καὶ ἐπιμελῶς* et *μνημονικῶς καὶ δυνετώως κωτηγορεῖν*. eademque significatio eminet Aesch. 2, 42.]

corrupisti) In cod. arch. fuit *corripuisti*; nam sic et boni (etiam mg. Crat., codd. Mor. et Vict. [B]) et mali (Pall. omnes, Oxx. ξχψ, Gzii tres aut fortasse plures; Davisius tacet). Recte emendatum in L et fortasse aliis; vid. II. 72: *quamquam te non possum. ut ais, corrumpere.*

Sicine eos censes) Recte sic [AB] Erl., ut optimi codices in hac et ceteris eiusdem formae vocibus, non *siccine*; (vid. Drakenb. ad Liv. VI, 16. 2 et VII, 15. 2, al.). Postulat id ratio; nam ut ex *h* et vocali, addito *ce*. fit *hice* et *hic* (de barbaro et ficto pronomine *hicce* vid. F. Ritter ad Terent. Andr. I, 5, 1, cui utinam grammatici nostri obtemperant; quamquam quid fiet illis, qui tum demum mirabiliter se locutos putant, si quam saepissime *hicce liber* et similia scripserint?), et ut ex *ille* et *iste* et eadem syllaba fiunt *illic* et *istic*, quae etiam nunc tradunt ex *ille* (*iste*) et *hic* orta esse, sic ex *si* et *ce* fit *sic*, similiterque *nunc* et *tunc*; atque hae omnes voces, cum adiungitur *ne*, pronuntiationis adiuvandae causa retinent ex antiqua forma *e* vocalem in *i* brevem transeuntem; itaque et *hicine* et *illicine* et *isticine*, et *nuncine* (Ter. Andr. IV, 1, 59) et *sicine* dicitur. Si antiquiores haberemus codices epistularum ad Atticum, ibi quoque legeremus *hocine*, non *hocne* IX, 7, 3. XIII, 16, 2, ut Livio XXXVIII, 49, 4 Kreyszigius e codd. reddidit *huicine* (ipse quidem non recte *huicine*). [Cfr. nunc Ritschl. mus. Rhen. nov. ser. VII, 576 sqq.]

atque in sanguinem) Sic, ut scribi voluerat Th. Bentleius. etiam Spir. [B], recepitque Gzsius pro vitioso *aut*. Bremius voces *aut in liberos* deleri volebat, sine causa. Recte proprio superadditur figuratum gravius, etiam interposita coniunctione,

in sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? At id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant itaque turbent, ut, earum

1. nihil — utilitatibus om. L voluptatibus Or. 2. ut om. C [ad, susperscr. at, A] 3. quid E atque EOr. turbentur LMCR

ut in Verr. V. 184: *dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum*. Generalius praepositur in orat. de imp. Pomp. 69: *hoc beneficio P. R. atque hac potestate praetoria*. Explicativam potestatem coniunctionibus tribuunt, qui in naturalibus sermonis inflexionibus novas significationes quaerunt. Offendat forsitan aliquem repetita in cognatae significationis verbis praepositio; sed exempla prorsus similia habet Zumptius ad Divin. in Caec. 41, qui tamen non satis attendisse videtur, aliam esse rationem interioris illius coniunctionis, quae particula *que* efficitur.

de utilitatibus) Sic quidquid est codicum (etiam mg. Crat. et cod. Vict. [B]), nisi quod in Pal. 2 et CCC voces *nihil ut de util.* omissae erant ob repetitum *nihil ut de*. Sed nec *utilitates* recte sic a *commodis* diiungi videntur, ut fit in hac repetitione vocis *nihil*, nec voluptas, quae praecipua est, hoc loco praeteriri potuisse. Itaque iam in ed. Iunt. scriptum est: *de voluptatibus*, probatumque a multis; quin recte coniungerentur *commoda* et *utilitates*, quod Davisius confirmandum exemplis putavit, nemo dubitaret. Nec tamen illa argumenta assensum extorquent. Nam et pro voluptate recte hic in rebus gravibus et tristibus nominatur sola ea, quae eius locum tenet, utilitas, ad quam deinde Torquatus maiorum suorum facta interpretando trahit (cfr. II, 82: *utilitatis causa — spe voluptatis*), et in huiusmodi oratoria unius notionis diiunctione multa sibi Cicero permittit; habet enim oratio hoc loco vehementiam quandam. Cfr. ad 29 et infra 50 (*nec divelli nec distrahi*).

ita ruant itaque turbent) Itaque habebant codd. Mor. et Vict., [B], omnes Lamb. codd., Pall. item omnes, Oxx. praeter Eξ; Dav. *itaque* tenens tacet; sed Gzius universe, „scriptos cum olim vulgata“ habere *atque*, ut tres suos optimos, tradit, [quod nunc de Erl. confirmatur]. Orellius ait, *atque* esse in ed. Ven. 1480; deinde sic edidit Victorius; *itaque* praeter CR etiam Marsus, Crat., cett. Aptissime sic Cicero dixit in brevi et concitata oratione. Coniunctionis Gzio ignotae *ita — itaque* tria exempla Handius habet III p. 500, qui nescio cur antiquo temporis eam ascribat; quattuor alia posui in

motus et impetus quo pertineant, non intellegamus; tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? 35. Quae fuerit causa, mox videro; interea hoc tenebo, si ob aliquam causam ista, quae sine dubio praecleara sunt, fecerint, virtutem iis per se ipsam causam non fuisse. — 5 Torquem detraxit hosti. — Et quidem se texit, ne interiret.

1. [tun id est tu ne mg. P] 3. [si obliquam A'] 4. sint E 5. [is A'] si E his [A²](P)CROr. ipsam per se COr. tamen (pro causam) C 6 te (pro se) E interirent E

Epist. ad Orellium p. 85; poteram plura; nihil enim vulgatus. Deinde *turbent* praeter Pal. 1 et Erl. [B] habebant codd. Mor. et Vict., hoc est, meliorum familia; habebant etiam Lbiniani et ex minus bonis Pall. 2 et 4: Dav. (*turbent*) nihil dixit; *turbentur* Pall. deteriores duo (5, 6; 3 *trahantur*), Oxx. omnes. Gzius flagitiose „codices tantum non omnes“ hoc habere scripsit, Erl. et Spir. oblitus, recepitque. *Turbentur* (ab aliis) nihil est; *turbare* absolute dici, etiam a Cicerone. ut sit *turbas dare*, lexica docent. Nec de animo hic agitur, sed de corporis actu et motu non sine causa suscepto.

intellegamus) *Intellegantur* codex Io. Fr. Gronovii ignotus et Dav. pessimus, CCC, quod Gronovius attractionis specie exornabat. Quod sequitur *videro*, de eo exposui Opusc. Acad. II p. 92 et 96.

35. *per se ipsam*) Sic etiam [AB,] cod. Vict. et „bini“ Gzii.

Et quidem se texit) De harum particularum usu in eius. quod ex adverso dictum esset, et concessione et elevatione exposui in Emendatt. libello (1826) p. 90 sqq. multosque Ciceronis locos explicavi. *Et* annectit observationem, *quidem* ad eius potestatem attendi iubet. Miror prorsus neglectum esse hoc genus ab Handio in particula *Et*. Singulare aliquid habet locus de Divin. II, 114, ubi expressae concessioni annectitur elevatio: *Ille vero, et ea quidem* (id est, sed nihil nisi ea), *quae omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus*. Rarius omittitur *et*, ut hic post pauca verba: *In oculis quidem exercitus*, nec tamen numquam; vid. Verr. I, 25: *Causam, inquit, cognosci oportet. Ea re quidem, quod aliter condemnari reus non potest* (ergo accusatoris causa id est institutum, non rei); ibd. IV, 20: *At publice commodasti. Non sine magno quidem rei publicae detrimento*; pro Caec. 8 (e cod. palimpsesto): *Est enim turpe iudicium. Ex facto quidem turpi. Videte cet.*; de N. D. III, 82: *At Phalaris, at Apollodorus poenas sustulit.*

— At magnum periculum adiit. — In oculis quidem exercitus. — Quid ex eo est consecutus? — Laudem et caritatem, quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. — Filium morte multavit. — Si sine causa, nollem
 5 me ab eo ortum, tam importuno tamque crudeli; sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret, salutem prospexit civium, qua intellegebat contineri suam.
 36. Atque haec ratio late patet. In quo enim maxime con-
 10 siveit iactare vestra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua persequeris; claris et fortibus viris commemorandis eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omit-
 15 tantur maiorum voluptatum adipiscendarum causa aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.

XI. 37. Sed de clarorum hominum factis illustribus

1. [ad magnum A] quid (pro quidem) E om. L 5 inoportuno C
 6. sentiret E 7. metum E 9. atque ad haec LPMCR satis (pro late) C
 10. nostra E 11. prosequeris L virum P 13. quaeritur C [deflectu A]
 deflexu P defluxu E 15 [adspicarum causa aut || lores A'] 16. effugandorum E

Multis quidem ante cruciatis et necatis. [Pro Cluent. 133. Phil. I, 20, ad Att. VII, 9, 4. de Divin. II, 62.]

est consecutus) In edd. inde ab Aldina irrepserat *consecutus est*. Revocavit alterum Gzius ex Erl., Spir., Gud. 1, Bas.

36. *Atque haec ratio*) Commune mendum est deteriorum *atque ad haec*; nam sic ξχ et „plures“ Gziani.

factis non emolumento aliquo — laudandis) In his ablativum non tam causam significare, ut pro *propter* positus sit, quam qua parte res censeatur et aestimetur, recte Otto intellexit; eodem modo 42: *gubernatoris ars — utilitate. non arte laudatur*. Ne illud quidem longe discedit, quod II, 83 legitur: *si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus*; est enim fere: pro portione fructuum cet. [Gramm. Lat. § 255 b.]

delectu) Aberratum in arch.; nam etiam mg. Crat. *deflexu*, cod. Vict. *deflectu*, et Gzius scribas ait „in omnia alia, *deflexu*, *defluxu*, *defectu*, vagari“. [B ut Erl.]

Cap. XI. 37. *dictum est*) Recepti hoc ex Spir. et Gud. 1, quod et indicativus accommodatior videbatur (cfr. ad Att.

et gloriosis satis hoc loco dictum est. Erit enim iam de omnium virtutum cursu ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum intellegaturque, ea, quae voluptaria, delicata, mollis habeatur, disciplina quam gravis, quam continens, quam severa sit. Non enim hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam movet et cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam voluptatem illam habemus, quae

1. dictum sit omnes; Or. 3. ipsa om. L 4. omnium E 5. disciplina [A]EP 6. [sit om. A¹] 9. illam voluptatem LPMCRor.

VI, 9, 1: quare de hoc satis; omittitur est, non sit); et longe facilius ex est fit sit quam contra. [B ut AErl.]

proprius disserendi locus) Cap. 13 sqq. Cursus non de studio dicitur, sed de via et, ut barbare dicitur, directione, ut eo cursu pro Planc. 17; cfr. de leg. agr. II, 44.

Nunc autem explicabo cet.) Epicuri sententia de duplici genere voluptatis, quarum altera esset ἐν κινήσει, quae sensus iucunditate aliqua moveret, altera ἐν στάσει (καταστηματική), quae efficeretur omni dolore detracto (stantem et moventem Cicero in libro II appellat), exponitur breviter nec constantissime, si cum reliqua sententia de origine voluptatis compares, apud Diog. Laërt. X, 136, Clem. Alexandr. Stromat. II p. 179 Sylb. Tertia est Epicuri sententia apud Diog. X, 139 (Gell. II, 9, Sext. Emp. adv. Mathem. I, 273, 283): Ὀρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἢ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπέξαιρέσεις. Coniuncta cum hac sententia erat duodevicesima, quam Cicero paulo post exprimit (Diog. X, 144): Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκί, ἐπειδὴν ἀπαξ τὸ κατ' ἐνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῆ, ἀλλὰ μόνον ποιῖλλεται. In epist. ad Menoec. (Diog. X, 128) Epicurus animi et corporis quietem coniungit: Τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν, ὅπως μήτε ἀλῶμεν μήτε ταρβῶμεν ὅταν δὲ ἀπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πως ὁ τῆς ψυχῆς χειμῶν, οὐκ ἔχοντος τοῦ ζῶον βαδίζειν ὡς πρὸς ἐνδόν τι καὶ ἑτερον, ᾧ τὸ τῆς ψυχῆς καὶ τὸ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληρωθήσεται.

naturam ipsam movet) Non satis apparet, cur ipsam addatur; sed natura non alia est ac sensus; videtur igitur Cicero sic loqui, tamquam altera voluptas non sit in sensu. Atqui non dolendi voluptas sentiri tamen debet. [Mox voluptatem illam restitutum ex ABrl.]

percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus, omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor, doloris omnis privatio recte
 5 nominata est voluptas. Ut enim, cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis, sic in omni re doloris amotio successio-
 nem efficit voluptatis. 38. Itaque non placuit Epicuro, medium esse quiddam inter dolorem et voluptatem; illud
 10 enim ipsum, quod quibusdam medium videretur, cum omni

1. quoniam om F. privamur omni dolore E. 3. omne autem — gaudemus om. C. autem om. E. esset E. 5. est nom. C. 7. motio R. 8. effecit R. 9. quoddam FLOR. 10. videtur omnes, Or. cum om. Or.

ut omne) Editiones pleraeque a Victorio ad Ernestium et Bremius ut omne id, contra codices ([AB,] Oxx., cett.).

38. medium esse quiddam) [Sic A.] Quoddam etiam Spir., [B]. Oxx. Eξ, recepitque Gzius; alioquin enim quidquam poni debuisse. Ex hac quidem parte eadem ratio est substantivi pronominis et adiectivi; sed negatio pertinet ad definitam notionem certi cuiusdam medii; deinde non solet Cicero huiusmodi adiectivis, quale est *medium*, adiectivum pronomen addere. Cfr. ad 18.

illud enim ipsum cet.) Primum non possunt divelli hae voces: *illud enim ipsum, quod*, ut illa: *quod — videtur* (sic enim est in codd. et edd. omnibus) e Torquati persona pro parenthesis interponantur. quod svadebat Matthiaeus. ut deinde appositione adiungeretur: *omni dolore carere*, secutusque est Gzius in alia scriptura. Et sane haec est necessaria pars Epicuri orationis, qua declarabat, quid de eo iudicaret, quod alii medium putarent. Sed tum non minus necessario scribendum erat *videretur*, quae lenissima mutatio iam Rathio in mentem venerat. Tum edebatur: *cum omni dolore caret*, vitiose et contra codices, qui habent *caveret* (Maffei lib., cod. Vict., Pall. omnes, Parr. tres, Mead., Ball., Oxx. Uχψ, Gzii quattuor, [B]; alterum annotatur e CCC et Eliensi utroque). Sed quaeritur, quodnam sit subiectum. Gzius putat esse *voluptatem*, tamquam quis in ea medium illud posuerit inter voluptatem et dolorem et tamquam Epicuro dicendum fuerit, voluptatem esse voluptatem. Ergo cum in Morelii cod. (ut in I. F. Gronovii) abesset *cum*, is et Manutius scribendum putaverunt: *omni dolore carere*, idque Lambinus et alii receperunt, ad sententiam fere recte, nisi quod ad medii notionem constituendam requirebatur etiam

dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse aut in dolore. Omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem, ut postea variari voluptas 5 distingvique possit, augeri amplificarique non possit. 39. At etiam Athenis, ut a patre audiebam, facete et urbane Stoicos irridente, statua est in Ceramico Chryssippi sedentis

1. caret C carere Or. 2. et quisquis C 3. effectus E 4. omni omnes. 5. numerari C 6. distingvi possitque L 7. e patre EOr. 8. arriidente [A]EPMCR ridente LOr.

alterum: *et omni voluptate*. Sed nulla mutatione opus est; subiectum enim est *illud ipsum*, hac sententia: Is ipse status, qui aliis medius videtur inter dolorem et voluptatem, cum nullum habeat dolorem, ipsa voluptas est. Non minus recte status aliquis vitae *carere dolore* dicitur quam homo; vid. II. 42: *vacuitas doloris, quae, etiamsi malo caret* cet. [I. Muellerus: *cum — careremus, parum probabiliter.*]

Omnis autem privatione doloris) Sic mendum codicum (*omni*) ex vicinitate vocum ortum corrigendum esse monuit Morelius. correxerunt Lamb., Dav., cett. Neque enim de quavis privatione doloris agitur, sed de omnis doloris, *παντός τοῦ ἀλγούντος*.

39. *At etiam Athenis*) Statuam Chryssippi in Ceramico positam commemorat etiam Diog. Laërt. VII, 182; interiorem celebrem locum, recte Menagius intellexit ex Pausan. I, 17, 2, ubi statua illa dicitur fuisse *ἐν τῷ Πτολεμαίῳ* prope forum.

ut a patre audiebam) *E patre* Erl., Spir., [B.] Gud. 2. editionesque Crat. et Vict.; [sed *a* cum ceteris tenet A]. Sane saepius Cicero *audire ex* aut *de aliquo* dixit, rarius *audire ab aliquo*. In Vat. 37 meliores codd. habent *audire te*, id est, *e te*. Cat. 43 pro *a maioribus* cod. Par., habet *ea a maioribus*, ambigua scriptura, sed magis inclinante ad *e* aut *ex*, [Leid. *ea mai.*], Erf. *e*, mox tamen omnes *a senibus* et paulo post Par. et plerique *audisset a Thessalo*, deinde autem omnes *ex eo audientes*. Ad Att. II, 24, 3 editio Ascens. I. Crat., Lamb. *audisse ex Curione*, ceteri *a*; Tusc. III. 30 omnes constanter *a docto se audisse*. Eodem modo Cicero et *ab aliquo* et *de al.* et *ex al.* quaerere dixit. [Ad Fam. X, 28, 3 mire haec coniunguntur: *illa cognosces ex aliis, a me pauca.*]

Stoicos irridente) Quod ex meis unus L habet, *ridente*. Gzizius e Spir. edidit, modo certa fides sit; ceteri codd. (Tosani.

porrecta manu, quae manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum: Numquidnam manus tua sic affecta, quemadmodum affecta nunc est, desiderat? — Nihil sane. — At, si voluptas esset bonum, de-
 5 sideraret. — Ita credo. — Non est igitur voluptas bonum. Hoc ne statuam quidem dicturam pater aiebat,

3. quemadmodum affecta om. R 4. At si — credo om. C esse E homini (pro bonum) M desideraret — bonum om. E 6. quam dicturam E dicturam quidem PCR dicturam L

Pall. 1 et 3, Oxx. EUχψ, Gzii reliqui, [B]) *arridente*, quod ferri nequit; sed ex eo probabiliter Ald. Manutius *irridente*, quod tamen e Gruteri Davisiique silentio non sequitur in aliquot codicibus fuisse. *Facetiae* in irrisione magis apparent quam in risu.

in hac esse rogatiuncula delectatum) *Delectari in aliqua re* bis alibi dixit Cicero, ad Fam. VI, 4, 4 (*in hac inani prudentiae laude delector*) et Legg. II, 17 (*in hoc admodum delector*), occasionem delectationis significans; [nam de Or. II, 44 paulo aliter ponitur *in eo genere*;] in Lael. 97 non recte Orellius e Beda et uno nullius pretii cod. addidit *in*; *delectari in assentatione* potius ipse assentator diceretur; simile est *laetari et gloriari in aliqua re*. Non necessaria igitur Gzii suspicio, *delectatum* delentis; nam ex eo, quod artifex eum in hac potissimum rogatiuncula occupatum finxerat, intellegebatur, eum omnino ea delectatum esse. *Rogatiunculam* Cicero dixit totum syllogismum, ut alibi *interrogationem, interrogare* (lexicis add. huius operis IV, 7, de Fato 28, Senec. Epist. 82, 9), Graecum ἐρωτᾶν, λόγον ἐρωτᾶν, συνερωτᾶν exprimens. Origo sic loquendi ex hoc ipso syllogismo apparet.

Numquidnam manus tua) Solebat Chrysippus quaerere ex eo, quicum colloquebatur; artifex non poterat rem significare nisi ipsius Chrysippi manu porrecta.

ne statuam quidem dicturam) *Quam* in Erl. nihil est nisi ipsum *quidem*, solita illius librarii confusione (vid. II, 5, 17, 23, III, 68, V. 55, 88). Alibi *quid* scribit (II, 82, V, 3, 6, 30, 31, al.) aut *quid est* (II, 79) aut *quod* (I, 53, 56). Itaque soli deteriores discrepant, *dicturam quidem* transponentes, etiam tres Gzii. Ruhnkenius (ad Rutil. p. 129) cum in cod. Leidensi *quidem* abesse vidisset, probavit omissionem habuitque assentientem Gzium, qui nescio quid de sono balbutit. Si quis diligenter locos eos examinaverit, qui proferuntur, ut *ne pro ne* — *quidem* dictum esse ostendatur (vid. interpretes, qui citantur a Ramshornio p. 885 ed. 2 [et Hand. Turs. IV

si loqui posset. Conclusum est enim contra Cyrenaicos satis acute, nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum svavitate afflueret et illaberetur, nec manus esse con-

1. Post *posset* add. *verum* LPMCR *igitur* (pro enim) L. 3. et ea ad C

p. 69, 70]), primum reperiet, hic illic in deterioribus quibusdam codd. excidisse *quidem*, quod sit in optimis, ut h. l., ut supra 19, paucos illos esse locos, in quibus in omnibus codd. omittatur, magnam partem eiusmodi, ut, qui exciderit, facile appareat (ut II Acad. 52 ante *quae*); deinde aliquot locos eiusmodi esse videbit, ut et sententia et codices non solum *quidem*, sed etiam *ne* eiciant et longe aliam scripturam postulent, velut hic II, 55 et V, 20 extr.; tum alias quoque vehementer dubitandi causas cognoscet, velut illam, quod ex toto Livii opere tres proferuntur huiusmodi loci, unus ex ea parte, quae in uolo cod. Laurishamensi extat, XLIV, 36, 8; postremo in aliquot locis etiam singulari quadam orationis forma ac necessitate requiri *ne* — *quidem* animadvertet, cum negative concludatur, de quo genere exponetur in exc. ad II, 25. Neque ulla ratione defenditur particulae *quidem* omissio; neque enim intentio illa negationis, quae inesse debet, est in solo *ne*, quod ut pro *non* in hac significatione retineretur ex antiquo sermone. ipsa altera particula adiecta et pronuntiandi ratio effecit; postea autem adeo *ne* pro *non* obsoleverat, ut solum poni incipere non potuerit. Itaque ego *ne* poëtas quidem *ne* pro *ne* — *quidem* dixisse concesserim, velimque animadverti, solius Horatii (Sat. II, 3, 262) et Persii (V, 172) eandem rem ex Horatio narrantis auctoritatem proferri, neutram a codicibus firmam.

si loqui posset) *Verum* additur etiam in aliorum codd. deterioris generis. Davisianis quinque, Oxx. duobus, Gzianis praeter Erl. et Spir. Sustulisse primus videtur Aldus Manutius.

nihil ad Epicurum) In Pison. 68: *recte an secus, nihil ad nos aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus*; cfr. de Divin. II, 78, Verr. I. 116: *quid ad praetorem?* Nam aliter dicitur in comparando *nihil ad Caelium. nihil ad Persium.*

titillaret sensus) Epicuri verbum est, ut ait Cicero I N. D. 113, Graecum γαργαλίζω, γαργαλίζω.

afflueret et illaberetur) Nimis diligens fuit nec tamen satis attendit Lambinus, qui *allaberetur* scribi voluit; nam primum *affluit* voluptas, deinde *illabatur* et se insinuat.

tenta posset nec ulla pars vacuitate doloris sine iucundo motu voluptatis. Sin autem summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere, primum tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil desiderare manum, cum ita esset af-
5fecta, secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam. Idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore caret, id in voluptate est.

XII. 40. Extremum autem esse bonorum voluptatem, ex hoc facillime perspici potest: Constituamus aliquem
10 magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediante nec impendente; quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possimus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui

1. [*nec ulla par A*] *ut ulla pars E ulla* (om. *nec et pars*) ceteri, Or. 4. *effecta E* 5. *secundum si non recte vol. E* 10. *perpetuisque L* 11. *nec* (priori loco) om. *E impediante* (pro *impendente*) *L* 13. *possumus ELM* Or. *quia E*

nec ulla pars vacuitate doloris) Postulabant hanc scripturam, a Th. Bentleio et Davisio probatam, vestigia in Pal. 1 manifesta, in Erl. [B] obscuriora, in ceteris paene oblitte-
rata; nam in El. 2 ad marginem scriptum erat: *Alii ut ulla pars vacuitate*; in mg. Crat. ad *ulla vacuitate* annotatur: „*illa*; alii. *ut ulla pars vacuitate*“; Bas. habebat: *posset ne ulla par-
vitate doloris*; postulare etiam sententia et oratio videbatur. Neque enim ullus hic est descensus neque ad praecedentem negationem adiunctio in voce *manus*, ut *nec* pro *ne* — *quidem* accipi vix recte possit; ac si possit, non poni ita a Cicerone, evincam in excursu ad II, 25. *Ne ulla vacuitas* quidem recte dicebatur, cum una esset nec genere differret. Itaque Gulielmus *illa* scribebat; et sic Gud. 2 (cfr. mg. Crat.). At *nullam partem*, non addito *corporis*, nimis infinite dici contendunt. Equidem ex eo, quod una aliqua corporis pars, manus, nominata esset, satis illud audiri potuisse credo, quamquam in lib. II, 113 Erl. [et B] *corporis* in simili forma omittentibus adversatur Pal. 1. [*Desideraret*, etiam illo posito; frustra I. Muellereus *desiderat* scribi vult.]

Cap. XII. 40. *facillime*) In edit. Venetam 1494 irrepsit *facile* propagatumque est ad alias. Paulo post *possimus* (praeter PCR) etiam Gud. 1 et 2, Bas. Ferri potest, ut cum conditione interrogetur. [Itaque nunc A secutus restitui.]

Inesse enim necesse est) Similis imago sapientis beati est apud Diog. Laërt. X, 133 in Epicuri ep. ad Menoec.: Ἐπει

ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse, ut eius magnitu-

3. *lenis* [A]LMC et (pro ut) E

τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσα δοξάζοντος καὶ περὶ θανάτου διὰ παντός ἀφόβως ἔχοντος καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐπιλελογισμένον τέλος καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρασ ὡς ἐστὶν εὐσυνπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον, διαλαμβάνοντος, τὸ δὲ τῶν κακῶν ὡς ἢ χρόνους ἢ πόνους ἔχει βραχεῖς; Sequuntur plura de fatis, quae describendo corrupta sunt, et de fortuna, quam sapiens non timeat, cum praesertim indicet κρείττον εἶναι εὐλογίστεως ἀτυχεῖν ἢ ἀλογίστεως εὐτυχεῖν. Sed apud Epicurum haec subiciuntur sententiae de voluptatis et virtutis coniunctione; apud Ciceronem haec nondum satis praeparata sunt, quod illas sententias, quibus hic utitur, nondum attigit. nec ex voluptatis perceptione sequitur, ut is. qui eam percipiat, sit sapiens Epicureus. Itaque fere eadem dicuntur infra c. XVIII, 57 sqq. ubi in epilogo comprehenditur tota Epicuri beatæ vitæ constitutio.

(*et firmitatem animi*) De partitione coepta in voce *et*, deinde interrupta. vid. exc. I ad § 23. Volebat Cicero adiungere: *et tranquillitatem. cum divinum numen non horreat, et memoriam praeteritarum voluptatum*; pro his subiecit: *Ad ea cum accedit cet.*

(*mors sensu careat*) Cfr. 49 et 62. Secunda est Epicuri sententia. praeter Diogenem (X, 139) a multis aliis commemorata: Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Vertit Cicero II, 100. Cfr. Epicuri ep. ad Menoec. apud Diog. X, 124. Ut alii, Epicurus statum post mortem consolabatur; ipsum vitæ desiderium et timorem dissolutionis non attingebat.

(*dolor in longinquitate levis*) Quarta est Epicuri sententia (Diog. X, 140): Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγὸν ἐν τῇ σαρκί, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι, τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον κατὰ σάρκα οὐ πολλὰς ἡμέρας συμβαίνει, αἱ δὲ πολυχρόνιοι τῶν ἀρρωστικῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκί ἢ περὶ τὸ ἀλγὸν. (Recte habere videntur verba τὸ δὲ μόνον — συμβαίνει, quae omnes tentant; Epicurus tres quasi gradus esse vult: summus dolor brevissimus est; qui non summus et tantus tamen est, ut voluptatem in corpore vincat et obscurat. non longus; qui longus, ipse cedit saepe voluptati et per vices obscuratur.) Multa alia collegerunt Menagius ad Diog. 140 et Gatakerus ad Antonin. VII. 33;

dinem celeritas, diurnitatem allevatio consoletur. 41. Ad ea cum accedit, ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur, quid est, quod huc possit, quod melius

1. *elevatio* EC 2. *nomen* E 4. *huic* MCR *hinc* L

Cicero attingit hoc libro § 49, II, 22 et 94, Tusc. II, 45, V, 88. Brevitatem illam gravium dolorum mors afferebat: *Οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χροῖοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν.* (Plut. de Aud. Poët. 14 p. 36 B.)

ut eius magnitudinem) Et etiam [B,] Spir. et Gud. 2; necessarium ut [A], quo significatur, ex illa doloris natura hanc repeti consolationem. *Elevatio* „bini“ Gzii (alter Erl.), quod potius ex errore scribarum in composito nomine quam ex simplici (*levatio*) ortum est. *Elevatio* ipsa nihil ad hunc locum.

41. *neque divinum numen horreat*) quod di humanas res non curent neque iis irati offensique immisceantur. Vid. Epicuri sententia prima (Diog. X, 139), I N. D. 45 sqq., al. *neque praeteritas voluptates effluere patiatur*) Hanc voluptatum memoriam Torquatus commemorat etiam 55 et 62; cfr. II, 104 et 105, Tusc. V, 96, Senec. de Vita Beata 6. E Graecis attingit Diog. Laërt. X, 137 et, de Cyrenaicis dicens. II, 89: *Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατὰ μνήμην τῶν ἀγαθῶν ἢ προσδοκίαν ἡδονὴν φασὶν ἀποτελεῖσθαι, ὅπερ ἤρεσκεν Ἐπικούρου.* Cum voluptas animi, qui ipse corporeus erat, ex affectione corporis necessaria quadam vi oreretur, quaerendum videtur fuisse, qui posset memoria corporis aut etiam animi prius aliter affecti vim ullam habere ad eam affectionem corporis et propter id animi, quae nunc esset, mutandam. Sed Epicurus hoc de memoria praeteritorum, spe futurorum, ut alia, ex communi quadam opinione disciplinae addiderat exornata et aucta.

quod huc possit — accedere) *Huic* quattuor, ut videtur, Pall. habebant, e Davisianis quattuor, Oxx. omnes (id est, tres praeter duos Davisii), Gud. 2, *hinc* Gud. 1 et Bas. *Huc* profertur etiam e Spir. et duobus Pall. [AB]. Tum *accedere* fere Lbiniani, Pall. omnes, [etiam A.] Davisii saltem quattuor iidem, Oxx., excepto ξ, Gzii Gud. 2 et „plerique“. *Accidere* etiam Spir. [B] Tenendum videtur *huc*, quod trahit *accedere*; nec *accidere* aptum hoc quidem loco videtur, de cumulo felicitatis. Offensio. quae est in *accedit* et *accedere*, non durior est quam II N. D. 145 in *cognoscunt* bis posito aut Divin. I.

sit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore levius aliquando, nulla praeterea neque praesenti nec expectata voluptate; quid eo miserius dici aut fingi potest? Quod si vita doloribus re- 5 ferta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore; cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere. Nec enim habet nostra mens quidquam, ubi consistat tamquam in extremo, omnesque et metus et aegritudines ad dolorem referuntur, nec 10 praeterea est res ulla, quae sua natura aut sollicitare possit

1. *accidere* E *tanti* E 2 *homine* LPMCR *maxime* ECR 3. *cuius* (pro *levius*) C *aliquanto* [A]EC *nulla terra nec praesenti* C 4. *neque* exp. LPMROR. 5. *quid si* E 7. *cum doloribus* C 8. *hic* (pro *nec*) C

129 (*sentiunt inter se, quid quisque sentiat*), maximeque I Off. 8: *sic definiunt — ut — definiunt.*

nulla praeterea neque) Pro *praeterea*, quod tuentur etiam ceterorum codd. (Mor., Vict., mg. Crat., [B.] cett.), unus, de quo constet, cod. § et aliquot edd. (Ald., Crat., Vict.) *praeterita*, quod ortum est eorum correctione, qui tria tempora notari nec praeteritarum voluptatum memoriam praetermiti volebant. Praetermisit eam Cicero etiam II, 63. Vix fingi quisquam poterat, qui nullam umquam voluptatem cepisset; poterat, qui nec nunc ulla frueretur nec spem definitam futurae haberet. [Mox *nec pro neque* ABerl.]

cui sententiae consentaneum est cet.) Hanc sententiae appendiculam, qua in memoriam revocatur, quod initio capitis positum erat, plures, Th. Bentleio principe, damnarunt. Recte Bremius, frustra Gzio contra clamante, melius haec afutura fuisse putat, cum de summo malo pergat oratio, sed similes appendices sententiarum ad contrariam partem spectantes saepius a Cicerone adiungi, velut II, 86, ubi ad proximam disputationem de beata vita nihil pertineant verba: *item contra miseriam omnem in dolore*. Add. V, 90, ubi cum de solis *productis* Cicero loqueretur, adhaesit e contrario *et reducta*, in quo offensus est Davisius.

quidquam) Quod facile ex adiunctis auditur *aliud (praeterea)*, Lambinus addebat; similia annotavi ad 18. Mox metus esse venientium malorum, aegritudines praesentium, ut exponitur in tertio et quarto Tusculanarum, dico propter Gzii annotationem.

aut angere. 42. Praeterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore. Quod cum ita sit, perspicuum est, omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate 5 vivatur. Quoniam autem id est vel summum vel ultimum vel extremum bonorum (quod Graeci τέλος nominant), quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes, fatendum est, summum esse bonum iucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt et, splendore nominis 10 capti, quid natura postulet, non intellegunt, errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes nisi voluptatem efficerent,

1. tangere [A]EPR frangere LMC 3. aut dolore E et cum (pro quod cum) C 4. ferri LMC 6. bonorum transp. post summum PMCROrL (hic bonum) [telos A] et ipsum C quo ipsum R 7. aliam ad L feruntur [A] LMR ferentur E 8 est bonum E 9. quidem in L una om. C 11. voluerunt E liberantur LPMCR nostrae C 12. voluptates EC

aut angere) Duplicata littera factum est aut tangere (in Pall. quinque, aliquot Dav., Oxx. Uχ, Gzii omnibus, [B]); hinc corrector in Eξ effecit frangere, quod ex C Manutii et Lambinus retinuerunt. Verum primus Victorius edidit. Angor cum sollicitudine coniungitur (Tusc. IV, 18); sollicitare et angere Cicero aliquotiens dixit (ad Att. I, 18, 1, ad Q. Fr. III, 3, 1).

42. extremum bonorum) Hoc loco ponitur bonorum praeter [A et B et] Erl. in Spir. et Gud. 2. Cod. Mor. omittere hoc vocabulum dicitur; vereor, ne tantum transposuerit.

quod ipsum — ad id autem) Relativa sententia, cum ad-versative sic continuatur, ut opus sit pronomine expresso, naturali quodam orationis flexu transit in demonstrativam; cfr. II, 5. Latini non solum hoc modo saepe locuti sunt, sed, ut opinor, altero (ad quod autem) numquam. Dixi de hoc genere Opusc. Acad. II p. 177 sq., paulo distinctius quam Wopkensis, Heindorfius, Ellentius (ad Brut. 258), Kritzius (ad Sallust. Iugurth. 101, 5).

Cap. XIII. liberabuntur) Liberantur etiam Oxx. Uχ et sine dubio deteriores longe plurimi, etsi tacent Dav. et Gzius. Liberabuntur, nescio a quo primum ascitum (est apud Crat., non apud Mars.), a Man. et Lamb. neglectum, Gruterus revocavit, cum in membranis Pall. [hoc est, in A] repperisset.

Istae enim vestrae virtutes) Nota Epicuri sententia, διὰ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἰρεῖσθαι, οὐ δὲ αὐτὰς, ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ἰγίαιαν (Diog. X. 138 ex Epilectis Diogenis Tarsensis;

quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus, et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur, sic sapientia, quae ars vivendi putanda est, non expeteretur, si 5

1. [arbitretur A] 2 sententiam C

ea est ipsa comparatio, quam Cicero posuit); superbius quodam modo ipse Epicurus in libro *περι τέλους* apud Athenaeum XII p. 546 F: *Τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ τοιοντότροπα, εἰάν ἴδοντῃν παρασκευάζῃ· εἰάν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἑατέον*. Itaque instrumenti loco virtutem voluptati inseparabilem adhaerere statuebat; est enim quinta Epicuri sententia (Diog. 140): *Ὅνκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως*. quae vertuntur hic § 57. Sed inter virtutes, quarum genera et discrimina ipse Epicurus subtiliter persequi omiserat, sic prima ponitur prudentia illa (*φρόνησις*), quae proprie erat rerum expetendarum fugiendarumque scientia (ut a Stoicis definiebatur, Off. I, 153), ut, quoniam haec theoretica. ut nunc loquimur, virtutis pars erat, cum ipsa sapientia (*τῆ σοφία*) confundatur, eique praeter rerum bonarum et malarum cognitionem tribuatur etiam aliorum errorum, ut de dis, de morte, depulsio. Hanc etiam Epicurus (epist. ad Menoec. apud Diog. X, 132) ceterarum virtutum matrem facit. Nec Stoici semper id discrimen servarunt, quod I Off. 153 exponitur, cum praesertim sapientia omnes virtutes comprehenderet. [Tum *voluptates* etiam B, quod mihi propter *virtutes* placebat; sed *voluptatem*, quod de universo genere dicitur, praeter A firmare Diogenis locos recte I. Muellerus monet.]

sapientia — *ars vivendi*) Tralaticium hoc apud omnes veteres philosophos. ut satis sit ex hoc ipso opere citasse lib. III, 4 et V, 16 et Acad. II, 23; cfr. Sext. Emp. XI adv. Mathem. 168 sqq. (*εἰ ἔστι τις τέχνη περὶ τὸν βίον*). Ceterum non multum ab Epicuro discedebat Carneades exemplisque utebatur iisdem in illa sua parum seria de summo bono disputatione; vid. V, 16, ubi *prudentia* est, quae hic *sapientia*. Sed omnino cum veteres philosophi docerent fere communiter *τὴν φρόνησιν ποιητικὴν εἶναι τῆς εὐδαιμονίας* (Plut. de Stoic. Repugn. 26 p. 1046 E, Sext. Emp. adv. Math. XI, 110 et 170, al.) et ideo omnes sapientem semper beatum inducerent, non tam in primo hoc gradu discedebat Epicurus quam cum, quae esset et quo efficeretur ἡ εὐδαιμονία, quaerebatur. Paucis verbis ante Cicero

nihil efficeret; nunc expetitur, quod est tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. 43. (Quam autem ego dicam voluptatem, iam videtis, ne invidia verbi labefactetur oratio mea.) Nam cum ignoratione rerum bonarum
 5 et malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem et voluptatibus maximis saepe priventur et durissimis animi doloribus torqueantur, sapientia est adhibenda, quae, et terroribus cupiditatusque detractis et omnium falsarum opinionum temeritate derepta, certissimam se nobis ducem

3. ego om. LPMCRor. 5. et malarum om. C 6. ut voluptatibus E purissimis [A]EPR pravissimis MC gravissimis Or. 7. adhibenda est E quod P 8. erroribus E falsorum opinione L 9 direpta PMCR directa L nobis om. L

commodius dixisset non sua sponte quam (ars) non arte: similiter II, 33: natura — natura sua.

43. ego dicam) Pronomen addunt etiam [AB.] Spir. et Gud. 2, id est, meliores; se a Cyrenaicis et vulgo seingit.

et durissimis animi doloribus) Sumptum hoc e codd. corrigendo emendatis. L et Pal. 2, sed proxime ad optimorum et mediocrium complurium scripturam (purissimis) accedit (Lamb. omnium, Pall. 1, 4. 6, [B.] Parr. trium Dav., Ox. U); ceteri (Pall. 3, 5. Davisii tres, Oxx. duo, Gzii aliquot) pravissimis, e quo Lamb. gravissimis. Fateor, durum dolorem apud Ciceronem alibi non dici. et in hoc substantivo scriptores prosae orationis iis potius adiectivis uti, quae ab onere aut a tactu aut gustu imaginem traducant, cum hoc magis ad rigorem quandam spectet, ut aliter dura condicio dicatur et servitus. Sed tamen admodum propinqua haec sunt; et transierunt finem illum poetae, quin ipse antiquus usus cotidianus, ut in duro vino apud Catonem.

est adhibenda) Adhibenda est Gzius ait scribi in Gud. 2 et Bas., Erl. et Spir. omittit est, falso de Erl., nec minus, opinor, de Spir. [B ut Erl.] Eorum, qui verbo est bellum indictum habuerunt, hoc quoque praeceptum est, a Beiero ad Off. I, 25 ita expositum, ut in ea re unius codicis (nec genera is discernere in talibus rebus solebat) auctoritatem ceterorum consensui praelaturum se profiteatur, a Cicerone hoc verbum omitti solere apud gerundiva. Non omittit nisi in brevi sententia, initio periodi, cum rhetorica quadam gravitate.

terroribus) mortis et deorum, § 63.

temeritate derepta) Sic e suis Lamb., Gruterus tacite; Gzii praeter Erl. et Spir. direpta, ut Dav. El. uterque, Mead., CCC, Ball., vel direpta (direpta cod. Urs.). Insolens est deripere alicui temeritatem pro eo, quod est detrudere; simile tamen pro

praebeat ad voluptatem. Sapientia enim est una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu

1. *enim* om. E

Sulla 2: *quantum de mea auctoritate deripisset*, et de prov. cons. 13: *hos vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, non deripiendos putaretis?* Et dicitur a Cicerone *eripere alicui errorem* (ad Att. X, 4, 6), *dolorem* (ibid. IX, 6, 5), *timorem* (in Cat. I, 18). Significantur opiniones animo firmiter inhaerentes. Dav. e tribus Parr. et deinde Ern. *dempta*; dubito de codicibus. Val. Max. [etsi III, 2 E 4: *dereptam hostibus victoriam dixit*, tamen] scripseritne II, 9, 8 *dereptis equis publicis pro ademptis*, incertum puto; *demere* quidem (nam poterat ibi quoque in mentem venire *demptis*) cum dativo plerumque dicitur de mala re et onere. Tacitus Ann. II, 45 *tela Romanis derepta dixit*, sed de iis, quae mortuis detracta essent.

Sapientia enim est) In Spir., Gud. 2, Bas. *Gzius est enim* scribi dicit, cui hic eo magis credendum est, quod recte de Erl. annotavit. [B ut Erl.] Ea est huius positus (*Sap. est enim*) ratio, ut, elata voce in primo vocabulo, quo gravissima notio contineatur, obscuretur enclitica; in altero positu vox minus in primum vocabulum incidit potiusque ad sequentia trahitur et ea insignit, ut paulo post: *Cupiditates enim sunt insatiabiles*. Cumque in huiusmodi sententiis, non solum in negativis (*nemo, nihil est*) et interrogativis, Latini plerumque primarium vocabulum in initium periodi retrahere possint, sane saepius Cicero scripsit *est (sunt) enim (autem, igitur) quam enim est*. [Contrarii positus locos numeravit Ellendtius ad Cic. de Orat. III, 120 p. 407. Utriusque generis numerandi erant per aliquot libros, quorum boni sunt codices, eique bene collati, tum videndum, num quid discriminis esset.] Hic quoque sic scribendum videretur, ut mox 47, nisi adderetur *una*. Hanc regulam, contrariam prorsus Gzii aliorumque praeceptis, qui, naturam encliticae vocis ignorant, asseverationem aliquam in *est* secundo locoposito inesse putarunt, adhibito optimorum codicum testimonio in iis libris, quorum omnino boni codices sunt, et recta interpretatione stabilitum iri puto in re parva, sed multum iactata, ac ne ab Handio quidem (Turs. I p. 578 sqq., II p. 400 sqq.) optime expedita: quamquam is principium veri fere vidit, sed plura admiscuit nec vera nec inter se consentientia. Sed tamen ea fuit in re levi vel. opinor, scriptorum incuria vel librariorum licentia, ut loci aliquot vel in optimis codicibus repugnent, quos intactos relinquere praestat; velut *neque enim est (sunt)* legitur de R. P. I, 12, Lael. 47 et 48, [N. D. II, 37,] contrarium Tusc. I, 46

non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles, quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant saepe rem publicam.

5 44. Ex cupiditatibus odia, discidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. Nec eae se foris solum iactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant; ex quo vitam amarissimam necesse est effici, ut sapiens solum, amputata

4. *et pro etiam* E 5. *dissidia* Or. 6. *eas se* E *hae sese* PCROr. *eae sese* LM *solum foris* L 9 *esse* (pro *necesse est*) E *circumcisa amputataque* L

[ubi cod. B Baiteri *enim est*; melius verbum abesset]. Atque in hac quoque re (cfr. ad § 14 de genetivi forma) apparet diversum iudicium librariorum eorum, a quorum codicibus singulorum librorum Ciceronianorum nostri derivati sunt; nam in libris de Officiis in multo pluribus locis quam alibi optimi codices *est* tertio loco habent contra illam regulam (vid. ex libro I § 27, 42, 53, 56, 61 (in codd.), 64, 68, 102, 104, 129, 131, 140, 154). Nobis in huiusmodi rebus difficile est perpetuum quendam Ciceronis morem invenire, periculosum in libris edendis sequi.

qua praeceptrice — potest) Paulo durius hoc propter adiectum *praeceptrice* seorsum extulit; expectabatur *possit*. Ceterum in *pellat et sinat* coniunctivus potestatem rei, non ipsam rem directo significat. Nam § 47 dicitur: *Temperantia est enim, quae monet*, et Lael. 84: *Haec est societas, in qua omnia insunt*, et ibd. 86: *Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes consentiunt*. Haec in II de N. D. 133 tueri videntur receptam scripturam: *ratio est enim, quae praestat omnibus*; optimi tamen *praestet*; et legitur hic § 54: *voluptas est sola, quae nos vocet ad se*. [Durior etiam indicativus apud Livium IX, 3, 12.]

44. *odia, discidia*) Sic etiam [B.] Lambinus ex „omnibus suis vett. libris“. *Dissidia* Davisius intulit ex El. utroque et CCC (at Oxx. ex § annotant *discidia*), secutique pravam formam ceteri tacite. Vid. exc. ad h. l. Mox *nec hae sese* omnes edd. taceturque de codd. [Sed *eae se* A.]

ut sapiens solum) Expectatur *solus*; est enim: *nemo nisi sapiens*; atque ita e Lambini coniectura scripsit Ernestius. Defendit *solum* Bremius usu loquendi, quo Gzius non contentus ita disputat, ut eam ipsam regulam, quam illi in corrigendo

circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus sine aegritudine possit et sine metu vivere. 45. Quae est enim aut utilior aut ad bene vivendum aptior partitio quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posnit earum cupiditatum, quae essent et naturales et necessariae, 5 alterum, quae naturales essent nec tamen necessariae, tertium, quae nec naturales nec necessariae; quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur; ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod

4. [que e usu Epicurus A'] possit E 5. et (prius) om EL 6 non tamen E 9. nec naturales L qui multa E

secuti erant, proponat paulo minus recte et exempla perverissima interpretatione ad eam accommodet. Latini solent adiectivo subiecti unitatem significare; nihil tamen prohibet, quo minus adverbium eodem modo ponant, quo *tantum, modo*; ita unitas subiecti ad totum enuntiatum transfertur. Itaque quod infra II, 45 est: *non sibi se soli natum*, id de Off. I, 22 est: *non nobis solum nati sumus*; cfr. hic III, 63: *immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt*, et Tusc. IV, 44: *neque vero solum hanc libidinem laudant, sed ipsum illud genus libidinis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum*.

inanitate) *Κεροδοξίαν* appellat Epicurus apud Diog. X, 149.

45. Quae est enim utilior — partitio) Tricesima est Epicuri sententia apud Diog. X, 149: *Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν εἰσι φυσικαὶ καὶ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι*. Addit deinde ipse Diogenes exempla. Ad primariam bipertitae divisionis formam, quam Cicero II, 26 postulat. ipse haec revocarat Epicurus in ep. ad Menoec. apud Diog. X, 127. Pluribus Cicero hanc divisionem a multis veterum commemoratam exponit Tusc. V, 93 sqq.

et naturales) Gzius scribit, multos codices tresque suos omittere et; nemo, quod sciam, superiorum quidquam annotarat.

quarum ea ratio est) De orationis forma in verbis *ne naturales quidem multa desiderant* ab instituto cursu deflectentis dixi in exc. I (ad § 23), IX.

propterea quod ipsa natura) Epicurus in quarta decima sententia (Diog. X, 144): *Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὄρισται καὶ ἐπόριστός ἐστιν, ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει*, et in ep. ad Menoec. (§ 130): *Τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν ἐπόριστόν ἐστι. τὸ δὲ κενὸν δυσπόριστον*. (Cfr. Tusc. l. c., ubi tollendum est grave mendum. Editur enim § 94: *et eaeque voluptates singulatim*

ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.

XIV. 46. Quod si vitam omnem perturbari videmus errore
 5 et inscientia, sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias et omnes monstret vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant, quid est, cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptates expetendam et in-
 10 sipientiam propter molestias esse fugiendam? 47. Eademque

4. [quid si A¹] 5. *inscitia* C nos et libid. L 6. et formid. LC
 7. *modicae* E *modeste* C *doceat* (pro *monstret*) LPR om. MC 9. *voluptatem* LPMCROr.

extenuantur, quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen copiam. Nec extenuantur et non contemnunt, nec non contemnunt et quaerunt tamen conveniunt; multo minus, quae de generibus sequuntur. Hic, ut alibi saepe, non natum ex con; fuerat enim scriptum: quarum genera contemnunt, quaerunt tamen copiam. Generatim contemnebant et extenuabant, velut obscenas, cibi, ceteras; vivere tamen in omnium copia malebant. Bentleius vitium orationis senserat, a sententia aberravit, ad quam propius accessit H. Wolfius, sed soloecam fecit orationem. Moserus nec retinere non nec tollere absurdum putat. O beatum criticum!) [Perverse contra dixit Kuehnerus, non intellegens ipsa genera singulatim extenuari.] Coniuncta huic sententiae erant, quae de frugalitate praecipiebantur; vid. II, 90.

Cap. XIV, 46. *inscientia*) *ignoratione rerum bonarum et malarum*, § 43. Perverse Eξ, Spir., Bas. *inscitia*, quae facultati aliquid recte et ordine, hoc est, scite agendi contraria est (ut *inscitia loquendi, negotii gerendi*), non cognitioni et intelligentiae. Vid. Gernhardus in exc. ad Cat. Mai.; tractavit rem etiam Otto ad h. l. Nescio tamen, cur I Off. 144 *inscitiam temporis pro inscitia temporis capiendi* nominatim non ferat.

a *formidinum*) Praepositionem, quam Dav. e Parr. tribus et Mead. addidit, habebant Oxx. Eξχ, Gzii omnes, [B].

monstret) Cum Erl. faciunt Pal. 1, Spir., [B.] codd. Scal., Mor., mg. Crat. Excidit verbum in vulgaribus (Pal. 5, χψ, Gud. 1); deinde substitutum *doceat* (Pall. quattuor, EUξ, Gud. 2). Μοx ἀπονία καὶ ἀταραξία ab Epicuro laudata significatur. [Voluptates restitutum ex ABERl., ut iam in praef. ed. I scribi debuisse dixeram.]

47. *ut rationem*) In Aldinam irrepsit *rationem ut*, idque silentio propagatum est.

ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim, quae, in rebus aut expetendis aut fugiendis ut rationem sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare, quid facien- 5 dum non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem, quod tenere atque servare id, quod ipsi statuerunt, non possunt, victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos nec, quid eventurum sit, provident, ob eamque 10 causam propter voluptatem et parvam et non necessariam, et quae vel aliter pararetur et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur. 48. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut 15 nulli propter eas consequantur dolores, et qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiant non esse faciendum, ii voluptatem maximam adipiscuntur praetermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex 20 quo intellegitur, nec intemperantiam propter se esse fugien-

2. *affert* E eo L 4 *aut* (pro ut) rat. E rat. ut LOr. 5. *admonet* E 6. *et* (pro sed) E 8. *ipsi* om. LPMCROr. *possent* L 9. [si A¹] 10. *proventurum* LMCR *perventurum* P 11. [non om. A¹] 12. *etiam* om C 16. *nullos* E *dolores consequantur* LPMCROr. *dolores* om. E 17. *sentiant* LPMCROr. 18. *hi* [A²](LP)COr. *in* E 19 [idem A] *cum idem* C 20. [non om. A¹] 21. *nec* om L *fugiendam esse* LPMCROr.

ipsi statuerunt) Sic etiam [AB,] Spir. Addito pronomine gravius notatur mollis inconstantia. [Paulo ante Baiterus in ed. min. *quod est iud.*, vix necessario.]

nec, quid eventurum) Sic etiam Pal. 1, El. 2, Spir., [B,] mg. Crat. Idem ediderat Lamb. Deteriores (Pall. et Davis. reliqui, Oxx. Εχψ. Gziani tres) *proventurum*; Ox. U *perventurum*. Ursini codex, id est. coniectura: *porro eventurum*. Nulla hic continuatio et progressio significatur. Mox *vel aliter* (quoniam Bremius haesit) est: *si omnino quis eam desideraret, etiam aliter pararetur*.

48. *voluptatem — adipiscuntur*) Vid. 33. [Paulo ante *sentiant* nunc ex A et B receptum post Baiterum.] Paulo post *esse fugiendam* etiam [AB] Spir.

dam temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

XV. 49. Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio neque perperissio dolorum per se ipsa allicit, nec patientia nec assiduitas nec vigiliae nec ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem, sed ista

5. *assiduitates* [A]PMCR [ea (pro nec) ipsa A] nec ea ipsa LPMCRÖR.
6. *nec fort.* LC et EL (pro sed)

Cap. XV, 49. *nec assiduitas*) Sic, quemadmodum scripserat Aldus Manutius, EL [et B]. Gzius „potiores suos omnes“ hoc habere dicit. Pall. omnes *assiduitates*, tacentque Dav. et Oxx. Teneo singularem, quod nullus omnino hic locus est notioni subiectorum aut rerum, in quibus versetur, numero multiplicatae, sed generali, qualis est *patientia, industria*, videturque pluralis ortus esse ex sequenti *vigiliae*.

nec ipsa) Sic etiam Spir., [B.] Gud. 2, Bas. [In A ea ex nec factum.] Editiones ante Gzium omnes *nec ea ipsa*, taceanturque de codd., nisi quod in ξ omittitur *ipsa*, in E ea *ipsa*. Non haec industria ab aliis separatur (velut a prava), sed universe industria ab aliis rebus; itaque nihil huc pertinet quaestio de pronomine *ipse* pro *is ipse* posito. Sed *ipsa, quae laudatur*, ideo dici videtur, quod haec tamquam propria quaedam virtus laudari in hominibus solet, non *vigiliae*, quae in hominibus non sunt. nec *assiduitas*, quae in certis actionibus spectatur, non in toto ingenio. [Blandiri potest Ad. de Ionghii coniectura (Symb. litt. Bat. V. p. 81): *nec ipsa laudatur industria*: sed tum scribi debebat: *nec ind. ipsa laud.* (*ipsae per se laudantur*); et uni *allicit* unum respondet *sequimur*.]

ne fortitudo quidem) Mali quidam codices, ut solent, *nec* (EUξ; multos Gzius dicit), quod si esset Latinum (vid. exc. ad II, 25), huius loci non esset, sive enumerationem finire sive argumentum concludi iudicamus. Dubitatum est enim, quomodo extremo loco adhaereret ipsa fortitudo, cuius superiores partes essent. Itaque Dietrichius (Quaest. gramm. et critt. de locis aliquot Cic., Lips. 1835, p. 72) concludi rationem sic putavit: *itaque ne fortitudo quidem* (ut esset: *also auch nicht*); sed neque particula conclusionis index omitti poterat (*ita ne fort. qu.*), neque, si a partibus ad totum ratio transferretur, recte deesset periculis susceptionis mentio. Itaque fortitudinem sic tamquam summum adiungi puto, ut, cum ante eae res nominatae sint, quae sub patentem latius eius virtutis notionem cadant nec tamen eo nomine appellari soleant, hic ea intellegatur, quae magis proprie dicatur, quae

sequimur, ut sine cura metuque vivamus animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur, et ut succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est, ob eamque debilitatem animi multi parentes, 5 multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt, sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati, et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, 10 parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos, ut, si tolerabiles sint, feramus, si minus,

1 metue L 2. possumus L 4. [et om. A] 8. tum M om. C [quum] Or. qua quia E[A'] 11. quietis C medicorum E 12. [feramus om. A'] sin POr.

in periculis adeundis cernatur. Epicurus τῆν ἀνδρείαν φέσει μὴ γίνεσθαι, λογισμῶ δὲ τοῦ συμφέροντος putabat. (Diog. X, 120.)

plerique — perdiderunt) Narratur, quid saepe factum sit, ut intellegatur, quid fieri soleat. Dico propter Gzium, qui ludibrium aoristi adhibuit. [Op. Acad. II p. 114.]

cum et mortem contemnit) Non causa indicatur, sed ipse status animi describitur adiungendis iis, in quibus appareat. [Gr. Lat. § 358 n. 2.]

in eadem causa sunt, qua antequam nati) De re vid. ad § 40; de praepositione ante relativum omissa, cum audiatur, non exprimatur idem verbum, quod praecesserit, annotatum breviter ad § 32; pervagatum enim genus est et a multis commemoratum. Exempla Ciceroniana collegit Otto in exc. ad II, 13. 40. Causa, ut hic, de statu et condicione saepe ponitur ea conjunctione, ut aut esse in aliqua causa aliquis dicatur aut haec vel illa alicuius esse causa. [Verr. I, 111: in iisdem causis.] Cicero (ad Att. XI, 13, 1) dixit etiam venire in eam causam. et quemadmodum I de Orat. 159 scripsit causam imperii cognoscendam esse, sic pro Sulla 32: causam rei publicae non tenes. Liv. XXXIX, 18, 5: Magna vis in utraque causa virorum mulierumque fuit.

si minus) Sic [AB,] Gzii omnes. Edebatur inde ab ed. Ven. 1494 sin minus. [Animo aequo etiam AB.] De re cfr. ad 62 et II, 95. Seneca Epist. 12, 10 Epicuri vocem ait esse: Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est. Alibi non memini commemorari. Epicurum mortis sibi consciscendae auctorem fuisse; tantum eius timorem exi-

animo aequo e vita, cum ea non placeat, tamquam e theatro
 exeamus. Quibus rebus intellegitur, nec timiditatem igna-
 viamque vituperari nec fortitudinem patientiamque laudari
 suo nomine, sed illas reici, quia dolorem pariant, has optari,
 5 quia voluptatem.

XVI. 50. Iustitia restat, ut de omni virtute sit dictum;
 sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, tempe-
 rantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate,
 ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint, sic de
 10 iustitia iudicandum est, quae non modo numquam nocet cui-
 quam, sed contra semper aliquid** cum sua vi atque natura,

1. *aequo animo* LPMCROR. 2. *intellegitur* om. LPR 4. *illas* om. E
 hos E 6. [sic A¹] 7. *vere* E *temperantiam sap.* MC 10. *numquam*
 om. C 11. *alut quid* [pro *aliquid*] LPM *alut aliquid* C *allicit* Or. (cum
 mendī nota) tum LMCOR *vi sua* LPMCOR *in sua* ER

mere studet. Sed tamen doloris asperitatem consolabatur
 mortis spe; vid. ad § 40. In proximis *optari* apertam habet
optionis significationem.

Cap. XVI, 50. *nec divelli nec distrahi*) Repetita particula
 oratorie Cicero usam notionem dissolvit in duas; cfr. ad § 34.
 Nam (quod Gzii causa dico) utrumque verbum ab ea vi, quae
 corpore fit, transfertur ad rerum non corporearum in vita
 diiunctionem. De iure et iustitia non ex natura ortis, sed in
 conservando hominum pacto quodam tranquillitatis (*τῆς ἀτα-
 ραξίας*) causa positus praecipuus Epicuri locus est in sententia
 tricesima tertia proximisque ad duodequadragesimam (Diog. X,
 150 et 151); cfr. sent. sexta decima (Diog. 144): *Ὁ δίκαιος*
ἰταρακτότατος, ὁ δὲ ἄδικος πλείστης ταραχῆς γέμων. (Cfr.
 Lucr. V, 1151 sq.)

*aliquid** cum*) Notavi lacunam, quam ostendunt meliores
 codices (praeter Erl. etiam Pal. 1, Spir., [B.] tum ex ceteris
 Pal. 3, Eξ, fortasse plures). In deterioribus tentata emendatio,
 ut esset: *alut quid* (in cod. Urs., Pall. plerisque, parte Davi-
 sianorum, Oxx. Uχψ, Gzianis reliquis), inepto verbo et prava
 hoc loco pronominis forma. Ante Gzium edebatur *alut aliquid*. Is
 correctionem Rathii. F. A. Wolfio probatam (in censura Ienensi),
 recepit: *semper allicit*, specie quam re meliorem. Nam allicere
 iustitiam homines ad se, concedebatur ab omnibus; quaere-
 batur, per se ipsane (49) an emolumentis. Itaque perverse
 damno contraria ponitur ipsa illa conciliatio, cum significari
 debeat, qua utilitate alliciat. Accedit, quod coniunctivus *tran-
 quillet*, si quod coniunctio est, rationem non habet. Excidit

quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. *Et* quemadmodum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant turbulentaeque sunt, sic *improbitas si* cuius in mente consedit, hoc ipso, quod 5

1. *futurum* E 2. *nostra* (pro *natura*) C non om. PMCR *desiderat* C Et om. omnes. *quemadm.* *libido temeritas et* L 3 *semper* om. L 5. *improbitas si* om. omnes; *iniustitia cuius* Or cum mendis notis

igitur verbum eiusmodi, ut haec esset forma orationis et sententiae: *aliquid (affert) cum sua vi.* [Sic A pro *vi sua. Affert* iam Th. Bentleio in mentem venerat.] *Cum* pro *tum*, quod edebatur, Gzcius restituit ex „suis omnibus“ (Eξ) [AB].

natura non depravata) inanibus cupiditatibus (§ 43); nam recte iudicanti *εὐσυνπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον τὸ τῶν ἀγαθῶν πέρασ* (Diog. X, 133). Excidit *non* in codd. deterioribus; restituit primus Lamb.; habebant (praeter Erl.), Pal. 1, Scal., Spir. [B.], cod. Urs. (?) In El. 2 erat *natura nondum depravata*, inutili mutatione. *Desideret*, quod paucae veteres editiones habebant (R, Marsus, Lamb. in mg. repet. edit. e „v. c.“), deinde Grut., Dav., Oxx. ediderant, nulla adiecta codd. mentione (nam Gruteri nota ad solam vocem *non* pertinet), in codicibus esse, nunc demum confirmatur; nam Gzcius rettulit *desiderat*, nihilo plus dicens. Coniunctivum postulat oratio obliqua.

Et quemadmodum) Retinui *et*. additum a Lambino, quod necessario haec, quae e contraria parte iniustitiae dicuntur, cum superioribus connectenda fuerunt.

sic improbitas si cuius) In meliorum codicum (Pal. 1, Erl., Spir. [B.], mg. Crat.) scriptura (*sic cuius in mente consedit hoc ipso quod adest turbulenta et si vero*) apparet excidisse subiectum sententiae, tum verbum deesse ad adiectivum *turbulenta*; nam recte abesse posse in tali oratione, Gzcio credendum non est. Ac verbum quidem in *et* latere, quae particula plane non convenit cum *si vero*, vidit iam Gruterus. Subiectum varie addunt, plerique ex Ursini codice, id est, coniectura: *sic iniustitia cuius*, paulo duriore verborum ordine et relativi coniunctione; Lambinus: *sic cuius in mente iniustitia*; in nostra ratione (in quam incidit etiam censor quidam editionis Gzianae) et facilius fit oratio et apparet. librarii oculum aberrasse in litteris *sic*. Sed *improbitas* scripsi potius quam *iniustitia*, quod prudentiae temeritatem, temperantiae libidinem Cicero contrarias posuit, non imprudentiam et intemperantiam, et quod sequitur *improborum facta* et (53) *fugiendam improbitatem*. In eo, quod I. F. Gronovio

adest, turbulenta est; si vero molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, numquam tamen id confidet fore semper

1. *turbulenta et si* [A]E *turbulenta non potest fieri et si* LPMCR
2. *confidet id* LPMCR fore om. C

in mentem venit: *sic cum vis in mente*, prorsus desideratur propria eius, quod iustitiae contrarium est, vitii nota. Deteriorum codicum corrector subiectum putavit *iustitiam*. non animadvertens, quod ne Davisius quidem intellexit, transiri hic ad vitiorum effectum et cum tribus ceteris vitiis comparari quartum. (In El., si Davisio credimus, 2, sed opinor esse 1, scriptum est: *sic cuius in mente consedit iustitia*.) Itaque supplevit: *turbulenta non potest fieri, et si vero cet.* (in Pall. praeter 1, Davisianis, Oxx., Gzianis praeter duos illos), unde Lambinus, cum verum subiectum repperisset, faciebat: *non potest non fieri*, quod prudentibus hominibus, si semel a bonis codicibus aberrarant, probandum erat, probatumque est ab I. F. Gronovio et aliis. Sed tum corrector haerebat in proximis, quae aliud subiectum requirebant. Itaque ibi P. Manutii liber, Par. unus Davisii, El. 2 (?), ed. Ven. 1480 nova interpolatione habent: *etsi vero impietas molita cet.*, quod Dav. probabat. Patet erroris progressio. In vera scriptura omnia optime procedunt: ipsa iniustitiae praesentia turbulenta mens est; si vero etiam suscepit aliquid, multo magis.

id confidet fore occultum) Expressit Cicero Epicuri sententiam tricesimam septimam (Diog. X, 151): *ὄνκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιῶντα ὢν* [Meibomius *παρ' α*, sed mendum videtur esse in participio; fort. *κινῶντα*] *συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν, ὅτι λήσει, κὰν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνη; μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει.* *Id confidet* etiam Spir. [et AB]. Otto Lindemannum sequens (Lectt. Ciceron. Spec. 1, Zwicccaviae 1830, quem libellum non vidi) excursus conscripsit (ad V, 93) de positu pronominis personalis, quod subiecti locum in sententiis infinitis teneret, qui definitur pondere singularum notionum et deinde omnino numeris sententiae. Sed is cum pronominis in sua sententia locum ab hac verbi regentis interpositione non seiungeret, incidit in eum errorem, ut hic quoque singularem id vim adipisci et voce insigniri putaret, quod et hoc loco et infinitis aliis redarguitur, quorum in uno et altero (velut huius libri § 1, Acad. II, 10) mire ille argutatur. Natura quadam Latini sermonis implicantur inter se sententiae; sed et numeris et licentia orationis libere fluentis hoc temperatur. Recte Gzius animadvertit. librariorum interdum pronomen sic transponere, ut sententiae dissolvantur (*confidet*

occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, dein sermo atque fama, tum accusator, tum iudex; multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt. 51. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videntur, deorum tamen horrent, easque ipsas 5 sollicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exe-

1. *morborem* (pro *improb.*) C 2 *deinde* LPMCR^{Or.} *accusatorum* E [*index* A] 3. [*indicaverat* A¹] 4. *sequi* (pro *si qui*) E *satis* om. E *satis cum hominum sibi contra conscientiam* (*scientiam* PR); LPMCR 5. *et* om. E *deos* L 6. *noctes diesque* L *noctes atque dies* Or. *eduntur exeduntur* E

id fore), modo ne levem rem intolerabiliter iactasset et observatiuncula interdum contra sententiam et codices abusus esset.

tum *index*) Pal. 1 *iudex*, ut ediderat Lamb.; sed accusatorem praecedit *index*, sequitur *iudex* et poena; his, quae gradatim fiunt, respondet unum illud: *multi etiam* cet. [*Dein etiam* AB.]

51. *sibi contra hominum conscientiam*) Sic primus Gruterus e Pal. 1; consentit (praeter Erl.) [B et] mg. Crat. et, quod miror. ed. Ven. 1480, si Orellius recte attendit. Cod. Morelii, ut edidit P. Marsus: *satis hominum sibi contra conscientiam*; (idem om. *et muniti*). Quod mei LM, habent Pall. 5, 6, quod P, Pall. 2, 4; utrisque assentiri videntur aliquot Davisii; Pal. 3 et Eξχψ: *satis animi hominum sibi contra conscientiam*, Mead. *satis animi cum hominum sibi contra scientiam*. Gzii „Latinitas“ nihil annotavit nisi „in his varimode transponendis peccare scribarum Latinitatem“. Orta haec e vocabulo *animi* ad *hominum* ascripto, cum, *conscientiae* quae esset, non intellexeretur. Hinc nescio quis primum finxit, quod vulgo ante Gruterum (apud Ascens. 1511 cett.) legebatur: *quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam*. Serpsit deinde ulterius corruptio, ut in aliquot edd. (Ascens., Crat., Man., Lamb.) scriberetur: *deorum tamen numen* (cfr. cod. L).

noctesque diesque) Ita codd., etiam Davisii quinque, Ox. ζ, Gzii omnes. [B tamen *diesque noctesque*.] Quod post Manutios et Lamb. Grut. tacite edidit: *noctes atque dies*, confirmatur, si ea confirmatio est, a CCC et Ball.; Ox. E ut L *noctes diesque*; alterutrum verum videtur; nam id, quod reliqui, poetarum est. Dixit Cicero alibi *noctes diesque* (Act. I in Verr. 52, Verr. V, 112), *noctes et dies* (de Orat. I, 260, Brut. 308, Tusc. V, 70), *et dies et noctes* (ad Att. XII, 46), *dies noctesque* (pro Rosc. Am. 67, 81. Deiot. 38, alibi). [Ex Ennii versu (Cat. init.) vix solas has voces Cicero sumpsit.]

duntur, a dis immortalibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio potest fieri, quanta ad augendas, cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium?
 5 Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est neque honoris neque imperii nec libidinum nec epularum nec reliquarum cupiditatum, quas nulla praeda umquam improbe parta minuit, potiusque inflammat, ut coërcendi magis quam dedocendi esse videantur. 52. Invitat igitur vera ratio bene
 10 sanos ad iustitiam, aequitatem, fidem. Neque homini infanti aut impotenti iniuste facta conducunt, qui nec facile efficere

1. [ad his A¹, a dis A²] 3. fieri potest LPMCROr. tum LMCR
 4. [odique A¹] 5. nec honoris nec C 7. nullas E improbe om E 8. imminit aut nimit E potius om. que [A]E potius atque LPR sed auget potius atque MCOr. potiusque (pro magis quam) L 9. docendi E 11. atque C

ad minuendas vitae molestias accessio) Paulo minus proprie Cicero dixit, ut concinne diceret: quanta ad augendas. (Potest fieri etiam Vict. cod.)

pecuniae — honoris — reliquarum cupiditatum) Non prorsus accurate Cicero coniunxit cupiditates et ea, quae cupiuntur. Sed in huiusmodi inaequalitatem facile incidit libere currens oratio, festinantis praesertim. Durius etiam eidem voci ex aequo adiunguntur, quae ei recte singula, sed contraria ratione adiungi possunt, ut cum pro Balbo 41 Hispani dicuntur agris stipendiisque multati, id est, agris ademptis, stipendiis impositis; [Liv. II, 19, 6: aetate et viribus gravior;] cuiusmodi etiam illud est apud Xenophontem (Memor. I, 5, 1) ἡττων γαστροῦς ἢ οἴνου ἢ ἀφροδισίων (ad abstinendum) ἢ πόνον (ad tolerandum). Ex alia forma, cognatum tamen, infra 72: aut se in musicis, geometria, numeris, astris contereret. Neque enim Cicero dicturus erat conterere se in astris.

minuit, potiusque inflammat) Non potest ferri, quod est in Erl. et Pal. 1[B]; poterat in gravi epiphonemate, inverso ordine: inflammat potius. Sed tamen altera scriptura (Pall. 2, 4 et, ut videtur, Gud. 2, Spir.): minuit potius atque inflammat. non tam verbi omissi indicium habet quam conatum grammaticam orationis formam etiam cum sententiae interitu conservandi: ex correctione ortum est, quod ceteri deteriores (Pall. 3, 6, Oxx., sine dubio etiam Davisii aliquot et Gzii duo reliqui) praebent: sed auget potius atque inflammat. In optimorum igitur scriptura copulativam particulam addidi, adversativa vi post negationem.

52. infanti) In hoc vocabulo incredibiliter nonnulli errarunt,

possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit, et opes vel fortunae vel ingenii liberalitati magis conveniunt, qua qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant et, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem, praesertim cum omnino nulla sit causa peccandi. 53. Quae enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla iniuria; quae autem inanes sunt, iis parendum non est; nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa iniuria detrimenti est quam in iis rebus emolumentum, quae pariuntur iniuria. Itaque ne iustitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam

1. *qui con.* E. 2. *fortuna* E *ingenia* [A]ELPMR 3. [*utantur benevol.* A] 4. *ad beate viv.* L 6. *proficiscantur* PR *iniuria ulla* E 7. *his* [A]EPCROr. [*non om.* A'] 8. [*plusque iniuria ipsa* A] 9. *his* ECR *iniuria par.* MC 10. *quod* (pro *quidem*) E

non videntes, significari, ut aliis Ciceronis locis (vid. lexic.), eum, cui desint eloquentiae tela, quae apud veteres potentissima erant; itaque ex altera parte ponuntur *opes vel fortunae vel ingenii*, id est, ut saepissime, oratorii. *Impotens* insolenter omnino dicitur, qui potentiam et opes non habeat; sed eodem modo Cicero dixit pro Mur. 59 et Sallustius; *impotentia* apud Terentium sic ponitur; tollebatque ambiguitatem ipsa coniunctio cum altera voce negativa. *Vel ingenia* annotatur etiam in mg. Crat. et e cod. Mor. [B]; mendosus igitur cod. archetypus fuit; nam nominativo casu accipi, ut Morelius volebat, neque particula *vel* sinit, quae recte bis ponitur, cum genus in duas species nullo discrimine dividitur, non recte, si tria diversa coniunguntur, et *ingenium* dicendum erat de vi et facultate, nec *fortunae* simpliciter pro divitiis dicuntur. Persequor haec, quia nunc parati sunt omnium mendorum patroni. Poterat haec sententia commode superioribus annecti, aut quomodo Schuetzius scripsit: *Nam neque*, aut ut Gzizus volebat: *Neque enim*; plane necesse non erat. Et tamen facile excidebat *enim*; cfr. ad § 58.

53. *Quae enim cupiditates* cet.) Praeter ea, quae supra ad § 45 et 46 ascripsi, apte Davisius citat Epicuri verba apud Ioannem Stob. Floril. XVII, 35 p. 159 Gesn.: *Ὅν γὰρ ἢ τῆς φύσεως ἢ δὸν ἢ τῆν ἀδικίαν ποιεῖ ἐξωθεν, ἀλλ' ἢ περὶ τὰς κενὰς δόξας ὀρεξίς.*

ulla iniuria) Invertunt ordinem tres Gzii (opinor, Spir., Gud. 2) [B]; om. *ulla* Bas. et ed. Marsi.

diligi et carum esse iucundum est propterea, quia tutiorem vitam et voluptatem pleniorum efficit. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod, cuius
 5 in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere. 54. Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exultat oratio, reperire exitum potest, nisi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem est sola, quae nos vocet ad se et alliciat suapte
 10 natura, non potest esse dubium, quin id sit summum atque extremum bonorum omnium, beateque vivere nihil aliud sit nisi cum voluptate vivere.

XVII. 55. Huic certae stabilique sententiae quae sint coniuncta, explicabo brevi. Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est, in voluptate aut in dolore, sed in iis rebus peccant, cum, e quibus haec efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci

1. carus R et tut. L 2. pleniorum volupt. eff. E volupt. eff. plen. LPMCROR. [eam A'] 3. [et veniunt A] 4. optimus (pro quod cuius) C 6. non LPMR quid (pro quidem) E 8. potest ex. LPMCROR. 9. sola est L sola om. C allic. et voc. ad se L 10. dub. esse L sit om. R 11. nil C 12. [cum om A'] 15. in ante dolore om. L 16. his [A]ELPCROr. ei quibus E

voluptatem pleniorum efficit) Ut Erl., etiam Spir., Gud. 2, [B]; per se alter ordo nihilo deterior, sonantior etiam. [Itaque nunc A secutus sum.]

Cap. XVII, 55. sed in iis rebus) fis debebat definiri adiecto relativo: e quibus haec efficiuntur, vel: effici putant. Deflexit oratio eo genere, de quo ad II, 39 dicitur; itaque in iis rebus est fere in eo. Eo pravius erat his, quoniam alio refertur haec. Duo Gzii iis. [B hijs.]

Animi autem voluptates) Breviter et apte rem complectitur Clemens Alexandrinus II Stromat. p. 179 Syll.: Ὁ δὲ Ἐπίκουρος πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς οἶεται ἐπὶ πρωτοπαθοῦσῃ τῇ σαρκὶ γίνεσθαι. Itaque Plutarchus (Non posse suaviter cet. 4 p. 1088 E) Epicureos inducit μαρτυρομένους καὶ βωῶντας, ὡς ἐπὶ οὐδενὶ ψυχῆ τῶν ὄντων πέφυκε χαίρειν καὶ γαληρίζειν πλὴν ἐπὶ σώματος ἡδοναῖς παρούσαις ἢ προσδοκώμεναις. Alia Epicuri dicta, quae idem magis articulatum significant, commemorabuntur ad II, 7, et Metrodori ad II, 92. Sequebatur hoc necessario e corporea animi natura; verum

fatemur e corporis voluptatibus et doloribus; (itaque concedo, quod modo dicebas, cadere causa, si qui e nostris aliter existimant, quos quidem video esse multos, sed imperitos;) quamquam autem et laetitiam nobis voluptas animi et molestiam dolor afferat, eorum tamen utrumque et or- 5

1. fateatur C ita R 2. cedere causae omnes vestris C 3. quidem om. E 4. et om. E 5. et dolores molestiam dolor E afferet [A]EC afferret LPMR

eadem Epicurum inevitabili implicabat repugnantia, cum propriam quandam et separatam animi voluptatem et laetitiam induceret. (Plutarchus, Non posse svaviter cet. 5 p. 1089 E, Epicureorum exprimens sententiam, τὸ ἡδόμενον in corpore ponit, τὸ χαίρον in animo, nescio, num etiam usum verborum conservans.) Ne expectatio quidem illa futurae voluptatis aut memoria praeteritae (§ 41) qui aut oreretur aut constaret, ratio reddi poterat, nec omnino, qui afficeretur animus, cum omnīs ea. quae nunc conscientia sui dicitur, ipseque sensus in atomis interiret. Rursus Epicurus, cum docuisset omnem animi dolorem e corpore esse, ob hoc ipsum reprehendebat aliorum inanes angores et maerores, quod non essent orti e corpore, non animadvertens, se, cum negaret *dolendum esse* nisi propter corpus (§ 59), concedere, saepe *doleri* alia causa. Non iniuria Plutarchus (Non posse svaviter cet. 5 p. 1089 D) Epicureos ait τὴν εἰς ἡδονὴν εἶς ἀπορίαν ἢ εὐπάθειαν ἄνω καὶ κάτω μεταίρειν ἐκ τοῦ σώματος εἰς τὴν ψυχὴν. εἶτα πάλιν ἐκ ταύτης εἰς ἐκεῖνο, τῷ μὴ στέγειν ἀπορρέουσαν καὶ περιολισθαίνουσαν, ἀναγκαζομένους τῇ ἀρχῇ συνάπτειν.

cadere causa) Codices *cedere causae* (Pall., [B.] Dav., Oxx. EUξ, Gzii praeter duos; hi cum *χ* *cedere causa*). Victorium primum correxisse puto (cfr. II de Inv. 57, ad Fam. VII, 14, 1); nam superiores vetus tenent. [*Modo dicebas*, cfr. § 25.]

si qui existimant) Ern. [ed. Man. 1560] *existiment*. Verum obliquae orationis vis in huiusmodi sententiis, quae a primae personae verbo pendent, facile extingvitur, eaque, quae in parte orationis pendentis esse debebant, absolute ponuntur.

quamquam — afferat) In cod. arch. fuit sine dubio *afferet*, unde deteriores (EUξχ) *afferret* (Gzius: „alii codd. *affert. afferet et afferret*“). Nihilo longius distabat *affert*, quod Marsus habet; sed hic, longius iam progressa orationis obliquae implicatione, minus probabilis indicativus erat. [*Afferat* Aldus primus posuisse videtur.]

tum esse e corpore et ad corpus referri, nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates et dolores animi quam corporis. Nam corpore nihil nisi praesens, et quod adest, sentire possumus, animo autem et
5 praeterita et futura. Ut enim aequae doleamus [animo],

4. *abest* L 5. *animo* sine uncis Or.

nec ob eam causam non cet.) Diog. X, 137: "Ἐπι πρὸς τοὺς Κυρηναίους (διαφέρεται ὁ Ἐπίκουρος)· οἱ μὲν γὰρ χεῖρους τὰς σωματικὰς ἀλγηδόνας τῶν ψυχικῶν κολάζεσθαι γοῦν τοὺς ἀμαρτάνοντας σώματι· ὁ δὲ τὰς ψυχικὰς· τὴν γοῦν σάρκα τὸ παρὸν μόνον χεῖμαίσειν, τὴν δὲ ψυχὴν καὶ τὸ παρελθὸν καὶ τὸ παρὸν καὶ τὸ μέλλον· οὕτως οὖν καὶ μείζονας ἡδονὰς εἶναι τῆς ψυχῆς. Eadem tractat Cicero in Tusc. V, 95 et 96. De usu particularum *nec* — *non* apud Ciceronem et eos, qui eandem consuetudinem sequuntur, in tollenda negatione post Thomasium (ad Turs.) exposuit Buttmanus ad Quintilian. XII, 10, 46; sed res pervagata est. (Cfr. IV, 13.)

praesens, et quod adest) *Adesse* ad locum pertinere annotant hic et ad I de Off. 11 (*ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum*), comparantque Tusc. IV, 14. Sed *praesens* non minus a loco transfertur ad tempus, quod omnia vocabula illinc mutuatur; nec *assum* minus dicitur de tempore; et apparet, prorsus hinc alienam esse loci notionem. Itaque vocibus coniunctis tantum gravius rei tempore praesentis notio signatur (*das unmittelbar gegenwärtige*), ut contra de loco Terentius dixit: *ades praesens* [et ipse Cicero de dom. 39].

Ut enim aequae doleamus [animo]) Notavi vocem suppositivam, quae si retinetur, sententia haec debet esse: Ut enim concedam, tum, cum corpore doleamus, non maiorem esse animi dolorem, potest tamen fieri maior *cet.* Sed haec verba: *ut aequae doleamus* in concedendo non hanc minuendi vim habent, sed contrariam: *ut non minus*, quo evertitur tota sententia; sic enim loquitur, qui ipse animi dolorem aequae magnum esse non iudicans, hoc tamen concedit, sed ita, ut tamen aliquid in corpore accedere possit. Deinde, etsi oritur Epicuri sententia animi dolor e corpore, tamen perinepta est haec temporis significatio: *Ut aequae doleamus animo, cum corpore dolemus*; nam sic contrarium aliud tempus cogitatur: *ac cum non dolemus corpore, quod sensum non habet.* Comparatio haec esse debebat: *atque corpore dolemus* (cum utroque dolemus). Deleta illa voce, omnia recta erunt: Ut enim tum, cum corpore dolemus,

cum corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si aliquid aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur. Quod idem licet transferre in voluptatem, ut ea maior sit, si nihil tale metuamus. 56. Iam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem 5 aut molestiam plus aut ad beatam aut ad miseram vitam afferre momenti quam eorum utrumvis, si aequae diu sit in corpore. Non placet autem, detracta voluptate, aegritudinem statim consequi, nisi in voluptatis locum dolor forte successerit; at contra gaudere nosmet omittendis 10 doloribus, etiamsi voluptas ea, quae sensum moveat, nulla

1. corpore non dol. E 2. aliquid omnes externum E 4. illud quod E 5. [animi maximam A] 6. ad om. E (bis) Post beatam add. vitam L 7. eorum utriusque utrumvis R

non minorem dolorem percipiamus (quam cum animo), ita ut nondum in ipso momento percipiendi praesentis doloris excellat animi dolor, tamen permagna accessio fieri potest cet. [I. Muellerus: *doleamus animo ac cum corp. dol.*, ut *aeque sit non magis*, vix recte.] Gzizus tradit pro enim duos suos codices habere non, ex nota n. scilicet, duos: *aeque non doleamus*. Paulo post *aliquid* etiam „plures scripti“ Gzii et χ ; vid. ad § 18.

56. *Iam illud quidem perspicuum est*) Perbreviter attingitur res obscura, quae nusquam alibi exponitur. Nam cum ante Torquatus singulas animi et corporis voluptates doloresque comparasset, nunc negat, utriusque generis eandem vim esse ad totum statum *εὐδαιμονίας* efficiendum aut minuendum. In quo miror, quid novi discriminis oriri possit praeter gradus illos, quos ante posuit; nam genere non differebat utraque voluptas. Sed Epicurus, quae coniunxerat, rursus divellit et utitur incuriosus communi hominum opinione de animi voluptatis et doloris vi.

Non placet autem cet.) Haec neglegentius exponuntur. Nam quae de sublato medio inter voluptatem et dolorem dicuntur, neque hic cum ceteris cohaerent et posita erant iam § 38, et prave concluditur, hinc intellegi, quanta voluptas sit non dolere; nam Epicurus contra, cum ostendisset, in non dolendo iam esse voluptatem, hinc efficiebat, nihil esse medium. Omnino haec, quae ad notionem voluptatis explicandam pertinent, rectius initio posita essent; sed ne ipse quidem Epicurus curasse videtur, ut certo ordine haec exponerentur. Cum in salēbras inciderat, oriebatur nova sententia.

successerit; eoque intellegi potest, quanta voluptas sit non dolere. 57. Sed ut iis bonis erigimur, quae expectamus, sic laetamur iis, quae recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur; sapientes bona praeterita grata re-
 5 cordatione renovata delectant. Est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac suaviter meminerimus. Sed cum ea, quae praeterierunt, acri animo et attento intuemur, tum

1. *eo intellegi* C non dolere sit LPMCR 2 *dolore* E 4. *renov. grata record.* C 6. *et (prius) om.* E *secula (pro secunda)* E 8. *intento* EOr. *tunc* C *cum* E

sit non dolore) Sic etiam Spir. [B], edideratque iam Gruterus [ex A].

57. *Est autem situm in nobis*) Enarrat Gzius: *A natura habemus*, et repetit Otto. Ergo etiam stulti hoc facient, si ipsa natura id efficit. Cicero in nostra potestate esse significat; vid. pro Arch. 1, Acad. II, 39: *Ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis?* [Hic II, 89, V, 12.] Ostendit, quid ex eo sequatur, quod ante exposuit, si nulli rei assentiamur, nihil fore *in nostra potestate*. Sed cur tam imperitos puto lectores fore, quam editores fuerunt, cum praesertim in lexicis hic ipse locus recte declaretur? Rem ipsam explicat Cicero Tusc. III, 33. Nihil Epicurus subtilius de hac animi nostri potestate disputasse videtur, sed contentus fuisse communi opinione, multum in hac re valere voluntatem, alterum omis- sisse, non omnia eam posse. Quod deinde a Doederlinio poni video et ab Ottone ad hunc locum ascribi, *iucunde* referri ad animum, *suaviter* ad corpus, hoc quidem loco aperte utrumque dicitur de animi voluptate, quae ex memoria oriatur, et multis locis Cicero in voluptate definienda iucundum motum sensus aut corporis dixit; utrumque coniunxit II, 13: *commotionem suavam iucunditatis in corpore*; cfr. de Orat. III, 56. *Iucundus* generalius est, *suavis* magis ad mollem quandam affectum spectat. Saepe viri docti synonyma tali regula distinguunt, ut vocum flexus et in eisdem fines a diversa parte incursiones non animadvertant, cum tali quodam discrimine, quod non ubique appareat.

et attento) „Tres optimi“ Gzii [B] *intento*, ut pro Flacco 26 Cicero dixit: *intentis oculis acerrime contemplari*, et Tusc. IV, 38: *acrem aciem intendere*, quae citat Gzius; contra de Orat. III, 17: *acerrimam atque attentissimam cogitationem*. [Revocavit me A.] Deinde *tum* pro *tunc* (quod post *cum* vitiosum erat) revocavit Gzius e tribus suis, Oxx. Eξχ. [B *cum*.]

fit, ut aegritudo sequatur, si illa mala sint, si bona, laetitia.

XVIII. O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Cum enim certe nihil homini possit melius esse quam vacare omni dolore et molestia 5 perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus, videtisne, quam nihil praetermittatur, quod vitam adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, 10 honeste iusteque vivatur, nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. 58. Neque enim civitas in seditione beata esse potest nec in discordia dominorum domus; quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare par-

1. sequitur L. laetitia si bona [A]PMCROR. 3. At (pro O) C apertam C 6. videtis inquam R 7. quo (pro quod) C quo om. C 8. consequatur C prosequamur E 9. vos om LPR esse ded. volupt. L 12. enim om. E potest esse beata C 13. neque L 14. ipso ER discedens C [discordans A]

si bona, laetitia) Hic ordo cod. Erl. [et B, dissentiente tamen A,] habet inversionem eam in contrariis membris, quam Cicero amat; vid. Beierus ad Off. I, 11; in hoc ipso opere [I, 5, II, 44,] III, 3: ut commoneri satis sit, nihil attineat doceri; ibd. 4: nobis incognitis, usitatis sibi; ibd. 10: ratio nostra consentit, pugnat oratio; V, 28: eligendam Metelli, Reguli reiciendam; de R. P. II, 33: matrem habemus, ignoramus patrem.

Cap. XVIII. [O praeclaram] Novo sumpto exordio Torquatus ostendit, omnia apud Epicurum comparata esse ad beate vivendum, primum ethica, deinde etiam (§ 63) physica.]

Clamat Epicurus) Vid. ad § 42. (Paulo ante Spir. [non B] videtis sine ne.)

58. Neque enim) Necessarium videtur enim in annectenda probatione et exemplo. Abest tamen etiam a Spir. [B] et Gud. 2, [non A].

quo minus) Hoc est, et tanto minus. [Cfr. quo magis III, 4 et 7.] Vix debuerat loco cedere, quod erat de Fato 33: Ita ne praeterita quidem — Apollini nota esse censebat, quo minus futura. Tum Gzius vix credibiliter scribit. codices suos omnes a se ipso habere. Et defendit.

tem ullam liquidae voluptatis et liberae potest. Atqui pugnantis et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. 59. Quod si corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur, 5 quanto magis animi morbis impedi necesse est! Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui exedunt animos conficiuntque curis, hominum non intelligentium, nihil 10 dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti

1. *voluntatis* E *atque* Or. 3. *quiete* C *tranquille* C 4. *vitae* — *morbis* om. E 5. *necesse est* om. M [*necesse potest* A; *necesse* linea prima manu ducta delendum significatur.] 6. [*immanes* A] *immanes* EPM 7 *dominationes* E[A] 8 *memores* E *quae* L *excedunt an.* E *exedunt nos* PR *animos excedunt* MCO. 10 [*adere* pro a dolore A¹, *adore* A²]

Atqui pugnantis — potest) Haesit Bremius in *atqui*; neque enim h. l. quidquam obici aut concludi; itaque malebat *atque*; id ex Spir. [non B] et § posuit Gzjus. Sed aperte concluditur hoc modo: Animus a se dissidens beatus esse non potest; atqui animus pugnantis studiis utens, quod facit, si non honeste sapienterque vivit, non est tranquillus et a se dissidet; ergo animus non honestus non est beatus. Itaque ponitur *atqui*, ut solet. in assumenda ea, quam logici propositionem minorem appellant. Handius in Turs. I p. 523, qui exempla habet, non satis perspicue ipsam vim declarat. Erravit in eodem huius particulae usu Bremius in libro II, 5: *Atqui haec patefactio quasi rerum operatarum — definitio est*; (ergo definitione carere non possumus. Gzjus putat particulam indicare „objectionem cum consecutione refutationemque“). Sed hoc loco Gzjus longius progressus postquam *atque* esse *atque ita* docuit, *potest*, quod sequitur, deleri vult, ut per *atque* continetur praecedentis verbi vis. Itaque haec fit sententia: *et eo minus animus a se ipse dissidens — potest — nihil quieti videre*, id est, cogitur tranquillus esse; neque enim *atque* — *nihil* est: *aut quidquam*. Delevit Schuetzius *potest* nec improbavit Orellius.

59. *immensae et inanes*) *Immanes* etiam Spir. [B], et sic post aliquot superiores (Crat., Vict.) Davisius e Parr. 1, 3. El. utroque, Ball. (Eξ); sed nec τὸν κερῶν significatio recte omittitur (cfr. ad § 53) et nimium ac paene ridiculum est *immensae et immanes*; alius generis in Verrinis *ingens et immanis*. Paulo post *excedunt animos* etiam Spir. [et AB].

dolendum esse animo) Vid. ad § 55. Cum in paucas quas-

futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat; nemo igitur est non miser. 60. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalo, semper impendit; tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Praeterea bona praeterita non me- 5 minerunt, praesentibus non fruuntur; futura modo expectant, quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu; maximeque cruciantur, cum sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriae. Nullas enim consequuntur voluptates, quarum 10

2. *eorum est* (pro *est*) L *eorum* Or 3. *Accedit — numquam potest* citat Nonius p. 324 Merc. *etiam* omittens 4. *impendit* E *tum quia qui* (om. *superstitio*) Non. 9. *pecuniis* E

dam editiones (Crat., Vict.) irrepsisset *omnino*, et in mg. Crat. et e cod. Mor. verum annotatum est.

est non miser) Ex Ursini codice, qui nullus erat, Davisius et Gzcius *eorum* pro *est* asciverunt, ne nimis generalis sententia ipsum sapientem comprehenderet. Sed non difficulter e proximo auditur *stultus*; etsi melius illo modo scriberetur. Mox de Tantali saxo, cuius similitudine Lucretius III, 980 sqq. in deorum timore utitur, vid., si tanti est, Porsonus ad Eurip. Orest. v. 5.

60. *et angore et metu*) Quoniam haec repetita particula distinguuntur, angor ad praesentis status taedium pertinere videtur.

quarum potiendi spe) Incertum est, utrum Cicero *quarum* a verbo regi voluerit an utrumque ad substantivum referri. Nam *potiri* cum genetivo extra notissimam formulam (*p. rerum*) dixit etiam I ad Fam. 7, 5 (aliud est enim longe, de Lentulo imperatore, *regni illius potiri*, aliud *regni potiri*, id est, regem fieri) et de Off. III, 113 (*potiri castrorum*). Si tamen a substantivo, quo magis inclino, usus est Cicero, ut V, 19 (*eorum, quae secundum naturam sunt. adipiscendi causa*), noto schemate, cuius exempla collegerunt Ruddimannus II p. 245, Ramshornius p. 650. Kritzius ad Sallustii Catil. 31, rationem Stallbaumius et Kritzius minus recte explicaverunt. Primum etiam nunc ad hanc figuram referunt illa *sui purgandi causa* (de pluribus) et similia. nec attendunt, numquam quemquam dixisse *sui purgandorum*, quod *mei, tui, sui, nostri, vestri* genetivi sunt singularis

potiendi spe inflammati multos labores magnosque susceperant. 61. Ecce autem alii minuti et angusti, aut omnia

2. *Ecce — monstrosi* citat Non. p. 345. *mali* (pro *alii*) Non. *inimici* (pro *minuti*) E *ut* (pro *aut*) E *et* Non.

numeri neutri generis, de quo ipse Kritzius alibi disputavit. [Vid. Gr. Lat. § 297 b et § 417] Deinde putant substantivum prius, quod regens appellamus, et gerundium in unam notionem conflare, hinc alterum genitivum pendere. Atque in hac explicatione ad singulos locos accomodanda adeo non difficiles sunt, ut etiam ad illa omnia, de quibus dixi, in quibus numquam aliter Latini loquuntur, eam aptam crediderint. Sunt pauca quaedam eiusmodi exempla in Ciceronis scriptis, quae posui in Emendatt. Ciceronianis p. 197 (Acad. II, 128, de Orat. III, 156) et alius comparatione declaravi (de Orat. III, 111: *res eandem habet naturam ambigendi*); addi potest pro Caelio 62, [nec abhorret, quod apud Varr. L. L. V p. 5 Bip. scribitur: *quorum (verborum) quattuor explanandi gradus*]. Sed longe plurimi loci vehementer repugnant, ut, si quis illam rationem sequi velit. dicere debeat (quod in multis sane dicendum est, in quibus frustra laborant grammatici, ut in singulis locis primariam significationem ostendant), illam fuisse huius constructionis originem, sed deinde eam, obscurata origine, ibi quoque positam esse, ubi sic concipi notio non posset. Quid est enim absurdius quam apud Plautum in Capt. IV, 2. 72 (*Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia*), in illo praesertim verborum ordine, *nominandi copiam* una notione complecti (at quam inepta ac non naturali!) aut apud Ciceronem in Philipp. V, 6 coniungere *facultatem condonandi*, ut tum adiungatur *agrorum*? Nam *agros condonare* naturalem habet notionem et definitam, *facultas condonandi* nullam. Sed considerent verborum ordinem et quae inter ea verba, quae coniungunt, interiecta sunt; de artificio desistent (*facultas detur opprimendae rei publicae, caedis faciendae bonorum, urbis diripiendae*[?], *agrorum suis latronibus condonandi*). Hoc igitur modo potius iudicandum est: In loquendo Latini utroque trahebantur, ut et gerundium tenerent ac verbi notionem primariam facerent (*facultas condonandi agros*) et substantivum substantive coniungerent subiecto gerundivo (*facultas agrorum condonandorum*). Antiquo igitur tempore oratio interdundum, vitans etiam occulte molestiam terminationis longioris et insvavioris repetendae, in medio substituit, ut diceretur *facultas agrorum condonandi*. Illud addo, quod hanc expli-

semper desperantes aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi,

1. aut invidi R lucifugi difficiles L difficile est Non.

cationem valde confirmat, neminem [saltem si Plautum (Capt. V, 4, 11) et Ennium excipias] sic dixisse nisi in plurali, numquam terrae (urbis) condonandi. [Nam quod Tuse. V, 70 in codicibus est *studium illius aeternitatis imitandi*, quis putet Ciceronem uno loco sic scripsisse, infinitis contra, hoc praesertim ordine: *aeternitatis imitandi*? Videtur Cicero reliquisse *illius aeterni statum imitandi*. Quod apud Gellium VII (VI), 14, 4 Hertzius edidit, nulla sententia: *non sane dignum esse imponendi poenae studium visum est, scribi debet: non sane dignum esse imponendi poenas studio visum est.*] De pronomibus possessivis, quae pro personalibus habentur, dixi. quorum ratio falsa analogiae specie, quae multa in lingvis gignit, cum *mei* putaretur esse ab *ego*, traducta videtur ad *eius* in Terentii Hec. III, 3, 12; nam in Phorm. I, 3, 24 *eius* refertur ad *amorem*; alibi *eius videndae* dicitur, ut Phorm. V, 4, 7 *spes huiusce habendae*, et V. 6, 40. ubi prave Bentleius *habendi*. E contrario nescio, an Ovidius Epist. XI, 106, ut erat novator, dixerit in femina: *Amissae memores sed tamen este mei*, ut est in optimis codicibus. Nulla huius generis exempla post Ciceronem reperiuntur, nisi apud Gellium (IV, 15, 1, V, 10, 5, XVI, 8, 3) et Frontonem antiquarios; est enim ex iis, quae postea obsoleverunt. [Nam in Svetonii Aug. 98 aliud in codicibus latere iam Oudendorpius viderat; de Livii XXIV, 23, 1 dici nihil opus est. In cod. Iustin. V, 37, 22 § 5 is est usus, quem supra declaravi, ut *ipsius pecuniae* (hoc est, in ipsa pecunia) commemoretur *fenerandi usus*. Nihil neglexi ex iis, quae Klotzius habet, Krit. Nachtr. zu Ciceros Tusculanen, p. 195. Parum recte haec tractavit Corssenius Beiträge zur lat. Formenlehre p. 131.]

61. *minuti et angusti* *Μικροψύχους* Cicero ita dixit, cum proprium nomen Latinum non haberet; *minutum animum* in exemplo licentioris translationis ponit III de Orat. 169; *angustum* quoque animum alibi dixit, non hominem; nec tamen ideo as-sentiendum Gulielmo ex *aut* facienti *animi*. Contra Davisium, qui a Nonio *et* sumi volebat, quod iidem essent angusti illi et desperantes, recte Matthiaeus duo genera minuti animi notari docet, alterum positum in timiditate quadam et desperatione, alterum in invidia et morum difficultate. *Lucifugi* Lucretiano adiectivo appellantur. Quod sequitur *monstriosi*, tenui propter auctoritatem; sed hunc locum in iis numero, in quibus iam Nonius corrupto codice usus est (vid. ex hoc opere IV, 60,

maledici, monstrosi, alii autem etiam amatoriiis levitatibus dediti, alii petulantes, alii audaces, protervi, iidem intempe-

1. *monstruosi* Non. *etiam alii autem* R *alii etiam* I. 2. *alii appetendo omnia petulantes* C [idem A] *id est* PR

V, 86). Nam neque *monstrosi* homines moribus et vitae genere abhorrentes dici posse videntur, et, si sic diceretur, summa perversitas totius naturae indicaretur, non unum quoddam vitium cotidianum; neque a comico haec sumpta esse, quod Orellius suspicatur, ullum est indicium. Itaque cum multis aliis probo Lambini coniecturam *morosi*, quae vox aptissime cum ceteris coniungitur. Nam maledicentia et morositas in nimio reprehendendi studio sunt, difficultas et lucis fuga in vitae communis insvavitate.

alii autem etiam) Non ita raro in hac partitione voci *alii* altero loco additur *autem*, ut IV, 28 et pro Plancio 15, similiterque post *partim* I N. D. 66 (qui locus ex optimorum codd. iudiciis sic scribendus est: *alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata forma, hamata quaedam et quasi adunca; pro forma hamata in illis est foramata, firmata; corpuscula ἀγυστροειδῆ significantur*). Sed Gzius „sine probato exemplo ullo“ concurrere putat *autem* et *etiam*; itaque *autem* delet; addit *alia*, quae refutari non debent. Repugnat Handius Turs. I p. 586; rara tamen reperiri exempla putat. Cur non concurrant, cum in contrariis et transitu etiam gradatio aliqua sit? ut hoc loco; aliquanto enim peiores sunt ad turbendam animi tranquillitatem amatoriae levitates. Itaque praeter huius libri 16 et II, 113 in uno libro quinto tria sunt exempla, § 35: *Est autem etiam actio quaedam corporis* (ut ex optimis codd. restituam) et 55: *Sunt autem etiam clariora indicia naturae* (ubi ipse Gzius ex optimis codicibus revocavit impudenterque ascripsit: „Sed supra vidimus, *etiam* in transitione pro *adeo* post *autem* addi, atque tertio loco positum ubique a scribis sollicitari“) et 63: *Cum autem etiam exitus ab utroque datur regi* cet.

alii petulantes, alii audaces, protervi) Mihi, ut aliis, non satis perspicuum est, quomodo haec, quae sub genus amatoriarum levitatum cadunt, in species distribuantur. Sed tamen puto, primum partite *petulantes* dici, qui verecundia aliorum non cohibeantur, *audaces*, qui amoris causa pericula non vitent, tum communiter *protervos*, sine pudore et pudicitia; nam coniungi protervos cum audacibus, ut contrarii sint petulantibus, neque membrorum aequalitas neque proxima cognatio petulantium et protervorum sinit. Hi igitur simul (*idem*) et

rantes et ignavi, numquam in sententia permanentes, quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientium non beatus. Multoque hoc melius nos veriusque quam Stoici. Illi enim negant esse bonum quidquam nisi nescio 5 quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido quam splendido nomine; virtutem autem nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

XIX. 62. Sed possunt haec quadam ratione dici non modo 10 non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur: finitas

3. nec st. C quisque E sapientum [A]LR 4. verius nos meliusque L que (post verius) cm. E 5. neg. en. E bon. quidq. esse LPLCROR. 9. se ipsam C 12. beatus om. PR

intemperantes atque, dum cupiditatibus obsequuntur, ad agendum prompti, et ignavi, a vera industria et fortitudine remoti sunt. *Id est pro iidem* etiam Parr. 1, 3 Dav.

Igitur neque stultorum) Exempla Ciceroniana vocis *igitur* initio sententiae positae in aperta et simplici conclusione, ubi nulla alia vox una praecipuam dignitatem haberet, collegit Boetticher in Lexico Taciteo p. 237, cum de eo ab ipsis Ciceronis editoribus dubitatum esset ob Quintiliani auctoritatem (I, 5, 39) aut saltem, ut a Bremio, condiciones particulae sic ponendae non satis verae scriptae. De ipso Quintiliano cfr. nunc Bonnellus. Tum usque ad Gzium fere editum *sapientum*; alteram formam hic revocavit e quattuor suis codd., [et sic A quoque § 70]. Paulo post *illi negant enim* (etiam Gud. 2), quod Gzium probabat. ordinem habet prosae orationis scriptoribus non usitatum (vid. Hand. Turs. II p. 399). [In ordine proximorum verborum nunc secutus sum A. Erl., B; antea posueram *esse quidq. bonum* tamquam ex Erl.] (Crat. habet: *esse bonum quidquam esse.*)

virtutem nixam hoc honesto) Quid hoc et aliis locis intersit inter τὴν ἀρετὴν et τὸ καλόν. brevissime significaro, si nostrorum philosophorum verbis utens alteram subiectivam notionis partem dixero esse, alteram obiectivam. Deinde *solidum nomen* aequalitatis causa, ut contrarium esset *splendido*, Cicero insolentius dixit pro eo, cui subesset res solida.

Cap. XIX. 62. *Sic enim ab Epicuro* (cet.) Insitum erat hoc veteri philosophiae, certe post Aristotelem, qui hanc rem

habet cupiditates; negligit mortem; de dis immortalibus sine ullo metu vera sentit; non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate. Neque enim tempus est ullum, quo non plus voluptatum
 5 habeat quam dolorum. Nam et praeterita grate meminit et praesentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea quamque iucunda, neque pendet ex futuris, sed expectat illa, fruitur praesentibus, ab iisque vitiis, quae paulo ante collegi, abest plurimum, et cum stultorum vitam cum
 10 sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autem, si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur.

1. nec legit E[A¹] [diis A] 2. vere C 3. iis M 4 plus habeat vol. LPCMROr. 6. sint in ea E[A² sit in ea A¹] ea sint L 7. quamquam E 8. ab iis v. E

non constantissime tractarat (Ethic. ad Nicom. I c. 8-10), philosophia non solum beatam vitam peti (V, 86), sed effici debere (cfr. ad § 42). Ipse Epicurus definebat τὴν φιλοσοφίαν ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαιμονοβίον περιποιούσαν. Sext. Emp. adv. Mathem. XI, 169. (Sceptici etiam gloriabantur, τῆς σκέψεως εἶναι τὸν εὐδαιμόνα βίον περιποιεῖν. ibd. 140.) Itaque etiam Epicurus, Stoicis non cedens, sapientem inducit beatum, καὶν στρεβλωθῆ (Diog. Laërt. X, 118), idque qua ratione consequatur, dicit in epist. ad Menoec. iis verbis, quae ad § 40 ascripti, post quae haec addit (§ 135): Ταῦτα οὖν καὶ τὰ τοῦτοις συγγενῆ μελέτα διὰ παντὸς ἡμέρας καὶ νυκτὸς πρὸς σεαυτὸν καὶ πρὸς τὸν ὅμοιον σεαυτῶ, καὶ οὐδέποτε οὐθ' ὕπαρ οὐτ' ὄναρ διαταραχθήσῃ, ζῆσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Tantum liberae mentis agitationi tribuebat, prorsus initia disciplinae suae deserens. Duplicem tamen εὐδαιμονίαν ponebat, certe interdum, τὴν τε ἀκροτάτην, οἷα ἐστὶ περὶ τὸν θεόν, ἐπίτασιν οὐκ ἔχουσαν, καὶ τὴν προσθήμην καὶ ἀφαίρεσιν ἡδονῶν. (Audiendum ἔχουσαν, nisi mendum subest.) Diog. Laërt. X, 121. [Cfr. ad II, 86.]

neglegit mortem cet.) De his omnibus dictum est ad § 40 et de morte subeunda ad § 49.

Neque enim tempus est ullum cet.) Cfr. II, 95 et V, 93. Graeca verba prorsus eiusdem sententiae non repperi; sed ex universo sententiae tenore hoc sequitur; et simillimum est, quod de intervallis doloris mox dicit (πλευράζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἤπερ τὸ ἀλγοῦν); vid. ad 40.

quod angatur) Ernestius, cum in mentem ei venisset quo,

63. Optime vero Epicurus, quod exiguam dixit fortunam intervenire sapienti, maximasque ab eo et gravissimas res consilio ipsius et ratione administrari, neque maiorem voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse, quam

1. dicit LPMCROR. 2. et ab eo gr. C 3. nec C 4. aetatis om. E

recte se revocavit; nam usus ille accusativi, de quo dixi ad § 14, facillime ad huiusmodi verbum passivum (*angi*) transfertur, cum hinc etiam pro coniunctione dicatur: *esse, quod quis faciat aliquid*. [Sen. Const. Sap. 2, 1: *quod movereris*.]

63. *Optime vero Epicurus*) Gud. 2, Bas., Oxx. Εξ *optime autem*; utramque particulam Gzizus tolli iubebat. In hoc transitu ad novam et magni momenti partem disputationis necessarium est *vero*, quod si abesset, videretur Cicero disputationem aliquam ab alio initio ductam confirmare addita Epicuri auctoritate. Sententia Epicuri quinta decima est, apud Diog. Laërt. X, 144: Βραχεία σοφῶ τύχη παρεμπίπτει, τὰ δὲ μέγιστα καὶ κριώτατα ὁ λογισμὸς διώκηκε καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον τοῦ βίου διοικεῖ καὶ διοικήσει, repetita in Ioannis Stob. Ecl. Eth. p. 355 Heer, expressa brevius Tusc. V, 26, quam plures veterum attingunt. [In *dicit* pro *dicit* ponendo parvi coniunctis AB Erl., etsi praesenti convenit *percipiatur* et *videamus* et in contrariam fere partem Cicero in philosophorum commemoratione a praesenti ad praeteritum transire solet, de quo dicitur ad III, 67. Cfr. IV, 56: *faterique coepit — habeat et V, 20.*]

maximasque ab eo — consilio ipsius) Voces *ab eo* non erant in cod. Mor. et El. 1, tollique Morelius et Davisius voluerunt [notavit uncis Baiterus], quod in Graecis non essent; Dav. etiam *ipsius*. Mutavit Cicero activam sententiae formam et ad ipsum sapientem rettulit, quod sapientis λογισμῶ tributum erat. Cum posuisset *ab eo*, non poterat tamen *ipsius* omittere, ne *consilio et ratione* esset *prudenter, non temere*. Poterat suo scribi, opus non erat.

neque maiorem voluptatem cet.) Cfr. II, 87 sqq. Epicuri sententia est undevicesima apud Diog. X, 145: Ὁ ἀπειρος χρόνος ἴσῃν ἔχει τὴν ἡδονὴν καὶ ὁ πεπερασμένος, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ. Verebatur, ne alioqui mors timeretur; itaque in sententia vicesima prima dicit: Ἡ διάνοια τοῦ τῆς σαρκὸς τέλους καὶ πέρατος λαβούσα τὸν ἐπιλογισμὸν καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ αἰῶνος φόβους ἐκλύσασα, τὸν παντελῆ βίον παρεσκεύασε καὶ οὐδὲν ἔτι τοῦ ἀπείρου χρόνον προσεδέηθημεν (fort. προσδεῆ ἡμῖν), ἀλλ' οὐτ' ἐφυγε τὴν ἡδονὴν οὐθ', ἤνικα τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν τὰ πράγματα παρεσκευάζεν, ὡς (male

ex hoc percipiatur, quod videamus esse finitum. In dialectica autem vestra nullam existimavit esse nec ad melius vivendum nec ad commodius disserendum vim. In physicis plurimum posuit. Ea scientia et verborum vis et natura

1. *extra hoc R* 2. *nostra E nullam viam LMCR nullam vim POr. existimat L existimant MC neque — neque E* 3. *viam [A]E om. ceteri, Or. In phys. quod cum plurimum possit [possint PRC] LPMCR*

contra edit. I, cod. Arundel., interpretationem Ambrosii scribitur *ἀλλ' ὡς* nulla sententia) *ἐλλείπονσά τι τοῦ ἀρίστου βίου κατέστρεψεν* (non ita moritur mens tamquam fraudata parte aliqua vitae certis terminis non definitae; contenta est eo, quod habuit). [Scribi debet *τοῦ ἀρίστου βίου*, tamquam non plane consecuta optimam vitam.]

In dialectica autem vestra) quam vos Academici cum Stoicis maxime excoluistis; vid. ad 22. [Tum *viam* priore loco *Εξψ* (et sine dubio fere ceteri deteriores), altero praeter A et Erl. etiam Spir. (B), quibus de positu vocis parendum erat. Sed ars viam monstrat; *in arte esse viam ad melius vivendum* nemo dixit. Itaque tenui nunc quoque veterem Aldi emendationem, quam secuti ceteri sunt, Gruterus et Davisius de codd. tacentes.]

In physicis plurimum posuit. Ea scientia) Sic etiam Pal. I. Spir., [B.] mg. Crat., codd. Mor. et Vict., id est, summo consensu meliores; recepit Gruterus. (Victorius: *quidem plurimum posuit; ea scientia*.) Deteriores aliorum ut nostri primum inter *physicis* et *plurimum* interponunt *quod cum* (Par. 2, Mead., U) aut *quod (quid) tamen* (Eξψ) aut *quodcumque* (χ) aut similia. deinde pro *posuit* habent *possit* (Eξψ) aut *possint* (Uχ. Mead.) aut *prosit* (Par. 2; Grut. et Gzius de suis non distincte dixerunt, sed eadem in iis esse significant; Davisius de CCC et Ball. paulo aliter quam Oxx. de ξψ). *Possit ex posuit* ortum (cfr. Erl. I. 45) fortasse coniunctiones illas genuit. Frustra Camerarius efficiebat: *quidem quam plurimum posuit*; nihil, quod hic agat, *quidem* habet; *multum, plurimum* in aliqua re ponitur (Acad. II, 92, ad Att. II, 23, 4), non *quam plurimum*, quasi de potestate agatur. Ceterum Cicero haec mire scripsit et parum recte; nam in physicis verborum vim ceteraque. quae dicit, Epicurus non tractabat. (Contra Davisium, qui *ea scientia* ad *dialecticam* referri putabat, neque orationis cursum neque pronomen. quod ad proxima adhaeret, curans, non est dicendum, cum praesertim efficiat, ut Torquatus eius artis, quam ipse Epicurus reiecerisset, ostendat utilitatem.) Nam quod Epicurei τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συνέτακτον (Diog. X, 30), id est, proximo loco tamquam accessionem adiungebant (Senec. Epist.

orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspicere; omnium autem rerum natura cognita levamur

89, 11) non continuo, quae ἐν τῷ κανονικῷ tradebantur, ea in physicis tradi dici poterant; ipse Diogenes Laërt.: διακρίεται τοῖνυν, inquit, εἰς τρία, τό τε κανονικόν καὶ φυσικόν καὶ ἠθικόν. Et praeterea τὸ κανονικόν illud adiungitur a Cicerone postea his verbis: *servata illa, quae quasi delapsa cet.* Tum in canonico de sensuum iudicio disputabatur (περὶ ἐναργῶν καὶ ἀδύλων καὶ τῶν τούτοις ἀκολούθων, Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 22); de natura orationis consequentiumque et repugnantium ibi expositum non puto, quae omnino Epicurus non explicabat. Nec huc pertinet, ut Orellius putat, quod in physicis, ut aliarum rerum, sic sermonis origo tractabatur (Epicur. epist. ad Herod. apud Diog. X, 75, Lucret. V, 1028); alia est enim eius natura, quae ad logicam et dialecticam spectat (de affirmando et negando generaliter et de singulis, quaeque similia a Stoicis diligenter exquirebantur). Accedit, quod paulo post, ubi ἀνακεφαλαίωσις fit (*Sic e physicis cet.*), nihil de hac physico-rum laude dicit, sed a fortitudine incipit, quae respondet his proximis: *omnium autem rerum natura cet.* Itaque non iniuria superiores interpretes nonnulli offenderant, quos Gzizus parum acute et intellegenter refellit. Sed omnem corrigendi conatum reprimit primum orationis apta forma et scripturae constantia, tum magis illud, quod nullis machinis effici potest, ut id Cicero dixerit, quod verum erat, haec Epicurum non tractasse, quod iis se facile carere posse putaret. Et incidit etiam, qui corrigere volent, his ad dialecticam translatis, in eandem perversitatem, quam in Davisio notavi, ut laudetur necessariaque ostendatur dialectica. Itaque Th. Bentleius, cum Lambinus transponendo, mutando, addendo, delendo nihil profecisset, forti remedio haec omnia verba: *ea scientia — perspicere* tollebat; oblitus tamen est simul pro *autem* reponere *enim*. [Corrigendi una esset via haec: *posuit. Nam sine illa* (vel: *N. sine dialecticae scientia et — perspicere; omnium cet.*] Quid ergo est? Cicero deceptus illa συντάξει τοῦ φυσικοῦ καὶ τοῦ κανονικοῦ physicae ampliores dedit fines, quam debuit, nec solum τὸ κανονικόν ei subiecit, sed nonnihil e Stoicorum dialecticis. Postremo quod Gzizus dialecticam tantum *artem* esse ait, non *scientiam*, ut physicam, ignoravit Ciceronis interpres, ne physicam quidem aut ullam aliam illo modo, ut ipsa disciplina (*eine Wissenschaft*) intellegatur, Latine scientiam appellari, sed in physico esse physicae scientiam (*Wissen*), in dialectico dialecticae. Itaque dialectica continet et homini affert *perspicendi, quid in quaque*

superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignorantia rerum, e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines; denique etiam morati melius erimus, cum didicerimus, quid natura desideret. Tum vero, si stabilem
 5 scientiam rerum tenebinus, servata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum diriguntur, numquam ullius oratione victi sententia desistemus. 64. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum iudicia defen-

2. *ipsae* L *ipse* PCR 4. *quae* LPMCROR. 5. *sententiam* (pro *scientiam*) E 7. *diriguntur* E *illius* E *ratione* EC

re sit, scientiam (II, 18), et ipsa, quatenus in homine est, dicitur *disserendi ratio et scientia* (Tusc. V, 72).

lecatur superstitione cet.) Semper Epicurus physica sua sic laudat, non ut cognitioni ipsi et meditationi quidquam tribuat per se, sed ut miseram illam consolationem extollat, qua si non egeret, libenter physica non minus quam dialectica aliis relinqueret. Sententia est decima (Diog. X, 142): *Εἰ μὴδὲν ἡμᾶς αἱ περὶ τῶν μετεώρων ὑποψία ἠρώχλων καὶ αἱ περὶ θανάτου, μὴ ποτε πρὸς ἡμᾶς εἴη, ἔτι τ' ἠδυνάμεθα νοεῖν τοὺς ὄρους τῶν ἀλγηδόνων καὶ ἐπιθυμιῶν, οὐκ ἂν προσεδέομεθα φυσιολογίας.* (Extrema, quae fere ex Gassendii emendatione posui, apud Ciceronem his verbis exprimuntur: *Denique etiam* cet. Omittuntur apud Plutarchum, Non posse svaviter cet. 8 p. 1092 B.) Eiusdem argumenti proxima: *Οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λυεῖν ὑπερ τῶν κριωτάτων μὴ κατειδόμενα, τίς ἢ τοῦ σύμπαντος φύσις, ἀλλ' ὑποπτευόμενον τι τῶν κατὰ τοὺς μύθους* (sententia debet esse: si quis tantum fabulas suspitione sequeretur; [sed inauditum est *ὑποπτεύεσθαι* significatione activa; scrib. videtur: *ἀλλ' ὑποπτευόμενον ἢ τι — μύθους*]). ὥστε οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀερεΐας τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν.

quid natura) Sic etiam cod. Vict. [et AB], de ceteris tacetur; melius sic notio generis et gradus exprimitur.

delapsa de caelo est — regula) *Τὸν κατόνα* dicit, constitutionem veri et falsi; vid. ad 22. Caeleste Epicuri de regula et iudicio volumen Velleius appellat I N. D. 43 (*διοπετής*). [Pro *diriguntur* Lamb. *dirigantur*, non necessario.]

ullius oratione) *Ratione* etiam [B et] χ et vett. edd. Itaque in mg. Crat. et e cod. Vict. annotatur *oratione*.

64. *sensuum iudicia*) Pugnandum erat enim contra geometras, astronomos, ceteros; vid. ad 20.

dere. Quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus; qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi. Quos qui tollunt et nihil posse percipi dicunt, ii, remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Prae- 5 terea, sublata cognitione et scientia, tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum. Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem et constantia contra metum religionis et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata, et moderatio, natura cupiditatum generi- 10

3. et recipi [A¹]EMCR 4. percipi posse E [ire motis A¹ hi remotis A²] 5. quod exp. E dixerunt R 7. et om. E a phys. E 9. occultarum om. EL 10. vera (pro natura) M

Quidquid porro animo cernimus) Movetur enim animus imaginum incursione (vid. 21); qua ratione, explicat Lucretius IV, 722 sqq. Diog. X, 32: Πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται, et paulo post: καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γέγονασι κατὰ τε περίπτωσιν καὶ ἀναλογίαν καὶ σύνθεσιν, συμβαλλομένον τι καὶ τοῦ λογισμοῦ. Sed hic λογισμός unde esset et qui animus sentiret se pelli. non quaerebatur. Omnes sensus, in quo haerebat Ernestius, non quinque illi intelleguntur, sed, ut Bremius intellexit, omnes sensuum actus (sensationes barbare appellamus). ut Acad. I, 40 et 41, de N. D. I, 70, al. Deinde pingvius aliquanto Torquatus tolli sensus ab Academicis dicit; neque enim sensus tollebant, sed eorum iudicium, quod tam falsi quam veri esse nec, quales essent, distingvi posset. Hoc Bremius animadverso. non necessario tamen et minus recte, corrigebat: quod qui tollunt; neque enim quod recte refertur ad solos infinitivos cognosci et percipi. Erat tamen quod in Vict. cod. (Remoti sensus recte dicuntur, a disputatione et veri quaestione.)

omnium rerum occultarum) in terra, aëre, caelo cett., qualia explicat Lucretius in quinto et sexto libro; supra: non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa cet. Dixi propter stultissimam Gzii annotationem, quam post Beieri (ad Off. I, 13) admonitionem. si admonitione opus erat, repetiit Otto, et inde natam Orellii coniecturam. Excidit occultarum etiam in [B et] Gud. 2 (Erl. Gzii non nominat); non potest abesse nec potuit addi.

et moderatio, natura cupiditatum cet.) Non potest hoc, ut enarratur, positum esse pro eo, quod est moderatio cupiditatum, natura earum; sed moderatio, audito etiam ex superioribus animi, per se dicitur, quemadmodum, nullo addito, Tusc. III, 16. Maluit hoc Cicerō quam temperantiam dicere, quod sedatio praecedebat.

busque earum explicatis, et, ut modo docui, cognitionis regula et iudicio ab eodem illo constituto, veri a falso distinctio traditur.

XX. 65. Restat locus huic disputationi vel maxime
5 necessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit

1. eorum E docuimus E 2. eadem illa omnes [A²], Or. [ea dein illa A¹] 4. vel transp. ante huic C [disputationibus maxime A¹] 5. bon. sit M

et, ut modo docui, cet.) Mendum, quod hic latebat, non dubitavi tollere. In vulgata scriptura, si *regula* nominativus est (nec potest non esse), divelluntur *regula* et *iudicium*, quae coniunctissima sunt et eadem duplici nomine (*de regula et iudicio* I N. D. 43), coniungiturque *regula*, quae ab Epicuro instrumenti loco data est, cum effectu, distinctione veri et falsi. Deinde *iudicium ab regula* constitutum dicitur, quod et re et orationis forma perversissimum est; singula iudicia *regula* illa reguntur; tum, quod apertissimum est, ab *eadem illa* sic dicitur, tamquam aliud aliquid ab eadem ante constitutum sit: neque enim a Latinis umquam, quod nunc fit saepe a male scribentibus, *idem* pro eo, quod est *is*, ponitur. Ablativus autem *regula* esse nequit; nam si ad *regulam et iudicium* coniunctim refertur *constituito*. ad utrumque etiam pertinebit necessario *ab eadem illa*; quae igitur haec tertia erit? Sed ut fingamus sic haec intellegi posse: *regula constituta, et ab eadem iudicio constituito*, cetera, quae in nominativo erant, incommoda manent, iudicium a *regula* tamquam subsequens divulgum et *ab ea* constitutum, tum pronomen *eadem* prave positum. Haec qui consideraverit, non negabit Ciceronem scripsisse: *et, ut modo docui, cognitionis regula et iudicio ab eodem illo* (qui *physica* docuit, Epicuro) *constituito, veri a falso distinctio traditur*. Sic etiam illud patet, haec per se de canonicae partis utilitate adiungi, neque ex illis *e physicis* dure ad *traditur* repetendum esse in *physicis*, cum praesertim rei veritas, ut supra dixi, repugnet. Apparet etiam, cur de Epicuro, qui non proxime nominatus esset, additum sit *illo*. Notarat hunc locum prudentis iudicii homo, F. V. Reizius, in exemplo suo, quo Gzins usus est. [O. Heinus *ab eadem illa* sic ad *e physicis* referri vult, ut Cicero neglegenter transierit ad *physicae* notionem; sed neque loci, quos comparat, ne huius quidem operis II, 35, huic similes sunt formae: *e physicis — et ab eadem illa*, neque a *physica* constitutum cognitionis *regulam* Epicurus docebat.]

Cap. XX, 65. *Epicurus ita dicit*) in sententia duodetricesima, Diog. X, 148: Ὡν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺν μέγιστον ἐστὶν ἢ τῆς φιλίας κτήσις.

bonum, affirmatis nullam omnino fore; de qua Epicurus quidem ita dicit, omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius. Nec vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit. Quod 5 quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant, in quibus tam multis tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo. et ea quidem angusta, quam magnos quantaque amoris con- 10 spiratione consentientes tenuit amicorum greges! quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus; de hominibus dici non necesse est. 63. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum. Alii, cum eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se 15

1. omnino nullam C 4. [iucundus A] neque vero LPMCROR. hos [A']E solum om. L 5. et factis om. C factisque L comprobatur E quamquam (pro quod quam) E 7. tam variis E. 8. [reperiuntur A] 12. omnibus LPMCR 13 ergo E 14. a nostris esse E esse om. C 15. pertinent L

et factis) Excidit hoc etiam in Ox. χ et quibusdam vett. edd. Igitur e cod. Vict. annotatur. De re cfr. Diogenes X, 9 sqq.

tria vix amicorum paria) Lael. 15: *Ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum*; tertium illud praeter Theseum et Pirithoum et Orestem atque Pyladem est Achilles atque Patrocli; vid. Plut. de Amic. Multitud. 2 p. 93 E, Lucian. Toxar. 10. [De ut vid. ad II, 71.]

una in domo) Horti sunt Epicuri, quos testamento discipulis reliquit, quique ne abalienarentur, Ciceronis tempore Phaedrus et Patro operam dederunt; vid. ad Famil. XIII. 1.

de hominibus) Sic etiam Pal. 1, Spir., [B.] cod. Gifanii (in Burmanni Syll. Epist. II p. 307); ceteri mendum habent.

66. Tribus igitur modis) Ergo tres Gzii. [B]. Alter modus explicatur § 69 (*Sunt autem quidam*), tertius § 70 (*Sunt autem, qui dicant*). De oratione in voce alii interrupta vid. exc. I ad § 23. Prima sententia Epicuri ipsius erat (II, 82), eaque constantissima. Idem alibi docuerat (Diog. X. 120): *τῆρ φιλίαν διὰ τὰς χρείας γίνεσθαι δεῖν μέντοι προκατάρχεσθαι καὶ γὰρ τῆρ γῆρ σπείρομεν συνίστασθαι δὲ αὐτῆρ κατὰ κοινωρίαν ἐν ταῖς ἡδοναῖς.* [A nostris esse etiam B.]

ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus, quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare, tuentur tamen eum locum seque facile, ut mihi videtur, expediunt. Ut enim virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam
 5 negant posse a voluptate discedere. Nam cum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest.
 67. Atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus,
 10 sic amicitiae non modo faatrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis quam sibi;

1 *'ipsos A¹* 3. *videntur mihi L* 4. *virtus E antea E supra L*
 5. *a vol posse PMCR* 7 *manet E confirmetur [A]E animus ad spem et par. [A]E* 9. [*atque odia A¹ atque odia A²*] *odiam E invidia EPCR*
 11. *etiam om. E effcatrices E*

quo loco videtur — tuentur tamen eum) Recte prorsus inter se referuntur quo et eum, nec quo adiungitur ad praecedentia; in quem errorem cum quidam incidissent, haeserunt. Tantum paulo durior fit relativae et demonstrativae sententiae transpositio, quod casu in hanc ambiguitatem, si qua est, incurrit.

confirmatur) *Confirmetur etiam [B et] Gud. 2*, quod per se de consilio intellegi poterat, sed obstat *potest*.

67. *quam sibi*) Non sane *amicitiis*; sed reflexivum refertur ad latentem personae agentis notionem, ut sit: *einem selbst*, quemadmodum, cum actio aliqua infinitivo significata est, nulla definita persona, in sententiis annexis sic utimur finita verbi forma, ut *aliquis* audiri dicatur ([IV, 64: *miserrimus sit*, V, 24.] Wopkens. Lectt. Tull. p. 2, Heusing. praefat. ad lib. de Off. p. 36 Zumpt., Beier ad Off. I, 121, [Gr. Lat. § 388 b not. 2]). Eodem modo dicitur II, 78: *amare est velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se nihil ex iis redundet*; de Inv. I, 97: *oratio, quae aut sui laudem aut adversarii vituperationem contineat*. [Orat. 124: *ad commendationem sui*; Tusc. IV, 26, Lael. 59; Off. I, 99; durius non praecedente infinitivo pro Rosc. Com. 52: *quod sibi petitur, alteri non exigitur*. Eodem modo ponitur *suus* de Inv. I, 30, in Pis. 47, Off. I, 17, N. D. I, 122: *mercatura utilitatum suarum*, Liv. XXIX, 37, 11. Addit quaedam Nipperdeius ad Tac. Ann. II, 38.] Interdum pro reflexivo ponitur *ipse*, ut Legg. II, 55: *Eas* (ferias denicales) *in eos dies conferre ius, ut ne ipsius (eines selbst) neve publicae feriae sint*; Wyttenbachius malebat *unius*; ibd. I, 56: *summum bonum est — naturam sequi, — id est. nihil, quantum in ipso*

quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posterius temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi aequae amicos et nosmet ipsos diligamus, idcirco et hoc ipsum 5 efficitur in amicitia et amicitia cum voluptate connectitur. Nam et laetamur amicorum laetitia aequae atque nostra et

1. *pro praes.* E 2. *temporis ac post.* L 3. *uite te tenere* E 4. *possimus* R *nec vero* COr. *neque non* R *ipsi* (pro nisi) [A]P 5. *ut amicos* et L *amicos ac* R *nos ipsos* C 6. [et amicitia om. A; in mgine additur amicitia] 7. [leticie A¹] *aeque ut nostra* LPMR *aeque ac n.* C

sit, praetermittere cet., pro Balb. 2: Nihil umquam audivi, quod mihi de iure subtilius dici videretur, — nihil de re publica gravius, nihil de ipso (id est, de ipso dicente) *modestius; Garatonius malebat: de se ipso, quemadmodum I de Inv. 30, ubi itidem ipsum est ipsum dicentem (einen selbst), Iunta et Lamb. se ipsum ediderunt. [Non raro sic ponitur se, suus apud gerundium gerundivumve, ut N. D. III, 88: a se ipso sumendam esse sapientiam.]*

Quod quia nullo modo) Recte Matthiaeus annotat, non alius generis hanc esse vocem, quae coniunctionibus ex abundantia praepositur, nisi quod sententias coniungit, atque pronomen illud, quod initio sententiae sic ponitur ad superiora relatum, ut deinde tota aliqua sententia explicetur. Sed origine haec eadem sunt, non in singulis locis. Cfr., quae Opusc. Acad. I p. 514 dixi de ambigua huius vocis in aliquot locis natura.

amicos et nosmet ipsos) Urs. cod. et, quod miror, El. 2 (sed fortasse fuit 1) *ac nosm.* In hac quaestione de *et* pro *atque* posita post. *aeque* nec Handius (Turs. I p. 190) nec Otto ad h. l. satis distinxit eos locos, in quibus de subiectis coniunctis dicatur *aeque*, ut nihil prorsus singulare sit (velut Tusc. II, 62: *eosdem labores non esse aequae graves imperatori et militi*), ab iis, in quibus ex verborum situ (interiecto *aeque*) et ex sententia intellegatur *aeque* ad alterum subiectum pertinere et ad id referri *et.* ut IV, 64 (*caeci aequae et ii, qui modo nati*); in his est enim illud, quod singulare putatur, quamquam ex altero ortum est. In quibusdam locis dubia ratio est, ut in hoc. etsi magis ad alterum genus inclinare videtur. Cfr. ad II, 21.

aeque atque nostra) Sic, ut fere ab omnibus editum est. etiam [AB] Spir. Deteriores (El. uterque, Mead. Oxx. omnes, Gzii praeter duos illos) *aeque ut nostra.* quod Gzii recepit. contra Ciceronis et antiquorum usum; vid. Hand. I p. 192. ubi quod citatur locus ex orat. pro domo 30, in quo sit *aeque*

pariter dolemus angoribus. 68. Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum, quosque labores propter suam voluptatem susciperet, eosdem suscipiet propter amici voluptatem. Quaeque de virtutibus dicta sunt, quemadmodum eae semper voluptatibus inhaerent, eadem de amicitia dicenda sunt. Praeclare enim Epicurus his paene verbis: Eadem, inquit, sententia confirmavit ani-

1. *sap. eod. modo* L 3. *susceperit* (pro *susciperet*) LPMCROr. *susciperet* (pro *suscipiet*) E *recipiet* MCOr. 4. *propter suam vol.* E 5. *hae* PROr. *hec* EC *inhaerent* LPMCR 6. *iis* M [*peuae* A¹, *pene* A²] 7. *eadem* transp. ante *his* E *scientia* [A]LPMCR

ut, vetus mihi cantilena canenda est. prius purgari debere illas orationes, quam de iis iudicium fiat; nam omnes sex codices Oxx. (nec alios collatos habemus) omittunt *ut*, [etiam meliores, qui postea collati sunt].

68. *susciperet, eosdem suscipiet*) Priore loco ceteri quoque deteriores *susceperit*, omnes Oxx., quattuor Gzii (ergo etiam Spir. ?); *susciperet* editum a Crat., Vict., Grut., Dav. sine varietatis annotatione. Altero loco *recipiet* Εχψ, quattuor Gzii; *suscipiet*, supra scripto *re* U, *recipit* *recipiet* ξ. *Recipiet* ascivit Gzsius; superiores tenent *suscipiet* nec quidquam annotant. Perverse variatur verbum, primum per se; cum enim idem Torquatus sapientem dicat sua et amici causa facturum, eodem verbo bis uti debet, ut orationis pondus sit in contrariis *propter suam voluptatem et propter amici vol.* Non minus prave nonnulli de imp. Pomp. 45 in his: *quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit* verbum variandum putarunt, conclusionem tollentes. Deinde *recipere* ab hoc loco alienissimum est; nam recipiuntur tantum ea, quae demandata et tradita sic suscipimus. ut promittamus aliquid et rationem debeamus (vid. disput. de Asconio p. 98 not.), hoc loco de subeunda amici causa molestia agitur. Tum autem non minus ententiam turbat futurum exactum (*susceperit*); significat enim, quidquid prius sapiens sua causa fecerit, postea amici causa facturum, quod ineptum discrimen est; potentiali significatione illa forma in relativa sententia poni nequit, cum in demonstrativa simpliciter affirmetur. Aptissima contra condicionalis significatio est: quidquid, si ita usus esset, sua causa faceret, idem faciet amici causa. [Cfr. Lael. 57: *quae nostra causa nunquam faceremus, facimus amicorum.*]

inhaerent) Coniecturam Ernestii e sermonis lege natam confirmat etiam Spir. [et A, non B].

Eadem sententia confirmavit animum) Sic „libri veteres ali-

num, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quae perspexit, in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum. 69. Sunt autem quidam Epicurei timidiore paulo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti, qui verentur, ne, si 5 amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulationesque et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem, cum autem usus pro-

1. [Litteras *turn* in *diuturnum* A in rasura habet] 2. *prospexit* F *ipso* om. L 3 *est firm.* E 5. [*convicia* A] *convicia nostra* E [*veretur* A] *qui verentur* om. E 6. *expetenda* E 8-9 et om MCR *voluntates* om. EC *voluptatum* PMR et *consuetudines instituendarum amicitiarum consuetudinum instituendarum voluptatum* L

quot“ Lamb., tres optimi Gzii, ut maluerat Morelius, edidit primus Davisius. Graeca enim haec sunt, in sententia undetricesima, Diog X, 148: *Ἡ αὐτὴ γνώμη θαρροῦν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν μηδὲ πολυχρόνιον καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς ὀρισμένοις ὑσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατεῖναι συντελουμένην.* (Pro *κατεῖναι* Gzsius a Rathio adiutus scripsit *κατιδεῖν εἶναι*, quod Huebnerus recepit; debuit, ut apparet ex Ciceronis interpretatione, *κατεῖδεν* (*perspexit*); sed *εἶναι συντελουμένην* pro *συντελεῖσθαι* probari non potest nec coniungi *φιλίας εἶναι*, ut addatur seorsum *συντελουμένην* (cum perficiatur). Aut igitur cum censore quodam scribendum *φιλία – κατεῖδε συντελουμένην* aut *φιλία – κατενόησε συντελουμένην*. Otto multa de Diogenis loco ita dixit, ut transpositionem a Meibomio factam pro codicum scriptura haberet.) Eandem sententiam Epicurus appellat eandem philosophandi rationem et primam sententiam, eamque recte potuit dicere *perspicere* aliquid, in quo turpissime Gzsius et Otto lapsi sunt.

69. *Itaque primos congressus*) Durius h. l. omittitur *dicunt* eiusque significatio petitur ex superiore *verentur*; nam sic *itaque* ad rem ipsam et argumenti conclusionem aliquam pertinere videtur, cum ad omissum illud *dicunt* pertineat.

et consuetudinum instituendarum voluntates) Huius loci restitutio debetur Pal. 1, quem Gruterus secutus est, et mgini Crat. Codex Morelii una littera aberrat (*voluptates*). In Erl. [et B] neglegentia vox omissa est, ut § 71 *confirmat*. Deteriores aberrant; *et* omitti notatur in Uχψ; tum *voluptatem* pro *voluntates* Pall. ceteri, Oxx. χψ; Davisius et Gzsius de suis tacent. Veteres editores inde a Veneto a. 1494 usque ad Gruterum

grediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si
5 ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare solemus,

1. [effeceris A¹] 3 [fama A] 4. si quos E 5. [ludicras A²]
amandi (pro venandi) L [aut || aut A] consuetudines [A]LPMCROR.

scribebant: *copulationesque consuetudinum, instituendarum amicitiarum fieri* cet.

si *ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare*) Habet tandem vera scriptura sponsorem Erl. [et B]. non silentio, sed certum, quae antea nitebatur veterum quarundam editionum (ut Ven. 1480 et Iunt.) et Victorii fide (nam Lallemando de codicibus regis credi nihil potest), sed probabatur ab intelligentibus (Man, Lamb., Dav, Ern., Bremio) propter sententiam. Concluditur enim sic, si alias res *consuetudine* amemus, idem fieri facilius in hominibus posse, quod illi Epicurei dicebant, ut eos *consuetudine* amemus; in ablativo *consuetudine* vertitur sententia. Inter ea, quae exempli loco ponuntur, sunt *ludicra exercendi aut venandi*, id est, ludicrae armorum et corporum exercitationes (*ludicram exercitationem* Cicero dicit I N. D. 102. I de Orat. 147) et venationes, quae ipsa erat ludicra et assimilata exercitatio belli (N. D. II, 161). *Ludicrum* pro substantivo Cicero dixit, ut Livius aliquotiens de ludis, nec habuit aliud. quo uteretur; nam nec ludi hi erant, nec exercitationes non inutiles lusus recte appellari poterant. Dupliciter haec scriptura corrupta est; nam in vulgaribus, Pall. Davisianis, Oxx., Gzii, ut ipse ait, praeter Spir., sed excipiendus erat saltem Erl., ceteri accusativi effecerunt, ut scriberetur *consuetudines*, retento tamen *ludicra*, ut nulla sit sententia. Sed in [A² et] Spir. et cod. Urs., quod mirere, idem librariorum error effecit *ludicras* — *consuetudines*, quod a Grutero et Gzio receptum est. Sententiae ne species quidem est; nam cum ex amoris in aliis rebus origine ratio concludi debeat de amicitia, nihil nunc de eo dicitur, sed, si loca et fana amemus, idem fieri iustius in hominibus dicitur; tantum inepte in *hominum consuetudine* ponitur. Itaque enarrat Gzcius: *Si loca, si fana* cet. *propter se ipsa amamus, multo facilius homines propter se ipsos amare poterimus.* Ubi illud est *propter se ipsa*? aut ubi esse potest, in Epicureorum sententia? Nam illi si tot res a primo initio propter se amari putarent, concederent etiam de hominibus. nec tantis ambagibus uterentur. [Non recte Baiterus

quanto id in hominum consuetudine facilius fieri potuerit et iustius? 70. Sunt autem, qui dicant, foedus esse quod-

1. poterit C 2. dicunt EPMCR quoddam esse COr. quoddam om. E

Bakium ad Cic. Legg. p. 463 secutus scripsit: — *equos ludicra exerc. aut ven. consuetudine*; nam et nude *consuetudine* dici debet nec *ludicra exerc. aut ven. consuetudine* fana, urbes adamantur; quamquam per se minus commode cum rebus externis, quae adamantur, coniunguntur in hac hominum comparatione actiones.] *Exercendi* Cicero dixit pro *se exercendi, exercitationis*, propria quadam gerundii potestate, quae cum inde orta esset, quod interdum gerundium non ad ipsum sententiae subiectum, sed ad aliam cogitatam personam aut rem referretur (ut in noto illo: *urit videndo femina*), paulatim eo progressa est, ut gerundium genetivo casu non tam passive quam pro substantivo verbali poneretur. (Et alii et Kritzius ad Sallustii Iug. 62 in eodem sunt errore, de quo dixi ad § 60; non discernunt primam originem constructionis et usum longius progressum; itaque in contortas explicationes et falsas incidunt.) Sic Tusc. I, 53 dicitur: *ceteris hoc principium est movendi*, id est, *se movendi, motus* (ubi non contorte solum, sed absurde aliud subiectum quaeratur), et Acad. II, 101: *ut ei vera multa videantur neque tamen habere insignem illam percipiendi* (perceptionis) *notam*. [Liv. V, 27, 2 *lusus exercentique causa*. Alia posui in praefat. vol. III p. 1 Livii a me et Ussingio editi, p. XXIX.] Quod possit cuiquam in mentem venire, in ipso *exercendi* verbo, cum de hominibus se exercentibus dicatur, transitum aliquem eiusmodi fieri ad neutralem usum, quoniam etiam II de Orat. 287 dicatur: *ceteris in campo exercentibus*, id non tam ad hoc verbum quam ad illius participii proprietatem spectare docent duo Svetonii loci, in Iul. 26 (*ipsique dictata exercentibus darent*) et Aug. 98. Simile est igitur hoc ei, quod in aliis accidit, ut in *gignens* (Ramshorn. p. 171 ed. 2). sed maxime in *versans, pascens, vehens*; nam etiam *exerceri* quodam modo pro deponenti dicebatur de corporum exercitatione. [*Minuente aestu*, Caes. B. G. III, 12.]

potuerit) Parum aptus est usus potentialis formae in huiusmodi interrogatione eius, qui concludendo urget, nugasque agit Gzizus de optativa futuri exacti vi et 25 locis Ciceronis, ubi illud „citra ius“ exterminatum sit, loquens; nec indicativus futuri exacti pro simplici h. l. ullam ex iis significationibus habere potest, quae apud Ciceronem inesse solent; (vid.

dam sapientium, ut ne minus amicos quam se ipsos diligant. Quod et posse fieri intellegimus et saepe † enim videmus,

1. *sapientum* (LPM)CROr. *quam amicos se* E [*quidem amicos quam* A] *amicos quidem quam ceteri* [sui ipsos A¹] 2. *fieri posse* EC

Opusc. Acad. II p. 94 sq.). Itaque non reprehendo eos, qui ex C poterit retinuerunt (Ascens. et plerique alii ad Bremium). Oxx. ad poterit tantum ex uno χ annotarunt potuerit, sed erat in Pall. omnibus et Gzianis.

70. *Sunt autem, qui dicant*) [Correctio haec videbatur, quoniam praeter L testes citabantur tantum Ox. E et Bas. Nunc confirmant A et B.] Mihi, etiamsi correctio esset, ut corrigentes sequerer, huiusmodi maxime loci persvaderent, in quibus apparet librariorum etiam perantiquorum ad errandum in hac re proclivitas, ut Tusc. I 18, ubi in sententiis ex aequo positis optimi codd., Paris. et Gud. 1, habent: *Sunt enim, qui — putant; sunt, qui censeant.*

ut ne minus amicos) Recte Manutius, Lambinus, Gzius deleverunt *quidem*, quod sive post minus sive post amicos additum perverse vocabulum praecedens insignit et extollit et prave cum ne coalescit. Edebatur ante Grut., exceptis Man. et Lamb., ut mei deteriores habent; Grut. et Dav. tacite transposuerunt *quidem amicos* [ille, ut apparet, A secutus]; Oxx. EU omittunt *quidem*; e Gzianis Gud. 2 *quidem amicos minus*, Bas. *quidem minus amicos*, Gud. 1 *minus amicos quidem*. De Erl. et Spir. Gzius nihil dixit, quorum ille [consentiente B] leviter corruptus rectum tamen ostendit. Dixi iam in Opusc. I p. 406 et 407, saepius nescio quo errore *quidem* a librariis sic additum esse, ut aliqua vox prave insigniretur. In hoc ipso opere III, 28 et V, 28 huiusmodi menda optimorum codicum auxilio tollenda erunt.

posse fieri) Sic [A,] Dav. tacite, Gzius e Spir., Gud. 1, 2. Is ordo, quem Erl. [B] et editiones antiquiores habent, tenetur II, 83: *id et fieri posse et saepe esse factum.*

et saepe enim videmus) Pro enim Dav. ex El. 1 scripsit etiam, Manutius et alii *id*, Vict. e cod. *id fieri*, Gzius saepe numero pro saepe enim. Sed *videmus* respondet praecedenti *intellegimus*; requiri igitur videtur, quod respondeat verbis *fieri posse*; ergo Otto et Klotzius (Quaest. Tull. p. 50) scribunt: *et saepe esse factum videmus* ex II, 83; ad sententiam recte, sed facillime enim et *factum* propter simile compendium confundi potuisse et *esse* propter saepe excidere, non facile cuiquam persvadebitur. Fortasse sufficit Davisii correctio, ut in uno

et perspicuum est, nihil ad iucunde vivendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem omnino amicitiae non posse reperiri. 5

XXI. 71. Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia [dixi] hausta e fonte naturae, si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est, incorruptis atque integris testibus, si infantes pueri, mutae etiam bestiae paene loquuntur, magistra 10 ac duce natura, nihil esse prosperum nisi voluptatem, nihil asperum nisi dolorem, de quibus neque depravate iudicant neque corrupte, nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui, hac exaudita quasi voce naturae, sic eam firme

1. [repperiri A] 2. coniunctioni E 5. amicitiae omnino LPMCROR. 6. dixi illustriora et sole clariora L 7. dixi sine uncis Or. 8. [cracio A'] sens. fidem L 9. confirmat om. E et (pro atque) E 14. haec LMCR ex adito C

videmus (ipsam illam rem, quam fieri posse intellegimus) omnia insint. Malui tamen mendum notatum relinquere. [Halmius saepe *evenire videmus*. Non placet post *fieri* subiectum aliud verbum.]

Cap. XXI. 71. si omnia [dixi] hausta) Suspectum Th. Bentleio et Bremio *dixi*, non sine causa; Gzio defendenti non de auribus purgatis dicendum erat, sed quaerendum, num haec hanc sententiam habere possent: ita *dixi*, ut *hausta essent e fonte naturae*, id est, omnia, quae *dixi*, hausta fuerunt. Mihi id fieri posse non videtur necessarioque coniungi: *dixi hausta*, ut *audiatur esse*; atqui id ridiculum est, Torquatum eo niti, quod ipse ita esse dixerit. Librarius verbum, quod deesse videbatur, supplevit, non attendens, sunt pertinere ad utrumque membrum.

confirmat) Om. etiam Spir. [B] et Gud. 2; [sed tenet A]. Terent. Hec. IV, 2, 5: *ei rei firmasti fidem*.

nihil esse prosperum) Nusquam alibi, quod sciam, aut Cicero aut quisquam alius *prosperum* dixit, quod iucundum esset et gratum et ob hanc causam expetendum, sed tantum, quod feliciter procederet. Videtur Cicero lusisse in simili sono verbi *asperum*.

qui hac exaudita cet.) Sic Pal. 1 et „tres optimi“ Gzii;

graviterque comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam iuvaret. 72. An ille tempus aut in poetis evolvendis, ut ego et Triarius te hortatore facimus, consumeret, in quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio, aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret, quae et, a falsis initiis profecta, vera esse non possunt et, si essent vera, nihil afferrent, quo iucundius, id est, quo melius viveremus; — eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda. Quae cum

2. vitae om. E deduceretur R 3. ullam E 4. dixit R 5. [an si ille A²] 6. [facinus A¹] fecimus C 7. est om. LMCR 8. aut se aut Plato E astrisque L 9. ea (pro et a) L perfecta E 11. est om. E 12. tantam om. E [tamque et oper. A] 14. [hii A] hi LR 15. qui (pro quae) E

editum est inde a Crat., nisi quod Manutius et Lambinus demonstrativum omiserunt. Ceteri Pall., Oxx. Uχ. Gzii reliqui haec. Paulo post pluribus adiectivis significatur ἡ τῆς ψυχῆς ἀταραξία.

duxit) Gzius in suis omnibus praeter Erl. ait esse aut *dixit* aut (ut in Gud. 2) *dixerit*; alius nemo quidquam annotavit. Fuerunt ante hos non ita multos annos, qui dubitarent, an Latine non diceretur *duco esse*; itaque post lexicorum auctores exempla collegerunt Moserus ad Cic. de R. P. p. 13 et in Add. p. 562 sqq., Beneckius ad orat. de imp. Pomp. p. 144. De re vid. ad § 26.

72. *An ille tempus* cet.) Hunc locum rectius distinxi, cum antea plene interpungeretur ante *Eas ergo*. Bimembris interrogationis forma ab initio instituta bis in priore membro obscuratur interpositis verbis ad elevandas artes et reprehendendas; itaque redintegratur oratio posita particula *ergo*. de qua dicitur ad II, 23. Prorsus idem in Tuscul. V, 73 factum esse ostendi in Emendd. Ciceron. p. 44. Verba *quae et a falsis initiis profecta* cet. non satis conveniunt cum *numeris et astris*; sed Cicero disciplinas harum rerum intellexit, cum musica, geometriam nominasset.

dixisset, Explicavi, inquit, sententiam meam et eo quidem consilio, tuum iudicium ut cognoscerem, quae mihi facultas, ut id meo arbitrato facerem, ante hoc tempus numquam est data.

1. *quod* (pro *quidem*) E 2. [*consilium iudicium A'*] *mea* (pro *mihi*) [A]EP [Subscribitur in A: *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber explicat. Incipit liber secundus.*]

ea putant) In editionem Venetam 1494 et proximas irrepererat *putent*. Id Davisius tantum El. utriusque, CCC, Mead. testimonio coarguit; Oxx. tantum ex EU afferunt *putant*. Recte omnes Gzii.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

*In hoc libro Epicuri decreta a Cicerone reprehenduntur et refutantur, qui initio non perpetua oratione utitur, sed ma-
vult in singulis insistens Torquatum interrogare et ex iis,
quae is concesserit, argumenta concludere (c. 1). Primum
igitur Epicurum in ipsa vi et natura voluptatis constituenda
a se dissidere ostendit, breviter subinde Torquato ad interro-
gata respondente; tum enim eam voluptatem Epicurum di-
cere, quae ab omnibus dicatur, quae sit in iucundo motu
sensus, tum eam, quae posita sit in non dolendo; haec autem
diversa esse, non eadem (c. 2—3); nec omnino voluptatem
esse nihil dolere, sed inter voluptatem et dolorem tertium
hoc interiectum esse, cum neque in dolore neque in voluptate
simus (c. 4—5). Hinc iam Torquato respondere nolente,
quod dialecticis captionibus se irretiri putat, Cicero perpetua
oratione idem explicare pergit, Epicurum, si duo illa con-
iungere vellet, duplici fine bonorum uti debuisse (c. 6); duas
enim esse res, non solum verba; nunc unum eum ex duo-
bus facere conari; nam interdum ita loqui de motu volup-
tatis in corpore, ut etiam luxuriae patrocinium suscipere*

videatur (c. 7), modo quis eleganter et caute luxuriosus sit; (et tamen luxuriosos suaviter vivere, non bene, quae longe sint diiuncta (c. 8); nec recte Epicurum cupiditates divisisse, desideria naturae cum cupiditatibus confundentem;) deinde autem, cum huius eum turpitudinis puduerit, sic alterum illud, non dolere, laudare, ut prior illa et vera voluptas obscuretur (c. 9)¹). Itaque non recte eum a pueris et bestiis argumentum sumere, cum eos suavem illam voluptatem expetere dicat, summum autem bonum non dolere esse velit (c. 10). Nec omnino animal primum ortum, ut voluptatem petat, natura moveri, sed ut se diligat et conservet; itaque in iis, quae prima appetantur, multa esse praeter voluptatem; atque ab horum primorum naturalium constitutione fluere omnem bonorum et malorum rationem²); ceteros philosophos sibi constituisse, ut iis, quae prima posuissent, finis bonorum responderet, Epicurum a se discrepare (c. 11). Deinde Cicero disputat, non sensuum hoc esse de summo bono iudicium, sed rationis, quae omnes sententias aut voluptatis participes aut virtutis expertes reiciat (c. 12). Huius se auctoritatem sequentem controversiam minuere velle, semotumque a philosophia ceteras sententias, in quibus nulla sit virtutis adiunctio (c. 13). Ita relinqui inter virtutem et voluptatem ab Epicuro defensam certamen; iam, si ostenderit aliquid honestum esse, quod sit sua vi propter seque expetendum, iacere putat totam Epicuri disciplinam (c. 14). Exponit igitur, quomodo e natura hominis omnis virtus oriatur (ibid.), nec, ut Epicurus putet, id esse honestum, quod populari fama laudetur (c. 15); quod autem Epicurus voluptatis causa et incommodorum metu iustitiam expeti doceat, perinfirma ea improbitatis vincula in callidis et potentibus hominibus esse, cum praesertim Epicuro, et qui cum sequantur, etiam cum periculo magnae voluptates eaque, quibus illae parentur, velut pecuniae, petenda sint (c. 16—18); eandemque temperantiae et fortitudinis rationem esse,

¹) De progressu disputationis a c. 7 ad 9 vid., quae ad § 20 dicentur.

²) De tota hac disputatione vid. annot. et exc. ad § 33.

ut ea tum demum appareant, si nullius commodi causa honeste agatur (c. 19). Si Epicuri vera sit sententia, beatum dicendum esse, qui in omnium voluptatum copia molliter, sed caute et prudenter vivat, ut L. Thorius Balbus fecerit; sibi beatiorum videri fuisse Regulum tum ipsum, cum cruciaretur (c. 20). Epicuri sententiam sequenti et Lucretiae et L. Verginii facta vituperanda esse; nec omnino in illa schola claros viros testes adhiberi, virtutesque ipsas induci voluptatis ancillulas (c. 21). Quod autem neget Epicurus quemquam, qui honeste non vivat, iucunde vivere posse, non posse virtutem retineri, si omnia ad voluptatem dirigantur, sed tantum fictam speciem (c. 22). Illud autem quale esse, quod ne profiteri quidem quisquam eam sententiam audeat apud populum, se omnia voluptatis aut non dolendi causa facere? (c. 23). Nec amicitiam consistere posse, quae mutata utilitate ipsa mutetur necesse sit (c. 24). Quod ipse Epicurus amicitias cum fide coluerit, melius eum fecisse quam dixisse (c. 25); nec probandam esse ullam ex tribus rationibus, quas Torquatus de amicitia proposuisset (c. 26). Perfecto igitur et concluso, neque virtuti neque amicitiae in Epicuri disciplina locum esse, breviter Cicero reliquae Torquati orationi respondet; primum beatam vitam, si voluptas sit summum bonum, in potestate sapientis non futuram; nec verum esse, quod Epicurus dicat, non minorem voluptatem ex brevi tempore quam ex longinquo percipi (c. 27). Et si concedatur, ipsam naturam sapientem locupletare et summam voluptatem ex vilissimis rebus percipi, quid de dolore dicendum esse? qui si summum sit malum, omnem beatæ vitæ constitutionem everti (c. 28); nam remedia doloris ab Epicuro proposita nullam vim habere; virtutis potius et magnitudinis animi fomentis eum leniri, idque ex ipsius Epicuri epistula ad Hermarchum apparere (c. 29—30). Sed ut hæc epistula laudanda sit, sic improbandum Epicuri testamentum, in quo, qui nihil ad quemquam post mortem pertinere statuerit, tamen diligenter de memoria sua caveat (c. 31). Percurruntur deinde, quae a Torquato de memoria voluptatum dicta erant (c. 32) et de animi voluptatum et dolorum e corpore origine et magnitudinibus (c. 33). Peroratio

libri excellentiam humanae naturae praedicat, ex qua appareat, nos ad altiora et magnificentiora quaedam natos esse, voluptate autem dominante vitam confundi omnesque virtutes iacere necesse esse (c. 34–35).

I. 1. Hic cum uterque me intueretur seseque ad audiendum significarent paratos, Primum, inquam, deprecor, ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum, quod ne in ipsis quidem philosophis magno opere umquam probavi. Quando enim Socrates, 5 qui parens philosophiae iure dici potest, quidquam tale fecit? Eorum erat iste mos, qui tum sophistae nominabantur; quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est, iubere

1. *seque* L 3. [*scholam* A semper] *vobis* om. E *aliquam vobis* L 4. *quid* E *quidem* E in margine habet significaturque post *ipsis* inserendum. 5. *magno opere* om. E *numquam* E 7. *tunc* R 8. *est* (pro e) E *Leontius* E 9. [*Gorgius hi conuentu posceret* A¹]

Cap. I, 1. *intueretur* — *significarent paratos*) Recte mutatio numeri notabilis visa est grammaticis; non recte nonnulli eam sublatam voluerunt; nam *uterque* cum plurali (*intuerentur*) Cicero numquam ponit; alterum tentari nisi violenter non potest. Transiit igitur Cicero in altero membro ad singulorum significationem, paulo durius quam I, 25, quod in copulativo orationis progressu. Similem transitum post *quotus quisque* pro Flacco 104 Otto demonstrat.

deprecor) Om. cod. Mor. (qui initio *sic* pro *hic*), quod ne cui esse aliquid videatur, sciendum est, bonae aetatis prosae orationis scriptores numquam in prohibendo *ne facias* dicere pro *ne feceris*, quae res incredibiliter ignoratur. Vid., quae dixi Opusc. Acad. II p. 105, 106. [Senec. Cons. ad Helv. 12, 1 sic oratio distingvenda est: *Ne me putes — sapientum, aspice* cet.]

scholam) quales sunt Tusculanae (I, 8), perpetuae de quaestione proposita disputationes. Et tamen facit fere postea Cicero, quod hic se facturum negat. *Magno opere* „in tribus optimis“ Gzii aberat.

Leontinus Gorgias) Idem narratur de Orat. I, 103, III, 129. Res nota e Platonis Gorgia 447 C.

dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium; dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad nostros philosophos esset. 2. Sed et illum, quem nominavi, et ceteros sophistas, ut e Platone intellegi potest, 5 lusos videmus a Socrate. Is enim percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum dissererebat, ut ad ea, quae ii respondissent, si quid videretur, diceret. Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit instituitque, ut ii, qui se audire 10 vellent, non de se quaerent, sed ipsi dicerent, quid sen-

1 quisque L 3. philosophos nostros [A]LPMCROR. [esse A¹] 5. [percunctando A¹] 7. ad haec LPMCROR. [hū A] hi CROR. 8. dicerent L a om. R 9. que om E [hi A] [audite A¹] audiri E 10. nondum (pro non de) L quod E

id est. iubere dicere — audire) Suspecta haec Bremio erant. quod Torquato et Triario hoc explicari opus non esset. Sed ipse addit. quod ad defensionem satis est. Ciceronem, si haec scripserit, lectorum potius quam eorum, quibuscum se colloqui fingat, rationem habuisse; vid. ad I, 17. *Quaestionem* *poscere* nondum apud Latinos certam et notam rem significabat. Tum Oxx. Eξ (edd. Vict. et Lamb.) *dicerem et impudens*; Cicero dubitat. utrum nomen eligat, non de altero adiungendo (*etiam impudens*).

ad nostros philosophos) in scholis posteriorum, ex quo tempore, omnium decretis iam constitutis, cum quaerendi studium exaruisset, iactabant se homines in iisdem sentiis oratorie exornandis et in perpetua adversariorum insectatione, ut Stoici in Epicureorum. Academici autem versatilem artem eandem rem defendendi et refellendi atque contra omnia disputandi addebant. Et Academicos praecipue Cicero significat. Itaque *nostros*. quod ad sectam pertinet, praeposui; ceteri nihil e codd. annotant. [Sic etiam B.]

2. *ad ea, quae ii*) Bene, quod Erl: verum tuetur [et AB], maxime in illo casu, qui difficilius mutatur (*ea*), contra deteriorum consensum; nam *haec* — *hi* pravissima tamquam praesentium demonstratione, e Davisianis Parr. tres, CCC, Mead. Ball. (Oxx. Eξχ), Gzii quattuor.

Arcesilas eum revocavit) Instituit non, quid ipse sentiret, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare (III de Orat. 67). Credebat enim, Platoni. quem sequi volebat, summam disputationis fuisse in iis, quae contra alios diceret.

tirent; quod cum dixissent, ille contra. Sed eum qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam; apud ceteros autem philosophos, qui quaesivit aliquid, tacet; quod quidem iam fit etiam in Academia. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit: Voluptas mihi videtur esse summum 5 bonum, perpetua oratione contra disputatur, ut facile intellegi possit, eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria. 3. Nos commodius agimus. Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam, cur. Ego autem arbitror, quamquam 10 admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus singulis insistas et intellegas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi, quod velis, et ad exitum perveniri. Cum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cuiusquemodi 15 rapiat, nihil tamen teneas, nihil reprehendas, nusquam orationem rapidam coërceas.

1. eum om. LPMROr. sed qui contradicentem aud. C 4. quid quidem E etiam om. E 7. possit ut eos E sibi aliquid E 10 sed esse cur E 12. cum in viribus R 13. [ex quibus concessit A¹] 15. cuiusmodi L 16. apprehendas [A]LPMCROR. 17. [coërceas A²]

Sed eum qui audiebant) Eum optime praeter Erl. etiam [A et] Spir. [B] et Bas. dederunt; contrarium huic est: *apud ceteros autem.* Diog. Laërt. IV, 28 de Arcesila: Πρώτος δὲ καὶ ἐς ἑκάτερον ἐπεχείρησε καὶ πρῶτος τὸν λόγον εὐνήσσε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδωμένον καὶ ἐποίησε δι' ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον.

iam fit etiam in Academia) Spir. [B] quoque om. etiam; Bas. iam etiam fit, Gud. 2 qui quidem etiam iam fit. Si omitteretur etiam, ut Otto fecit, significaretur, quid, cum antea factum omnino non esset, nunc fieret in Academia.

3. *nihil reprehendas) Recte hoc [quod est etiam in B] Wesenbergius commendavit, dictum de iis, quae celeriter currunt et paene effugiunt, retrahendis, cuius significationis exempla et a Plauto ac Terentio et a recentioribus sumpta lexica habent. (Add. Senec. Epist. 95, 46: quae reprehendunt animos ac detinent, et Ovid. Epist. XI, 53: elapsaque verba rependo.) Cicero sic dixit Acad. II, 139: revocat virtus vel potius reprehendit manu. Nec aliter intellegendum, quod pro Flacco 22 in laude patroni ponitur: Bene testem interrogavit;*

Omnis autem in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio praescribere primum debet, ut quibusdam in formulis: EA RES AGATUR, ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur.

1. autem inquirendo E [quae via — ut quibusdam om. A¹] et oratione E 2. et oratio C [ne quibusdam, superscripto ut, A] 3. in om. E agitur PL agatur MCROr.

callide accessit; reprehendit (quasi evolantem et fugientem); cfr. Verr. III, 51. (De Legg. II, 34 *reprehendere* est id, quod dictum sit, retractare.) Aptus est orationis ascensus: *nihil teneas, nihil* (si non statim tenueris, postea) *reprehendas*. Contra *apprehendere* prius est quam *tenere*.

ut quibusdam in formulis: ea res agetur) Etiam in Spir. [B] et Gud. 2 excidit in post *m*; sed quod Gzius dicit ea omitti in Spir., Erl., Gud. 2, Bas., fallitur de Erl. (non ex silentio hoc coicio), cui cum Pal. 1 [et B] consentiat, valde de ceteris dubito, de Spir. prorsus non dubito. Hinc tamen Gzius effecit: *debet* (*ut quibusdam formulis res agatur*), *ut, inter cet.*, sequens simul deteriorum scripturam *agatur* (Pall. praeter 1, 2, 4, Parr. 1, 2, El. utriusque, Mead., Oxx. omnium. Gzianorum praeter Erl. et Gud. 2, opinor, etiam praeter Spir.); nam Pal. 1 cum Erl. [et B] *agatur* („videbaturque etiam fuisse in Pal. 2^a“), Gud. 2 et Pal. 4 *agitur*. Omnia illa ratio perturbat, primum sententiam; neque enim iam postulatur, de qua Cicero dicit, definitio rei ad agendum propositae, sed (cuius causa illa requirebatur) consensus disputantium, et, inverso ordine, ideo postulatur, ut conveniat, ut quibusdam formulis res agatur; quae autem sint illae *quaedam formulae*, quibus res agatur, frustra quaeras; deinde comparisonem cum formulis iurisconsultorum (et tamen Otto, haec sequens, de Gaio *quaedam* descripsit ab Orello); postremo orationis cohaerentiam; nam post *praescribere* interponitur *ut — agatur*, et tamen non hoc eo refertur, sed *ut — conveniat*. De praescribendi verbo et ipsa re nondum dico. Viderant iam superiores, hoc dici, idem, quod in formulis quibusdam iurisconsultorum fieret, in disputando fieri debere; sed cum *praescribere* vulgari significatione acciperent nec ipsa formularum verba nossent, requirebant sententiam pendente: *quae res agatur* (Manut.) aut: *qua de re agatur* (Lambin.). Nunc res dubitationi exempta est. *Praescriptiones* enim apud iurisconsultos, qui etiam verbo *praescribendi* sic utuntur, appellabantur ipsa illa, quae formulae praeponerentur, ut ea petitoris causa, ne formula caderet, ad eam rem, quae ageretur, certius ac-

II. 4. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit Epicurus sensitque, in omni disputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit, non vidit. Negat enim definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur; 5 velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. Quaerimus enim finem bonorum; possumusne hoc scire quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus, quid

3. *primum fuit* EC 4. [*placere — conveniat* om. A¹] 6. [*velit* A¹] 7. *hac scire* E *scire hoc* LPMCROr. *qualis* E [*quali sunt* A¹] 8. *eum finem* E

commodaretur; vid. Gaii Institt. IV, 130—137; earum commune initium erat: *ea res agatur*; tum sequebatur rei definitio. Exempla Gaius multa profert. (Dirksenius in libro, qui inscribitur: *Versuche über die Quellen des römischen Rechts*, p. 9 non satis haec verba ab iis distingvit, quae alium habebant usum: *qua de re agitur*.) Illa ipsa verba Cicero ponit, vultque in disputatione simili modo praescribi, hoc est, primum dici: *ea res agatur*, ceteraque, quae ad ea verba explenda pertinent quaeque illis significantur; significatur autem definitio rei, de qua agatur. Retinui tamen cum optimis codd. *agetur*, quod *agatur* manifestum est ortum esse ex praecedenti *ut*; fieri enim potest, ut aut antiquitus interdum formula aliter concepta sit aut Cicero eam a praetoris iubentis oratione transtulerit ad philosophorum disserentium rationem. Apud Petrum Diaconum de notis col. 1507 Gothofr. ERA explicatur: *ea res agitur*. Orellius veram scripturam, cui etiam Gaii verba ascripsit, sic interpungendo distraxit: *praescribere debet (ut quibusdam in formulis EA RES AGATUR)*, ut cet.

Cap. II, 4. in Phaedro) p. 237 B: *Περὶ παντός, ὃ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλευέσθαι εἶδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ἡ βουλὴ, ἢ παντός ἀμαρτάνειν ἀνάγκη*. De Epicuro vid. I, 29. Definitiones sustulisse dicitur I, 22. Nullas enim alias probabat nisi quibus exprimeretur, quid inesset in communi hominum notione, idque sine ullo singulari artificio reperiri posse putabat. Sed quid de Cicerone dicemus, qui non sentiat, ipsam notionem boni in his libris nusquam ab origine sua explicari et certis finibus comprehendendi? Ipsi illi definitionum artifices Stoici, dum singula verbis definiunt, ipsam vim multiplicem notionum in his quaestionibus interdum non admodum accurate persecuti esse videntur. [*Hoc scire* restitutum ex AB¹Erl.]

finis, quid etiam sit ipsum bonum? 5. Atqui haec patefactio quasi rerum operatarum, cum, quid quidque sit, aperitur, definitio est; qua tu etiam imprudens utebare nonnumquam. Nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive 5 ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur neque id ipsum usquam referretur. Praeclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses, aut quod esset natura appetendum, aut quod prodesset, aut quod iuvaret, aut quod liberet 10 modo. Nunc idem, nisi molestum est, quoniam tibi non omnino displicet definire et id facis, cum vis, velim definias, quid sit voluptas, de quo omnis haec quaestio est. 6. Quis, quaeso, inquit, est, qui, quid sit voluptas, nesciat

1. esse (pro etiam) E et C [patefacio A¹] 2. quidquid quid sit M quid quidquam sit L sit om. E 3. [diffinitio A] 4. [extremum sive om. A¹] 6. neque — referretur om. L [referretur A] referatur C 7. quam E 10. Nunc om. LPMCR 11. finire [A]E definire (pro definias) LPMCR 12. quidem sit E voluptas om. R haec omnis R 13. quis quasi [A¹]E [quis quam A²] quasi quis ceteri [inquis A¹] [voluptatis A]

5. *Atqui*) Vid. ad I, 58. Mox in verbis *quid quidque* (ut scriptum est etiam in Spir. [B] et mg. Crat.) aberrant etiam aliorum codd. deteriores, ut χ *quidquid*, ψ *quidquid quid*. De iis, quae sequuntur, quod ad orationis formam attinet, vid. ad I, 42, de re I, 29.

Nunc idem) *Nunc* addidit Gruterus e Pal. 1; erat etiam in Spir. [B] et Gud. 2; in ceteris (Pall., Dav., Oxx., Gzii) aberat; itaque olim distinguebatur: *liberet. Modo idem* cet. Iidem meliores (Pal. 1, [B.] mg. Crat., cod. Mor.) *definias* dederunt, quamquam *definire*. quod edebatur ante Gruterum, non annotant Dav. et Gzcius, Oxx. autem tantum e χ . (ψ omittit et id — *definias*.) [Paulo ante B ut AErl. *finire*.]

6. *Quis, quaeso, inquit, est*) In uno vocabulo aberrant boni codices, pro *quaeso* aut, ut multis aliis locis (§ 80, IV, 72, Brut. 289, Philipp. XIII, 32, ad Attic. V: 1, 4, ad Fam. V, 15, 2), *quasi* habentes (Erl. [et B]; Gud. 2 *quasi quis*) aut quae inde leviter deflectant; Spir. *quisquesi*. Recte emendavit Gzcius. Davisius Pal. 1 correctionem secutus erat: *Quisquam, inquit, est*, (eo pronomini positu, qui est in Verr. I. 142, de Div. I, 23, Parad. 14, all.). Deteriores ceterorum ut nostri, unde Manutii et Lambinus, soloeicismum in verbi modo vitantes: *Quasi quis* (Lamb. rectius *quis-*

aut qui, quo magis id intellegat, definitionem aliquam desideret? Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem et satis firme conceptam animo atque comprehensam. Nunc autem dico ipsum Epicurum nescire et in eo nutare, eumque, qui crebro dicat, 5 diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit vocibus, non intellegere interdum, quid sonet haec vox voluptatis, id est, quae res huic voci subiciatur.

2. dicem E 3. habere om. E cogn. bene E acceptam E 4. compressam C 5. nutare E 8. quae vis R

quam), inquit, sit. Voluptatis definitio Epicurea videtur esse apud Ioannem Stob. Eclog. Eth. p. 58 Heer., sed videtur tantum; interpungenda enim verba sic sunt: ἡδονὴ γάρ. (auditur τέλος ἐστὶν αὐτοῖς, explentque haec, quod dixerat, παθητικὸν ὑποτίθεσθαι τὸ τέλος, tum pergitur:) ὅθεν καὶ τὴν ἔννοιαν ἀποδιόασι τοῦ τέλους τὸ οἰκειῶς διατεθεῖσθαι (editur διατιθέναι) ἐξ ἑαυτοῦ πρὸς αὐτὸν χωρὶς τῆς ἐπ' ἄλλο τι ἀγοῦσης (editur ἀπάσης) ἐπιβολῆς.

et in eo nutare) Idem verbum de inconstantia eius, qui rem aliquam non firme comprehenderit, I N. D. 120: *Mihi quidem etiam Democritus nutare videtur in natura deorum.*

id est, quae res huic voci subiciatur) Iis, qui haec verba praeunte P. Fabro Semestr. II, 24 damnarant, quod inanem et prorsus supervacaneam noti vocabuli explicationem haberent cum molesta repetitione, parum Gzjus respondit; nam et recte cadit sententiae exitus his omissis nec difficile fuit librario ex proximo versu haec transferre. Sed Cicero cum sic sonet posuisset de vi et significatione vocabuli (cfr. Off. III, 83), ut simul in mentem veniret vox ab Epicuro frequentata, φθόγγος, addidit, hoc esse illud ipsum, quod Epicurus requireret, τὸ ὑποτεταγμένον τῷ φθόγγῳ (vid. ad I, 29). Sic autem saepissime ponitur id est, non ut superius tamquam obscurum explicetur, sed ut adiungatur aliquid aut necessarium aut utile sententiae et conclusioni, cum significetur, id, quod dictum sit, aut nihil esse aliud nisi id ipsum, de quo agatur, aut habere in se aliquid, quod animadversione dignum sit. Huiusmodi hoc est in libro I, 72: *quo iucundius, id est, quo melius* (in memoriam Torquatus revocat, haec non diiuncta esse); II, 90: *tenuissimo victu, id est, contemptissimis escis et potionibus* (auget Cicero explicando, ut ostendat inconstantiam Epicuri); ibd. 92: *dolor igitur, id est, summum malum*; (cfr. Tusc. III, 27: *aegritudine, id est, miseria*); ibd. 115; III, 18:

III. Tum ille ridens: Hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id

1. *tunc* C [inquit A¹, idemque § 7, 8, 9] *hiis* E 2. *expetendarum* E

iam membrorum, id est, partium corporis (admonet, quo iure membra commemorarentur; Gzizus ad Acad. I, 21 e „tribus suis“ corrigit et *partium*; ad ipsum locum et codicum, si qui fuerunt, et correctionis oblitus est); Tuscul. I, 75; Off. III, 23: *natura, id est. iure gentium* (admonet haec eadem esse, ut apte a natura transeat ad singularum civitatum leges commemorandas; non recte Beierus e codd. Gzii et aliquot vett. edd. scripsit et *iure*; Orellius, nescio quo casu, retenta Beieri scriptura, prorsus nihil annotavit; nam si consilio de suis codicibus tacuisset, editionum et aliorum codicum dissensum commemorasset); pro Balbo 54: *Latinis, id est, foederatis* (de quo genere agitur); ad Famil. II, 17, 4; ibd. IV, 4, 3 (ubi in temporis definita significatione rectius scribitur: *postquam coeptum est* quam: *postquam coeptum sit*); ibd. IV, 9, 2 (recte Orellius non credit Ruhkenio); ad Attic. XIII, 38, 2 (accommodat, quod generalius et translate dicebatur, ad suam rem; frustra Valckenarius tentavit). Haec ut contra eos valent, qui nimis facile in his vocibus interpretamenti notam se tenere putant, sic non eo disputata sunt, ut defendi etiam velim Brut. 120, ubi, si retinentur verba *id est, ex vetere Academia*, prave ante definitur demonstrativum quam ad relativum venit, aut IV Catil. 2; ne de eo quidem Bruti loco, qui § 172 est, quidquam affirmaverim.

Cap. III. *Tum ille*) A Manutio ad Bremium edebatur *tunc*. Illud revocavit Gzizus e „scriptis suis omnibus“ (etiam Oxx. EU ξ χ); vid. ad I, 28.

Hoc vero optimum, ut is) Subtiliter de particula *ut* ibi posita, ubi infinita sententia requiri videri possit, disputavit ante hos decem annos Edv. Wunderus (in Iahnii Annal. V p. 151 ad 163), eo omnia deducens, ut particulam illam in his locis pro *quomodo* accipi debere iudicaret; quem sequens Otto ad h. l. multa exempla sine delectu et iudicio congessit. Sed ipse Wunderus mihi hic non satisfacit, plus tribuens, ut fit, unitati cuidam significationis et discrimini perpetuo, quam sermonis natura permittit. Nam illam esse primam huius particulae significationem certum est; illud ambigitur, retineaturne sic interrogativa significatio in hac, de qua agitur, coniunctione, ut appareat per se et sentiat, et num haec sit causa hanc particulam potius quam infinitam sententiam ponendi. Atqui ad illud *quomodo* in singulis

extremum, id ultimum bonorum, id ipsum quid et quale sit,

1. *quidem* (pro *quid et*) EOr. [*quid ē A*] *quid sit ceteri nescit* (pro *sit*) L

locis adeo contorte pervenitur, at non appareat, cur non aequè in ceteris omnibus sententiarum coniunctionibus tale aliquid excogitari possit, in quibus tamen non ponitur *ut* pro infinita oratione. Itaque nihil nos illa interpretatiō adiuvat. Analogia autem, qua vir praestantissimus utitur, quod etiam dicatur: *non est veri simile, quam* cet. (non solum apud Ciceronem, sed apud Senecam quoque, de Tranq. An. 14, 6, Epist. 108, 12), ea vero nulla est; nam de gradu hoc dicitur, non de facto. Multoque est alia propior et simplicior via haec explicandi, et quae ab ipsa natura sermonis proficiscatur. Nam cum multae sententiae obiectivae et subiectivae hanc haberent naturam. etiam propter primariae sententiae verbi genus, ut facili transitu earum formam subirent, in quibus effectus [aut factum et rei status] significatur, in iis propter hanc inclinationem *ut* positum est, cuius particulae, ut fit in omnibus huiusmodi vocabulīs, non iam certa aliqua prima significatio, sed generalis quaedam vis in sententiis vincendis percipiebatur. Manifesta est haec ratio in iis verbis, quae proprie effectum significant, ut in hoc ipso *efficio*, cum de conclusione ponitur, *sequitur*, aliis. Sed quid horum similis quam hoc: *concedo, ut ita sit*, conflata sentiendi et permittendi notione? (Cfr., quae ad I, 14 dicta sunt.) Atque huic cognatum est *assentior*, etiam *teneo, retineo*, ut sentiendo efficere quodam modo videamur, ut aliquid alicuius modi sit. Perspicuum etiam illud, quod Cicero numquam dixit: *probo, ut ita sit*. [nisi longe aliter II de Inv. 105], sed bis saltem (hic II, 108, Tusc. III, 5): *qui probari potest, ut* cet. (In hoc opere III. 43 *ut* non annectitur approbandi verbo. sed toti sententiae, hoc modo: *ut hoc idem approbandum sit nobis, (ita) ut* cet.) Iam in adiectivis eandem esse rationem, vel inde manifestum fit, quod Cicero numquam dixit: *veri simile est, ut*. quater in libris, qui extant: *non veri simile est, ut*, id est fere: *non fieri potest, ut*; similiterque dicitur *integrum est, ut*, alia. Atque hinc particulae *ut* usus transfertur ad omnia illa, quae per adiectiva sic enuntiantur, ut levis aliqua sit facti effectusve consecutionisque significatio et a declaratione sive indicio de subiecta sententia declinatio. Pro Flacco 65 cum Cicero sic dicit: *Quid in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est quam. si quis despiciatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?* hoc significat: *quid tam vulgo fit?* Si posuisset: *quam dici*, significasset: *quid tam notum et saepe dictum est?* Atque hoc ad hunc quoque locum, a quo sum orsus

nesciat! Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et iucunditate quadam perfunditur.

1. *quid voluptas scit* (sic) L 2. *quoniam* [A]E 3 *quare* (pro *quia*) C esse om. Or.

dicere, pertinet. Nam si sic dixisset Torquatus: *eum — nescire*, tantum, mirum id esse, simpliciter iudicasset (*dass er nicht weiss*); nunc simul dubitare se ostendit, fierine possit (*dass er nicht wissen sollte*). De Divin. II, 5 (*magnificum et gloriosum, ut*) et de Orat. II, 178 (*nihil est in dicendo maius, quam ut faveat oratori is cet.*) Ciceronis animo observabatur effectus notio (*efficere, ut*). Sed satis multa dixi; universam enim rem declarare volui, non singula persequi. [Cfr. Haasius ad Reisigii scholas n. 483 p. 556 sqq.]

quid et quale sit) Secutus sum cum Bremio optimorum codicum (etiam Pal. 1 et Spir.) non ipsam scripturam, sed vestigia aperta; nam nec asyndeti vehementia, maior etiam in interrogando, ferri poterat, nec *quidem* hic poni, ubi nulla est circumscriptio et unius ab aliis separatio (vid. ad I, 70). *Quid et quale sit* prorsus eodem modo ponitur I, 29, Tusc. III, 11. [B ut Erl.]

hanc esse sentiunt) *Esse* omisit Gzius, sequens Spir., cum in Gud. utroque et Bas. poneretur post *omnes*. Miror tantum dissensum, cum Erl. [etiam B] cum ceteris meis consentiat; nec infinitivum abesse posse credo. Nam pro eo, quod est *intellegunt*, quomodo § 50 *sentiunt* ponitur, hic, omisso infinitivo, dure diceretur, nec puto ita dici cum duplici accusativo; sic enim accipiendum esset: voluptatem cum dicunt, hanc sentiunt. [Cfr. tamen Off. I, 124, III, 75.] Multo autem minus propria significatione accipi *sentiunt* potest; neque enim disputatur, quae voluptas sentiatur et percipiatur ab omnibus, sed quae iudicetur voluptas esse. ut ostendatur, Epicurum cum insita animis notione pugnare. *Sentio esse* autem hac iudicandi (non vulgari animadvertendi) significatione (de sententia et decreto) rarius omnino, sed recte dicitur; [hic 4: *sensit, in omni disputatione id fieri oportere*; V, 23: *si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam*;] Tusc. V, 82: *qui cum finem bonorum esse senserint congruere naturae, — sequatur necesse est cet.*; Acad. I, 22; ad Attic. VII, 6, 2; de R. P. I, 45: *probandum esse sentio* (Orellius ex Heinrichii coniectura *censeo*); de Legg. II, 32: — *quid sentias? Egone? divinationem — esse sentio* (sic enim pro *censeo* recte codd.); ad Fam. I, 7, 5; [de Or. II, 84].

7. Quid ergo? istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intellegere quidem se posse, ubi sit aut quod sit ullum bonum praeter illud, quod cibo et

1. *inquit* transp. post *ergo* LPMCR 3. *quidem se* om. E *se* om. R
4. *quid sit* (LPM)Or. *quo cibo* E *aut* (pro *et*) COr om. L

Apparet, incipere hic inconstantiae Epicuri et ab usu loquendi discessionis expositionem, sed. cum aliquamdiu subsistatur in ea parte voluptatis Epicureae commemoranda, in qua is cum vulgo consentiat, non statim nec recta via eam reprehensionem perfici, sed inde a § 18, ubi de *indolentia* ab Epicuro in voluptatis locum et nomen inducta disputatur. Itaque *quia* ea fere ratione positum est. de qua dixi ad I, 18.

7. *istam voluptatem, inquit*) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Editiones ante Gruterum et ceteri Gzii codd., ut nostri deterioris; nec is ordo per se improbandus est; vid. Acad. I. 13.

quippe qui testificetur) Verba Epicuri e libro *περὶ τέλους* praeter Diogenem (X, 6) et Hesychium Milesium Athenaeus paulo pleniora ponit VII p. 278 F et 280 A, coll. XII p. 546 E: *Ὅ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τὰγαθόν* (*ἔγω, τί νοῆσω τὰγαθόν*, Diog.), *ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδέϊας κινήσεις*. Transtulit paulo etiam plura Cicero in Tusc. III, 41: *Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud* (confirmat Diogenis scripturam), *detrahens illas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae auditu et cantibus, detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest, mentis laetitiam solam esse in bonis. Laetantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium, quae supra dici, fore, ut natura vis potiens dolore careat. Eadem significantur I N. D. 111. Corrigendus est Ciceronis locus in oratione in Pison. 69, ubi eandem Epicuri sententiam attingit; editur enim: *Iste — testificari, tabellas obsignare velle, Epicurum disertum dicere; est tamen: dicit, ut opinor, se nullum bonum intellegere posse demptis corporis voluptatibus*. Eloquentiam Epicuri Piso non curabat, nec ea a Philodemo in dubium vocata erat; scribendum est: *Epicurum desertum dicere; etenim dicit, ut opinor cet. Desertum Epicurum clamabat ab iis, qui decretum de corporis voluptate non tenebant.**

quod sit ullum bonum) Sic recte vet. edd. (etiam Ascens., Crat., Vict.); postea ex Aldina irrepsit *quid*; quaeritur, quod-

potione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur? Quasi vero me pudeat, inquit, istorum aut non possim, quemadmodum ea dicantur, ostendere! Ego vero non dubito, inquam, quin facile possis, 5 nec est, quod te pudeat sapienti assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus. Nam Metrodorum non puto ipsum professum, sed, cum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse; septem autem illi non suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt. 10 8. Verum hoc loco sumo, verbis his eandem certe vim volup-

1. *potione* om. L *aut auri delect.* E 2. *vero* om. LPMCR 3. [*pos-*
sunt A¹] *ista* E *dicuntur* C 5. [*sapienti* om. A¹] 7. *putant* LPMCR
8. *tantum bonum officium* E [*voluisse* A¹] 9. *omnium suff.* M 10. *Verum*
— *vocant* citat Non. p. 121; (*verum* — *voluptatis* id. p. 396) *de verbis* Non.
p. 396 *üs* LM

nam ullum praeterea bonum sit. Tum *aut potione* ex ed. prima pervenit in Aldinam et deinceps in ceteras; et Mars., Crat., Vict., restituitque Dav. e Par. 2, Mead. Ball. (Εξχψ [B]); repugnat Gzius. sed de codd. tacet. *Verò* post quasi Grut. addidit e Pal. 1; erat etiam in Spir. [B]. Idem cum Erl. [B] *ista* pro *ea*. Incommode et putide idem pronomen repe- teretur.

sapienti) „Non est in Pal. 1, nisi a manu longe recen- tiori.“ Grut. Etiam si *ei* substitueris, deerit aliquid ad sententiam: sapienti et quidem ei sapienti, qui cet. De Epicuri professione cfr. Cat. Mai. 43, Plut. Non posse svaviter cet. 18 p. 1100 A: σοφὸν δὲ μηδένα φάναι πλὴν αὐτοῦ γεγονέναι. (Verba ἐπὶ τῶν μαθητῶν corrupta sunt; nam neque ad φάναι pertinere possunt neque memorabile erat, hoc coram discipulis dictum esse, ubi etiam minus offensionis haberet, quam si coram aliis.)

(*Nam Metrodorum non puto*) Metrodorus Epicuri collega sa- pientiae appellatur I N. D. 113, *paene alter Epicurus* hoc libro § 92. Itaque saepe tamquam duo huius disciplinae principes coniunguntur. Tusc. II, 8, N. D. I, 86, Plut. Non posse svaviter cet. c. 2, 8, 13. *Puto* etiam Pal. 1, Spir., [B.] Gud. 2, mg. Crat. Ceteri. qui indicantur, et edd. ante Gzium *putant*.

8. *Epicurum nosse*) Est idem fere, ac si dixisset: *ostendere, se nosse*, agnoscere nec tamquam ignotam et alienam reicere. Sed Cicero dixit sic, quod supra posuerat *ignorat* et *nimis etiam novit*. Nec coniungendum est *verbis nosse*, quod quid sit, Davisius iure dubitat, sed *his verbis est: cum his verbis utitur*.

tatis Epicurum nosse quam ceteros. Omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur, Graece ἡδονή, Latine voluptatem vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis, quam quo te aut Epicurum reprehensum velim. Ego quoque, inquit, 5 didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprehenderim. Tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quid dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere? Teneo,

1. non nosse Non. notasse cum mendi nota Or 2. hilaretur [A]E hiaret L hiarent PMR hiant C [hedonem A] hedoneum codd. Non. 4. inquit (pro inquam) L quidem om. E 5. [reprehensum A'] 6. dicerem libent. L te om. LPMR deprehenderim C rem deprehenderim PMR 7. inquit E [Hieronymus A] quod [A]LPMCROr. 8. bonum summum E

Eodem modo dixit in Tuscul. III. 42, nisi quod ablativus ille abest: *Atque haec quidem his verbis, quibus ut intellegat, quam voluptatem norit Epicurus.* Davisius et Gzuius scripserunt *notasse*, quod nec ad illa quam ceteros aptum est et aliter dicitur de nomine imponendo tamquam nota. Bremius *verbis his* deleri volebat. Pro codicum et Nonii scriptura etiam Klotzius multis verbis disputavit, Quaest. Tull. p. 51-54. Attractionis genus, quo *quam ceteros* dicitur, id est, *quam ceteri norunt*, nunc etiam in libris pervagatis commemoratur [Gr. Lat. § 402 b]: itaque hoc tantum addo, durissime eo usum Ciceronem in libro I N. D. 86: *Non animadvertunt, hic eum ambigue locutum esse, sed multis aliis locis et illum et Metrodorum tam aperte quam paulo ante te*, id est, *tu locutus es*; nihil enim omnino hoc pertinet ad aliorum sententiam et animadversionem, qui Velleium non audierant, sed ab ipso Cotta additur. Livius etiam, qui vulgaria exempla habet VIII, 14, 11, XXXIX, 24, 11, durius sic locutus est in participiali, non infinita, oratione XXXIV, 32, 16: *Nam et Messenen, uno atque eodem iure foederis. quo et Lacedaemonem, in amicitiam nostram acceptam.* — *cepisti.* Contra attractionem neglexit Cicero pro Rosc. Am. 105, de leg. agr. II, 61, ad Att. IX, 11 A extr., Livius perdure XXXII, 21, 12 et XLII, 37, 8: *Achaeis indignantibus, eodem se loco esse,* — *quo Messeni atque Elli* (etsi ibi scriptura coniectura adiuta est), Corn. Nep. Paus. 5.

quo sensus hilaretur) Veram scripturam, quam Nonius conservavit, Victorius restituit: *hilaetur* etiam Pal. 1. Spir., [B.] mg. Crat. Deteriores (Pall. cett., Dav., Oxx., Gud. 1, 2) *hilaent*; Bas. *hilarent.* [Bakius *titillaretur*; debuit saltem *titilletur*] *quid dicat*) Recte hic Erl. [et B], etiam ξχ (ceteri editores

inquit, finem illi videri nihil dolere. Quid? idem iste, inquam, de voluptate quid sentit? 9. Negat esse eam, inquit, propter se expetendam. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat; nam, 5 ut paulo ante docui, augendae voluptatis finis est doloris omnis amotio. Non dolere, inquam, istud quam vim habeat, postea videro; aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem; dici enim 10 nihil potest verius. Estne, quaeso, inquam, sitienti in bibendo

1. *inquam* om. LPMCROR. 2. *quid* om. E *causam* (pro *eam*) C 3 *se ipsam* MCO. 4. *equidem* (om. *et*) E 6. *cum non dolere* LPMR *tum vero dol.* C *dolere* E *istud* om. L 7. *video* LP 8. *nihil valde* E *est* om. F 10. *inquam* om. L

nihil annotant); nam quaeritur, qua in re Hieronymus summum bonum ponat. Eius notio plenius et gravius exprimitur, additis illis *quo putet cet.*, quae Davisius iniuria omitti volebat. De Hieronymo Rhodio nihil, quod ad philosophiam attineat, praeter hanc unam sententiam traditur, quae commemoratur hic 35, 41, V, 14, Acad. II, 131, al.

idem iste, inquam) Reperi verbum, quod cum Erl. consentiebant Eξ, ut idem in aliis bonis codd. fuisse putarem. [Et est in A et B.] Videtur etiam offensionem habere verbi eius in hac frequenti personarum mutatione uno et altero loco omissio, cum id longe plurimis locis ponatur; quamquam mox omittitur (*Aliud igitur cet.*) et [iterum post paucos versus: *eademne, quae cet. et*] paulo post § 17 (*Ergo in eadem cet.*) et supra I, 28 *inquit* in simili orationis forma; [cfr. IV, 62, V, 77 et 83]. Excidit interdum compendio notatum; vid. var. script. ad III, 14, IV, 2.

9. *propter se*) *Ipsam*, quod vulgo additur, Gzius abesse ait in tribus suis codd. optimis. Omittunt etiam [AB,] cod. Vict., Ox. E.

Et quidem, inquit) „Multi codd. *equidem*.“ Gzius. Est ita in Eξ [B] pervagato errore. Concedit Torquatus et remotionem argumenti adiungit; vid. ad I, 35.

Non dolere) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B]. Ceteri Pall., quinque Davisii, Oxx. Eχ, duo Gzii *cum non dolere*, El. 1, Par. 2 *tum non d.* Gud. 2 *cum vero d.* Lambinus *tuum non dolere* coiciebat, prave posito pronomine et ab altero (*istud*) diiuncto.

voluptas? Quis istud possit, inquit, negare? Eademne, quae restincta siti? Immo alio genere. Restincta enim sitis

1. *ista* EOr. *posset* LPMCR *inquit* om. E [hic habet A,] *ante possit* LPMCROr. *eędemne* [A']E *eademne, inquam, quae* (L)Or. *quae* om. R 2. *sito* E *siti* — *enim* om. LR *nam restincta* MC *enim* om. P

Quis istud possit, inquit, negare) *Ista* „tres optimi“ Gzii et Bas. [B]. Sed hic necessario ad unam illam rem, de qua quaesitum erat, refertur pronomen; evertatur conclusio, si cum Gzio interpreteris *istud et talia*; et quae sunt illa talia? [*Istud* A.] *Possit* iidem „tres optimi“ [et A et B. sed hic post *inquit*, ut antea edideram]. Et recte sic scribi Ern. voluerat; altera illa interrogandi forma (*quis posset?*), quam Gzcius, etsi primus *possit* edidit, multorum locorum exemplo defendi putat, cum de praesenti tempore negatur, e medio nostro sermone est, non Latino, qui unum fert: *quis dicat? credat?* similia. Ad praeteritum tempus refertur: *quis diceret?* Sed puerilia haec sunt. *Inquit* „in scriptis multis desiderari“ Gzcius ait; sed addit, *inquam* post *eademne* servare tres optimos suos, quod ex Erl. [A, etiam B] falsum esse perspicitur; perturbavit igitur haec. Et *inquam* omittunt praeter meos e Dav. Parr. 2, 3, Mead., CCC (ξ), Ball. (ψ), Ox.χ et, opinor, paene omnes.

alio genere) Fuit, qui *alia genere* scribi mallet, non recte; abundabit enim vitiose *genere*, quoniam de nulla alia diversitate, velut gradus, cogitari potest. Nec tamen, quod non sine causa addubitatum est, ponitur pro *alius generis*, audito *voluptas*, sed auditur totum: *Est ei voluptas*, adiungiturque *alio genere*, id est fere, alio modo, ut [III, 24: *vita agenda est certo genere quodam*; cfr. V. 26; Tusc. III, 11; de Orat. II, 185: *alio quodam genere mentes iudicium pernovet*;] Verr. II, 149: *uno genere circumscribere* (excludere) *genus hoc aratorum*; [ad Att. I, 13, 2, II, 6, 2 et 20, 4. VI, 2, 4: *duobus generibus*. Non ita multum a genetivo distat Verr. V, 29: *iste novo quodam genere imperator*]. Apud scriptores paulo inferioris aetatis interdum *genere* plane pro eo, quod est *modo*, dicitur, maxime apud Senecam, ut *omni genere* de Benef. II, 7, 2, et ibd. 10, 2: *parum* (est), *si fenerare cogitas; sed si dare, quo genere accipienti maxime profuturum est, dabis*. *Contentus eris te teste* (si sic interpunxeris, defensum erit *dabis*, quod Muretus omisit, Ruhkopffius non intellexit); id. Epist. 77, 13: *animam variis generibus emittunt*. Nec aliter Quintilianus X. 5, 2: *libros Platonis edidit hoc genere* (exercitationis causa) *translatos*. [Plinius Hist. Nat. VIII, 26: *tutiore genere*. Plura ex inferioris aetatis scriptoribus Io. Rhodius Lex. Scribon. v. *genus*.]

stabilitatem voluptatis habet, illa autem voluptas ipsius re-
 stinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissi-
 miles eodem nomine appellas? 10. Quid paulo ante, inquit,
 dixerim, nonne meministi, cum omnis dolor detractus esset,
 5 variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed
 tu istuc dixisti bene Latine, parum plane. Varietas enim
 Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus
 coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia: varium
 poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna, voluptas

1. *habet voluptatis habet* R Post *habet* add. *inquit* [A]LPMCROR.
 2. *res* om. L *tam* om. R [*difficiles* A¹] 3. *quia* E 6. *istud* MC
dixisti MCR *parum* om. PR [*plene* A¹] 7. *proprium* C *quidem mors*
paribus E 9. [*pena pro poëma* A¹]

Restincta enim) Sic etiam Spir. [B] et Gud. 2, mg. Crat.,
 et ita tacite Grut. et Dav. *Exciderat enim* in nonnullis, ut
 in cod. Vict. *Inde nam restincta* Oxx. EU χ , Gud. 1, Bas.,
 aliquot edd. vett.

voluptatis habet) Quod vulgo additur *inquit*, omittit etiam
 Spir. [B], nec videtur sic e prima sententia (*Immo alio genere*)
 in alteram causalem reici potuisse. (Repetitur in altera sen-
 tentia ante vocativum I N. D. 17. Alius sunt generis, quae
 ad III, 20 annotabuntur.)

10. *nonne meministi*) Non improbabilius Bremius: *non memi-*
nisti, si modo certum est, Latinos id constanter secutos esse,
 quod primum occurrit, ut *nonne* tum dicatur, cum affirmatum
 aliquid iri putemus. *non*, cum quaerentes admiremur aliquid
 non fieri. Hoc enim Torquatus dicit: *oblitusne es*; cfr. paulo
 post § 16: *Tu — non vides — ?* Sed difficile est iudicium, quo-
 niam in ipso *ne* a nostro sensu discedunt Latini, cum dicunt
Estne et similia. Et videntur interdum in illa quoque ratione
nonne dixisse; certe eadem corrigendi necessitas et alibi erit
 et hic libro V. 86: *Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala?*
 Nam hoc dicit: *Credis igitur non esse mala?*

istuc dixisti) *Istuc* Grut. tacite, *istud* Gzsius (et codd. Oxx.
 EU χ). *Dixisti* dedit Vict., tum Grut. e Pal. 1, et tenuerunt
 ceteri; habet etiam Spir. [B] (Oxx. EU χ *dixisti*.) Nolui delere,
 quod fieri potest, ut ipse Cicero scripserit; etsi si is ea syn-
 copata in loquendo et scribendo usus est, aut constanter id fecit
 aut saltem saepius quam tribus quattuorve locis (hic et III
 N. D. 23 et ad Att. V, 9, 2, XIII, 32, 3; pro Caec. 82
 non reperitur haec forma in codicibus Ciceronianis, sed e

etiam varia dici solet, cum percipitur e multis dissimilibus rebus dissimiles efficientibus voluptates. Eam si varietatem diceres, intellegerem, ut etiam non dicente te intellego; ista varietas quae sit, non satis perspicio, quod ais, cum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse, cum autem 5 vescamur iis rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum, sed non augeri illam non dolendi voluptatem, quam cur voluptatem appelles, nescio.

IV. 11. An potest, inquit [ille], quidquam esse svavius 10 quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam; nondum enim id quaero; num propterea idem voluptas est,

1. *varia etiam* C ex PC 2. [*dissimilis* A] *dissimiliter* LPMCRor. 2. *efficientes* E 3. *te* transp. ante non L, ante dicente P 6. *his* LCR afferunt E 7. [*quæ* A] *quae* LPMCR [Eh „compendium incertum“] 10. *ille inquit* EPC *ille quidquam inquit* L 11. *dolore* E 12. *enim* om. L *quaero id* M *prope* (pro propterea) LPCR *proprie* M

Quintiliani codd. arcessitur); nam propria causa, cur his locis ita scripserit, nulla omnino est; ergo casus hic. dominatur.

dissimiles efficientibus voluptates) Sic scriptum erat in „aliquot veteribus libris“ Lambini et edidit Gruterus e Pal. 1; solum etiam *dissimiles* in mg. Crat. annotatur; Spir. cum Erl. [B] praeterea *efficientes*, errore; ceteri, ut nostri deteriores. Adiectivum merito tenuerunt Davisius et Ernestius; neque enim de modo voluptatis efficiendae agitur, sed de dissimilibus voluptatibus in unam variam confluentibus. *E multis* omnes Gzii codd. (Ox. ψ); in edd. erat fere *ex*. Mox I. F. Gronovius (ad Liv. XXII, 39, 2) in codice optimaee, ut ait, fidei scriptum vidit *etiam dicente*, unde infelici coniectura effecit: *etiam indicente*.

quod ais) Dixit paulo brevius, hac sententia: *quae in eo posita sit, quod, ut ais, — in summa voluptate simus* cet. Haesit Davisius nec intellexit Gzius.

qui faciat) Sic scribendum esse Dav. viderat; edidit Ern. et ex Erl. et Spir. Gzius. [B ut Eh.] In motu enim, non in voluptate, causa varietatis est. Nec huc pertinet, quod § 75 ea voluptas, quae in motu sit, facere aliquam varietatem dicitur. Nam hic nec in unam notionem coniungi potest *in motu voluptatem*, ut *in motu* divellatur a verbo *esse* intellegaturque ἡ ἐν κινήσει, et additur *voluptatum*.

Cap. IV, 11. *inquit [ille]*) Contrario ordine edd. pleraeque ante Manutium. et omnes Gzii codd. [etiam B]. Subiecti sic

quod, ut ita dicam, indolentia? Plane idem, inquit, et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, ut id totum in non dolendo sit, id tenere unum, id tueri, id defendere? 5 12. Quid enim necesse est, tamquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? Invidiosum nomen est, infame, suspectum. Itaque hoc fre-

1. *idem* om. E 3. *inquit* E *ita* om. E 6. *conc. virtutum* L 7. Ante *invidiosum* add *Sed forte dicitis* LPMCR *inane* E *infamiae* LPM et *infamiae* C *subiectum* LPMCR *frequenter hoc* L

ipsi verbo *inquit* a Cicerone praepositi Heindorfius ad I N. D. 17 tria exempla citavit, de Orat. I, 149, II, 31, III, 90. Adde eiusdem operis III, 47. et 190, nec tamen dubitationem excludo, quod omnia ex uno aere sunt, in quo codicibus utimur tantum recentibus. Accedit I de Divin. 8. Sed ut ibi cod. Heinsianus pronomen omittit, sic hoc loco suspectum id eo magis fit, quod nusquam in toto hoc colloquio (a. c. 3, 6 ad 6, 17) additur nisi. ut par erat, initio (6) et in fine (17). [Apud Livium item semel VIII, 7, 5 est: *Manlius inquit.*]

propterea) Sic etiam [A.] Spir., mg. Crat. Ceteri Gzii *proprie* (Gud. 2, Bas) aut *prope* (etiam Oxx. Εξχψ), quod Marsus et Crat. ediderunt. [B *praeterea.*]

indolentia) Utitur Cicero eadem voce § 19, in Tusculanis (III. 12). in libris de Officiis, usus postea Seneca est. Quod Sidonius Apollinaris in epist. ante carmen XIV Ciceronem *indoloriam* alicubi dixisse narrat (quamquam Sirmondus in antiquo cod. *indolentiam* invenit), id, etsi pro adiectivo ab infimae aetatis scriptoribus dictum est (vid. Savaro ad Sidon. Apoll. l. c.), adeo a Latina vocum derivandarum lege abhorret, ut Ciceroni sub stilum subire non potuerit.

Plane idem, inquit) *Idem* omittunt etiam Spir. et Bas. [B *plane quidem.*] Superiores nullam scripturae discrepantiam annotarunt. Recte una illa voce affirmari in respondendo poterat, ut apud comicum utrumque dicitur *planissime*. Minus accurate Cicero sic orationem continuavit, quasi dixisset: *num indolentia idem est quod voluptas?* Mox ante *constituito* excidit *ita* (ob a te) etiam in Spir. [B] et Bas.

12. *Invidiosum nomen est*) Stultum additamentum (neque enim ab Epicureorum parte haec dicuntur) et in voce *forte* (pro *fortasse*) soloeicum omittunt etiam Pal. 1, Spir., [B,] cod. Vict., Eξ, ex editoribus primus Victorius, nisi quod retinuit *sed* (*Sed*

quenter dici solet a vobis, non intellegere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum saepe), etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intellego, quid sit ἡδονή Graece, Latine voluptas? 5 utram tandem lingvam nescio? Deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerint? Quod vestri

1. *quid* (pro *quam*) E *Epic. dicat* L 2. *mihi quando* E 4. *in disp. sum* L [*solet* A¹] 5. *haedonae* A 6. *utrum* E [*lingvam* A¹] *qui sit* E *quid sit* R 7. *voluerunt* [A]LPMCROr. *nostri* E

invidiosum), quod sustulit Gruterus. Erant illa verba in Pall. ceteris, Davisianis, Oxx. Uχψ, Gzianis reliquis tribus.

infame, suspectum) Sic Pall. 1, 3, Spir. (*insane*), [B,] mg. Crat., ξ, restituitque Grut. Cum *suspectum* transisset in *subiectum* (χ), hinc factum est: *infamiae subiectum* (in Davisianis, Gud. 2, Bas.), in aliis praepositum *et* (in Pall. ceteris, si modo ad hoc Gruterus attendit. et fortasse duobus Oxx. et Gud. 1), quomodo ante Gruterum edebatur. *Suspectum* Bremio non placebat, quod minus esset quam *infame*; sed recte infamiae nominis ipsius additur suspicio, quam de hominibus excitat.

voluerint) Omnes edunt *voluerunt*, de codicibus tacent; tacuit etiam de Erl. [cui adiungitur B] Gzianus. Ad hanc quoque partem orationis pertinet vis sententiae pendentis et tantum cogitatae.

Quod vestri quidem) Pronomen *quod* cum Cicero rettulisset ad id, quod involutum erat in illis: *sciant, quicumque* — *voluerint* (ut voluntas sufficiat, nihil opus sit discere), addidit epexegesin, explicatius idem subiungens, *nihil opus esse cet.*, notissima figura (ad Fam. XIII, 40: *si ulla mea apud te commendatio valuit, quod scio multas plurimum valuisse*; cfr. ad I, 67). Tamen haeserunt Davisius et Ernestius; Bremius causalem particulam putabat, responderique superiori interrogationi, non sane apto responso; Gzianus autem, qui nihil non efficit inauditis particularum significationibus *quod* docet esse *quoad hoc* et *quidem* esse *sane*. Ne Matthiaeus quidem recte haec ab illo, quod dixi. epexegetico genere diiunxit, ut *quod* esset *in qua re*, quam significationem non habet. Tantum interdum, ut in Verr. I, 119 (quem locum is citat) *quod* initio orationis ad totum referri videtur, deinde explicatio subicitur paulo angustior. Deinde Ernestius, ironiam non animadvertens, malebat *vel optimi*, falsa sententia, quasi minus ab iis expectandum fuerit, quod ipsius scholae auctoris decretum erat.

quidem vel optime disputant, nihil opus esse, eum, qui futurus sit philosophus, scire litteras. Itaque ut maiores nostri ab aratro adduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem
5 viros, sed certe non pereruditos. 13. Ergo illi intellegunt,

1. *esse opus* E *eum* om. C 2. [*philos. qui fut. sit* A] *qui phil. fut. sit* LPMCROr. 3. *abduxerunt* (LP)Or. om R 4. *plagis* [A]E *pelagis* LMR *Pelasgis* (P)C 5. *certe* om. L [*eruditos* A¹]

futurus sit philosophus) Sic etiam Spir. [B.] et Gud. 2. De ceteris codd. nihil ab editoribus ad alterum ordinem annotatum est.

adduxerunt) Sic „Pall. meliores“, [B.] Ox. U (Davisius et Gzius tacent). Non hoc praecipue significatur, remotum ab aratro Cincinnatum esse, sed arcessitum in urbem.

de pagis omnibus) Certa est haec Turnebi (Advers. IV, 8) emendatio, praecepta a correctore cod. El. 1 proximeque accedens ad optimorum codd. scripturam *de plagis* (Pal. 1 et duorum praeterea, Spir., [B.] Mor., mg. Crat., Gud. 1, Eξ). (*Plaga* de tractu et regione, ne quis id conetur defendere, si mirum Livii locum exceperis in libro IX, 41, 15, poetarum est et eorum, qui Plinii Maioris aetate et exemplo poetica sectantur; mirum illum locum dico, quod vox illa in partibus populi et exercitus commemorandis de incolis definitae cuiusdam et descriptae Umbriae partis ponitur, quo significato nusquam omnino alibi dicitur. Hoc loco praeterea neque praepositio de neque sententia illas *plagas* recipit.) Ex *plagis* factum *pelagis* est (in tribus Pall., Par. 3, Mead., Ball., Gud. 2, Bas.), tum *Pelasgis* (in CCC Davisii, etsi Oxx. diserte scribunt ξ habere *plagis*, edd. antiquis, etiam Ven. 1480 insecutisque usque ad Lallemandianam). Interpretari P. Victorius conatus est (Varr. Lectt. I. 10) ex eo, quod Stephanus Byzantius in voce *Χίος* eumque secutus Eustathius ad Dionys. Perieg. 535 narrant, antiquitus Graecos in Italia (*τοὺς Ἰταλιώτας*) *Pelasgis* pro servis, quemadmodum Spartiatis Helotibus, usos esse. Et res tota Ciceroni sine dubio ignota erat, et certe ab hac comparatione non minus remota quam a Ciceronis lectorum notitia; nec dici potest colligere de *Pelasgis*. Ceterum apud Stephanum verissimum esse *Pelasgorum* nomen nec cum Rathio et Gzio subiciendos *πελαστιάς*, inspicienti facile patebit.

13. *idem* [*esse*] *dico voluptatem*) Si retinetur *esse*, haec est sententia: „Voluptatem dico esse idem (id est, eandem rem). quod ille *ἴδονήν* esse dicit“, quod totum perversum est; neque enim de re (*esse*) agitur, quid sit et in quo posita

quid Epicurus dicat, ego non intellego? Ut scias me intellegere, primum idem [esse] dico voluptatem, quod ille ἡδονήν. Et quidem saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco et quod idem valeat; hic nihil fuit, quod quaereremus. Nullum inveniri verbum potest, quod 5 magis idem declaret Latine, quod Graece, quam declarat

1. quod E 2. id est (pro idem) R esse sine uncis Or. voluptatem dico MC 3. [hedonem A'] equidem (om et) E [quaeremus A'] 5. verbum om. LPMCRor. 6. quam Graece E quod Graece ἡδονή Or.

voluptas, sed de nomine, disputaturusque Cicero de vi ac notione rei primum dicit, pro Graeco Epicuri nomine se Latinum substituere, quod idem significet: „Quam rem ille ἡδονήν appellat, eandem ego voluptatem“. Aut igitur delendum est esse aut potius scribendum: *idem ego dico*, ut huic pronomini contrarium sit alterum *ille*. *Dico voluptatem* omnes Gzii excepto Gud. 1, et sic edd., quae R sequuntur, ante Manutium (Crat., Vict.); ab illo inde tacite editum ex C *voluptatem dico*.

idem declaret Latine, quod Graece) Aperta sententia est. nullum esse Latinum nomen, quod Graecum sibi respondens magis exprimat, quam voluptas exprimat (id, quod ei respondeat). Sed confusa notione nominis, quod duplex est, Graecum et Latinum, et rei, quae una est, negligentius et brevius Cicero sic dixit, tamquam unum esset eiusdem rei nomen Graecum et Latinum, retinuitque idem subiectum in utraque parte sententiae (*idem declaret Latine quod Graece*), cum alterum substitui deberet (*quod Graece Graecum*). Hanc sententiam cum Davisius non perspexisset, post *Graece* e cod. Ursini (scimus, qualis sit) et quod in El. 1, pessimo, spatium vacuum esset, addidit ἡδονή, pessumdato toto loco. Sic enim hoc tantum dicitur. *voluptatem* melius quam alia *huius rei* nomina exprimere Graecum ἡδονήν; non posse *in hoc nomine* meliorem reperiri interpretationem. Itaque poterat, quamvis nihil esset melius, tamen ipsum parum Graeco respondere et summa esse causa melioris interpretationis requirendae. Et tamen non solum omnes vocem illam tenuerunt, sed Gzius in Erl. et Spir. narrat esse *hedone*. De Erl. fallitur, paene dixi, mentitur, in tam diserta affirmatione, in tali re; nam qui mihi codicem contulerunt, vocem, quae erat in exemplo edito, deleverunt. Non minus, mihi crede, erravit de Spir. [*Verbum ante potest addidi nunc ex A et Erl. et B.*] Mox *iucunditatis svavem* etiam Spir. [B] et Gud. 2. Ceteri editores tacent alterum ordinem tenentes [cum A].

voluptas. Huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiciunt, laetitiam in animo, commotionem svavem iucunditatis in corpore. Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit, eandem, quam
 5 ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum esse se narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo (vitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiunt,

1. qui Lat. sc. qui ub. sunt E 2. laetitiam om. C ratiocinationem (pro commotionem) PR 3. iucund. svavem E iucunditatis om. L 4. laet. nim. LPMCR 6. quo L 7. sic om. E

Nam et ille apud Trabeam) De et, cui respondere debebat alterum et in ea sententia, qua de corpore explicaretur, dictum est in exc. ad I, 23. Trabeae comici versus fere integer prodit e Tusc. IV, 35: *ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitratur*; initium tale fuisse: *Ego voluptatem animi nimiam*, apparet ex II ad Fam. 9, 2. Recentiores editores, excepto Th. Benteleio, haec sic litterarum formis distinguunt, quasi *laetitiam* Trabeae verbum sit, quem Cicero interpretatur, cum voluptatem animi nimiam dicat, laetitiam intellegere. Annotanda brevitatis in *dicendi* verbo, qua ipsa dicendi et significandi intellegendique potestas conflatur. [Cfr. Sen. de Ir. I. 3, 5.] *Laetitium nimiam* transponebatur ante Vict.; is e cod. emendavit, secutique ceteri sunt, de codd. tacentes; apparet ex Erl. [et AB] in melioribus rectum fuisse. Caecilii quoque Statii versus Cicero in eadem epistula significat: *Repente vero incessi omnibus laetitiis*; ubi etiamsi *incessi* quoque a poëta sumptum putetur, nihil tamen est, cur credamus aut perfectum, quod Cicero ad suam rem accommodate posuit, apud poëtam fuisse aut id verbum hic quoque a Cicerone positum esse. Dico propter Gzium.

qui eam sic definiunt, sublationem) Videtur sic abundare, cum ipse accusativus subiciatur. Nec tamen unius Erl. auctoritate, in quo tam multa errore omisa sunt, delere ausus sum [ne nunc quidem, etsi accedit B], quoniam defenditur similitudine eiusdem particulae *statuendi* verbo praepositae, sequente infinitivo, pro Cluent. 47: *sic statuunt. per C. Fabricium — insidias Habito comparare*, et pronomini hoc eodem modo abundantis in Verr. II, 9: *hoc statuerunt, aut istius iniurias persequi aut — sedes suas relinquere* (utrumque exemplum sumpsit a Wesenbergio. Observatt. crit. in orat. pro Sestio, Viburgi 1837. p. 58), multoque magis particula *ita* prorsus eodem modo posita in hac ipsa definitione Tusc. IV, 13: *quam ita definiunt, sine ratione animi elationem*;

sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui), non dicitur laetitia nec gaudium in corpore. 14. In eo autem voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quae sensum aliquem moveat, iucunditas. Hanc quoque iucunditatem, si vis, transfer in animum; 5 iuvare enim in utroque dicitur ex eoque iucundum; modo intellegas, inter illum, qui dicat:

Tanta laetitia auctu' sum, ut nihil constet,
et eum, qui:

2. neque R 4. sensuum R moneat iucunditatis R permoveat L 5. in animo PMCR 6. ex eo quo L interdum (pro iucundum) E 8. auctus codd. et nihil constetur E ut mihi non constem LMC 9. et om E

cfr. hic II, 34, IV, 25, V, 26 et Hand. Turs. III p. 482 et 483, qui huc referre debuit etiam Acad. II, 113 et pro Arch. 11(?). [Wesenb. Emend. Epist. I p. 110. Cfr. III, 53.] Definitio Zenonis Graece extat apud Diog. Laërt. VII, 114: Ἡδονὴ δὲ ἐστὶν ἀλογος ἔπαρσις ἐφ' αἰρετῶν δοκούντων ὑπάρχουσα. Alios locos, in quibus idem dicitur, collegit Davisius ad Tusc. l. c.

nec gaudium) Cum admonnisset, voluptatem dici communiter, laetitiam tantum de animo. adiunxit, quod vicinum erat, gaudii eandem esse rationem; gaudium autem dixit philosophorum more de placido et constanti animi bono fruentis motu; vid. Tusc. l. c.

14. *In eo autem*) Nescio, num editores intellexerint; tacent enim; interpretes Germani non intellexerunt, qui coniungunt: *ponitur in eo. cum.* ut haec cum superioribus prorsus non cohaereant et, quasi nihil ante dictum sit, nunc demum universe definiatur, quid sit voluptas. Sed Cicero cum ad priorem partem generalis definitionis (*laetitiam in animo*) explicandam de animo dixisset et in ea commemoratione corpus nominasset (*in corpore*), adiungit: *in eo autem*, id est, *de corpore ponitur voluptas, cum* cet. Itaque hic explicatur commotio illa *suavis iucunditatis in corpore*. Sed laetitia in solo animo dicebatur; iucunditas in utroque (*Hanc quoque* cet.). Ad etymologiam commendandam Gzius apte comparat *facundus, fecundus (iracundus, verecundus)*.

ut nihil constet) Verba sunt incerti comici, in quibus *constet* est *stabile firmumque sit*; omnia animo et sensibus confundi et perturbari significatur. ut homo. ubi sit, quid agat, nesciat. Similiter Cicero Tusc. IV, 35, fortasse hunc ipsum versum significans, scripsit: *tum efferetur alacritate, ut nihil ei*

Nunc demum mihi animus ardet,
 quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur, esse
 illum medium:

5 Quamquam haec inter nos nuper notitia ad-
 modum est,

qui nec laetetur nec angatur; itemque inter eum, qui po-
 tiatur corporis expetitis voluptatibus, et eum, qui excrucie-
 tur summis doloribus, esse eum, qui utroque careat.

V. 15. Satisne igitur videor vim verborum tenere,
 10 an sum etiam nunc vel Graece loqui vel Latine docendus?
 Et tamen vide, ne, si ego non intellegam, quid Epicurus
 loquatur, cum Graece, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua
 culpa eius, qui ita loquatur, ut non intellegatur. Quod

2. [ē pro esse A¹] 4. nuper om. LPR 6 laetentur nec angantur C
 7 expetitis corp. COR. voluptatis E crucietur [A]LPMCR 9. viam E
 12. si aliqua E

constet, quod agat. Nec tamen ideo hic requiri videtur mihi, ut
 eodem modo expleta a poëta sententia credatur. Est autem
 haec scriptura et bonorum codicum et, paucissimis exceptis,
 deteriorum (mg. Crat., El. utriusque, Par. 3, Mead. Davisii,
 Oxx. omnium, Gzii item, nisi quod Erl. [ut B] leviter aberrat;
 Grut. tacet); edidit sic Victorius revocavitque, commendante
 R. Bentleio, Gzios. Quod edebatur: *ut mihi non constem*, Davi-
 sius dicit esse in Parr. 1 et 2, Ball. (Oxx. negant). Nobbjus
 sic haec disposuit: *tanta laetitia auctu' sum, Ut nihil constet*.
 Sed potest initium esse versus trochaici, *nihil* in unam sylla-
 bam contracto.

Nunc demum — ardet) Caecilii Statii verba sunt ex patris
 severi persona, quae pleniora ponuntur pro Cael. 37: *Nunc
 enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira*.
 Numeros explere conatus est Beierus ad Off. I, 76 p. 178.

Quamquam haec) Chremetis Terentiani sunt verba, ipso
 initio Heautontimorumeni, ubi Menedemum increpat. *Nuper
 excidit etiam* in Gud. 1, Oxx. $\chi\psi$.

excrucietur) Compositum verbum pro simplici Gzios e quat-
 tuor suis codd. sumpsisse se ait; erat saltem in Erl. [et B]. Sed
 idem paulo ante in Erl. et Gud. 2 ait esse *item* pro *itemque*, de
 Erl. falso. Pro *expetitis* Th. Bentleius malebat *exquisitis*, speciose.

Cap. V. 15. *qui ita loquatur*) Davisium, ut tolleretur in-
 svavis concursus membrorum similiter cadentium (*loquatur —
 intellegatur*), scribi volebat *loquitur*, idque Gzios se in „tribus
 potioribus suis“ repperisse scribit et probat; recepit Otto.

duobus modis sine reprehensione fit, si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui *σκοτεινός* per-

2. qui om L *scotinus* codd. (*scontinus* P *scotinos* C)

Redarguit testimonium Erl. [et B]; ipse autem Gzius ad IV. 67 in „tribus optimis“ non hic, sed paulo ante (*non intellegam, quid Epicurus loquatur*) loquitur legi narrat; [et id ibi e B notatur]. (Ipse foedum soloecismum probabat; arripuit ac pro testimonio posuit Ramshornius p. 713, dignum reliquo mendorum acervo.) Recte Bremius negavit indicativo hic locum esse; neque enim circumlocutio haec est. absolutam notionem continens, ut cum dicitur: *qui audiunt*. sed necessaria pars sententiae pendentis, in qua a certo subiecto (Epicuro) transitur ad generis notionem (*eius hominis, qui, ut hinc efficitur, sic loquatur*), et causali etiam nexu implicata. Neque enim raro in huiusmodi notatione subiecti simul significatur causa iudicii, quod de eo fiat, aut omnino eius qualitas, et ob eam rem coniunctivus ponitur [Gr. Lat. § 364, not. 1]. velut [infra 102: *idque testamento cavebit is, qui nobis quasi oraculum ediderit* cet., et statim: *Haec non erant eius, qui — peragravisset*, I, 71, II, 27, IV, 11, Verr. III, 221: *Absolvite eum, qui se fateatur* cet., Phil. II, 39: *Et eius viri nomine me insectari audes. cuius me amicum, te sectorem esse fateare?*] I N. D. 55: *Quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia?* (Dav. videntur malebat;) ibd. 116: *An quidquam eximium potest esse in ea natura, quae nihil nec actura sit unquam neque agat neque egerit?* Insolenter Cicero eam significationem omisit paulo post 117: *Quid est autem, quod deos veneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil videmus?* Expectabam videamus.

si aut) Offensus est Lambinus, diligentissimus orationis ad regulam compositae exactor, quod non ex eodem *si* aptum sequitur aut, sed *aut cum*; ergo transposuit, ut esset aut *si*. Cicero interdum in talia incidit; vid. ad I, 33. [Cfr. *ne aut — aut ne*, pro Rosc. Am. 82; *cum et — et cum*, de imp. Pomp. 49; Liv. XLIV, 22, 2: *cum aut — aut quo die*.]

cognomento qui) Verba esse veteris poetæ (Lucilii, ut videtur), intellexerunt Muretus ad Aristot. Eth. II, 3 et F. V. Reizius. Apparet ita esse, praeterquam quod in verbis *quia — memoravit* versus hexameter ipse auribus occurrit. *quia* in unam syllabam contracto, ex voce *cognomenti*, quae comicorum est et eorum scriptorum, qui antiqua aut obsolescentia retinuerunt aut obsoleta revocarunt, Sallustii, Mes-

hibetur, quia de natura nimis obscure memora-
vit, aut cum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non
intellegatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus
autem, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte
5 loqui, nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut ma-
thematici, sed de illustri et facili et iam in vulgus perva-

3 [Platone A] 4. nec vult L et apte C 5. nec de (pro aut) L
6. facili etiam in omnes pervulgata LPMCR

sallae, Taciti (cfr. de *obsidii* nomine in exc. ad I, 44), tum ex
verbo *memorandi*, praesertim absolute cum praepositione *de*
posito; nam ipsum *memorare* rarissimum est apud Ciceronem,
qui *commemorare* dicit (vid. Zumptius ad Verr. I, 122); postremo
ex positu verborum *cognomento qui*. Etiam *perhibetur* fere
poëticum est; vid. Opusc. Acad. I p. 200 (ubi *ter*, non *bis*
dicere debebam; nam etiam de R. P. II, 4 Cicero orationem
variens scripsit: *dicitur — perhibetur — fertur*); saltem *doctum*
perhibere, ut esset *appellare*, numquam Cicero dixit. In priore
versu *qui* a Cicerone positum videtur orationis vinciendae
causa, cum alia vox in versu esset. *Σκοτεινός* a Latino
poëta positum in memoriam revocat Cassii Heminae locum
apud Nonium p. 515 voc. *perplexim*: *Prudens perplexim scottino*
scribit. In *scottino* latet *σκοτεινός*, a grammatico interpretandi
et vertendi causa additum. De Heraclito Cicero sine dubio
famam sequitur, non ipse iudicat.

et iam) Recte post Manutium Gzius separavit, quod erat
etiam; inepta enim hic erat vehemens illa per asyndeton ad-
iectio. Qui calumniari volet, quaeret, quid ad Epicurum per-
tinet, quod *iam*, id est, post Epicurum illa pervagata in
vulgus essent. *Pervagata* etiam [AB,] mg. Crat., Spir., El. 2,
restituitque post Manutium Davisius. Solet ea vox, ubi de
rebus notitia late manantibus ponitur, partim a librariis, par-
tim a primis editoribus cum altera permutari, hic quidem eo
ineptius, quod additur *in vulgus*; cfr. III, 5, in Verr. II, 85.
Pervulgantur res usu et possessione, cum multorum fiunt et
vulgares. Itaque probo eos, qui inversa ratione de Inv. II,
113 scribunt: *ne is honos nimium pervulgetur*, ubi editur *perva-*
getur (cfr. § 114, ad Herenn. IV, 11; Liv. I, 10, 7). E *per-*
vulgata natum in Gud. 2 *permulgata*, in Vict. cod. *promulgata*;
qui error mihi versatus esse videtur etiam in eo codice, e
quo Zumptius et postea Klotzius in Verr. II, 104 ediderunt:
in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso promulgata. Nam
promulgare nisi de lege et rogatione proponenda numquam aut

gata loquitur. Quamquam non negatis nos intellegere, quid sit voluptas, sed quid ille dicat; e quo efficitur, non

1. loquatur E non (pro nos) E 2. ex COr. efficitur E

Cicero aut alii in prosa oratione ponunt ante Plinium: nam pro Murena 30 *proeliis promulgatis* poëtae sunt verba; significatur *edictis*, quasi signo proposito. *Pervagari* autem res *ab aliquo* sane non dicitur; itaque in illo codice latet, quod coniectura iam repertum erat, *pervulgata*, ut pro Sulla 42 tabulae dicuntur *dividi, pervulgari, edi populo Romano*. [Caes B. C. II, 19 *edicto pervulgato*; unus et alter cod. *promulgato*.] *Loquatur* (post *pervagata*) etiam [B] Eξ.

e quo efficitur) Praeter C aliae quaedam veteres editiones (Ven. 1480, Crat., Vict.) *ex*, ut solet Cicero ante litteram q (Beier. ad Lael. 78); sed in talibus optimos codd. sequor. Tum *efficitur* „tres illi optimi“ Gzii [et B].

non ut nos non) Sic meliores (Pal. 1 et „trini illi“ Gzii); [in B *excidit non post nos*,] in vulgaribus partim *nos*, cui *ille* contrafium est, ut in Pall. tribus, Mead., Eξ, Bas., partim *nos non* (in Pall. duobus, Uχψ, Gud. 1), cum librarii orationis structuram non expedirent. Sed videtur aliquid esse, quod post Ascensium Davisius et Bremius e Parr. 1 et 2 ediderunt: *non ut ne intellegamus*, saltem si addatur *nos (ut nos ne)*. Sed utroque modo dici potuisse, ut nulla sit causa, cur incertissimam auctoritatem optimaе praeferamus, ipse ostendit, quem illi citant, locus ex § 24: *ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum*. Totum locum de *ut non* et *ut ne* [breviter comprehendi Gr. Lat. § 456 cum notis, singulatim] erudite complexus est Wesenbergius in Annotationum in Cic. Tusc. specimine primo (Viburgi 1830), p. 23 sqq., qui tamen in eo genere sententiarum obiectivarum, ad quod hic locus pertinet, ubi verbis quibusdam agendi, ut *facio*, maximeque impersonalibus (*fit, restat, sequitur, efficitur*) subicitur *ut non*, non recte secutus esse videtur inanem Grotefendii distinctionem, sic poni *ut non*, ut tantum *ratio (Grund)*, non *causa efficiens (Ursache)* significetur. Nam hoc discrimen neque in particulis inest neque ad exempla accommodatum est. Neque enim in huius libri § 24, quo exemplo utitur, ullum tale est discrimen, sed, cuius rei causa illa et ratio sit, cuius non sit, quaeritur, et ut illo loco *ut ne* ponitur in eo, quod negatur effici (*non ut ne —, sed*), sic hoc loco in eodem ponitur *ut non* (*non ut non —, sed*). Res potius sic intellegenda est. Ea verba, quae voluntatem et studium efficiendi significant, ut paene notio finis et consilii insit, velut *oro, peto*,

ut nos non intellegamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum neglegat. 16. Si enim idem dicit, quod Hieronymus, qui censet summum bonum esse sine ulla molestia vivere, cur mavult dicere volupta-
 5 tem quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui, quid dicat, intellegit? sin autem voluptatem putat adiungendam eam,

1. nos om. LPR nos non om. MC 3. dicat LPMCR 4. sine aliqua L
 6. putat dicat adiungendam [A]LPMCR illam LPCR

praecipio, curo, cett., propterea semper habent aut *ne* aut *ut ne*. etiam *caveo*, Lael. 99 (ubi Wesenbergius recte scribit: *Quid ut ne accidat, magis cavendum est?*), ad Qu. Fr. I. 1, 38, Liv. XXXIV, 17, 8, ut dicitur etiam *caveo ut*, id est, *operam do*, [et *interdico*, de Or. I, 215]; ea contra verba, in quibus generalis inest significatio rei effectae et consequentis, quod magis inclinant in sententiarum effectivarum naturam, fere *ut non* habent, raro, nec tamen numquam, *ut ne*, accedente levi significatione studii et voluntatis; (*non efficitur, ut ne*. hoc est, *non efficitur, quod vultis, ut ne*).

16. *Si enim idem dicit*) *Dicat* etiam in aliorum deterioribus libris fuisse, ostendunt Oxx. EUξ. Indicativus iam apud Crat. legitur. Paulo post Man. et Lamb.: *qui quid dicat, intellegitur*. ut hoc contrarium esset illi, quod de Epicuro dictum erat: *ita loquitur. ut non intellegatur*. Verum et parum commoda sententiae forma est (ut enim appareret, Hieronymi perspicuitatem loquendi, non lectorum acumen laudari, sic potius scribendum erat: *ita dicit, ut intellegatur*), nec necessaria aut apta mutatio. Refertur enim hoc ad id, quod superius (§ 6) dictum erat, ipsum Epicurum nescire, quae vis subiecta esset ei voci, qua uteretur; id Hieronymum scisse significatur.

putat adiungendam) Sic etiam Spir. [B], et sic scribendum esse iam Lambinus et Davisius viderant. Mire Gruterus etiam e Pal. 1 profert, quod est in malis codicibus (Pall., Dav., Gzianis, Oxx. χψ) *putat dicat*, repetito verbo e superioribus. In ξ prava coniectura omissum est *putat*. Deinde *eam*. ut ed. Crat. et fere ceteri praeter Davisium, etiam Pal. 1, Spir., [B]. Ceteri *illam* (Pall. quinque, apud Dav. quattuor, Ox. ζ, Gzii tres). In loco planissimo turbatum est a Rathio. Hoc Cicero dicit: Si Epicurus, ut expleatur finis bonorum, ad doloris vacuitatem adiungendam putat eam voluptatem, quae sit in motu, cur haec diversa conflare in unum et alteri illi etiam principatum tribuere conatur? *Tendit* paulo brevius Cicero dixit de conatu rem contra repugnantes obtinendi, ut

quae sit in motu (sic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in stabilitate), quid tendit? cum efficere non pōssit, ut cuiquam, qui ipse sibi notus sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur. Hoc est vim af- 5
ferre, Torquate, sensibus, extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. Quis est enim, qui non videat, haec esse in natura rerum tria? unum, cum in voluptate sumus, alterum, cum in dolore, tertium hoc, in quo nunc equidem sum, credo item vos, nec in dolore nec in voluptate, 10

1. fit LR in motu fit MC 2. dolent E 3. notus sibi LPMCROr.
4. prospexerit [A]E 5. videtur E est enim vim L 6. cogitationes [A]PC
7. enim est [A]PMCR 8. in (ante voluptate) om E 9. hoc quidem in C
10. quidem sumus [A]LPMROr. sumus (om. equidem) EC idem [A]EOr.
quidem LPMCR nos ER neque secundo loco R Post nec in vol. add.
esse Or.

fere idem sit ac *contendit*. quemadmodum Lambinus scripsit. Livius *tendere* sic ponere solet, apud Ciceronem nihil plane simile legi. (Gzius ascribit *κατὰ τί τείνει*, fingens, ut solet, inaudita Graeca, ut Latina explicet, si aliae nugae paratae non sunt.) Alterum *in motu*, quod particulae *sic* ex abundantanti superadditur, ut respondeat sequenti *in stabilitate*. Daviusius tolli volebat, eodem iure, quo paulo post § 20 Ernestius verba *ex duabus*, quae propter *unam* addita sunt, tolli iubebat, quod praecederet *ex his*, id est, ut iam Bremius monuit, nullo. Tum *notus sibi* [etiam contra A et B] omnes tacite.

cognitiones verborum) *Cogitationes*, frequenti permutatione, „quattuor priores“ Pall. (miror de 1), Oxx. Uχ; Dav. et Gzius silent. Satis insolenter *cognitiones* dicuntur, quae *notiones* videntur potius appellandae fuisse, quemadmodum Ursinus, ut solet, in suo se codice repperisse scribit. Nam *cognitio* verbi aliter dici videtur, ut *cognitiones rerum* III. 17 *καταλήψεις* sunt. Sed ipsa verba ignota fieri videbantur, cum sic alio detorquerentur. Et alio quoque modo *cognitiones* pro *notionibus* Cicero dixit de N. D. I, 36: *cognitiones deorum* et ibd. 44: *insitas eorum* (deorum) *vel potius innatas cognitiones habemus*. [Quod Bakius *verborum* deleri vult, eam similesque coniecturas omittendas, nunc saltem, puto.] Mox *est enim* Gzius e „tribus optimis“ [B]; ante erat *enim est*.

equidem sum, credo item vos) ἐν ᾧ ἐγώ εἰμι, οἶμαι δὲ καὶ ὑμᾶς (οἶμαι δὲ καὶ Πρόδικον, Plat. Prot. p. 314 C; vid. Heindorfius); Cic. Lael. 7: *ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola*; hic V, 76, ubi Cicero scripsit: *quod item fratri puto*,

ut in voluptate sit, qui epuletur, in dolore, qui torqueatur.

1. *sint* — *epulentur* — *torqueantur* R (*torquentur* P)

poterat scribere: *credo item fratri*. [Ad Qu. Fr. II, 1, 1: *ego quod ad me attinet itemque arbitror ceteros, idcirco taceo.*] Latebat haec scriptura non obscure in optimis et fere omnibus codicibus: *quidem* (hoc in Erl. [et B] casu excidit) *sumus credo idem vos* (*idem* mg. Crat., Pall., si Grut. recte scripsit, omnes, [B]; *credo quidem*, quod ante Grut. edebatur, Dav. annotat ex Mead. et Ball., videturque fuisse in Oxx. Uχψ; Gzius oblitus est de suis codd. dicere. Deinde *nos* est in [B] EUξχ; ex ceteris non annotatur). Quid enim apertius quam Ciceronem, cum prius de se affirmarit, adiungere, se idem de Torquato et Triario credere? Itaque contraria sunt *equidem* et *vos*; (habent *equidem* Eξ felici emendatione;) nec *sumus* dicere Cicero potuit, quo communiter de se et alteris posito, perinepte additur cum dubitatione (*credo*) id ipsum, quod iam affirmatum est. Nam quod Gzius *sumus* ad solum Ciceronem referri narrat, non potest, ubi contrarii ego et alii sumus, dici: *sumus* (de me ipso) — *vos*. Item Ernestio debetur, qui sensit, *idem* (id est, ego idem) sic dici, tanquam aliud prolatum esset Ciceronis iudicium, quocum hoc compararetur. Deinde *credo idem* integram postulat sententiam; itaque ante Schuetzium, qui recte verba distinxit, *idem* reliquit, sic haec continuabant: *credo idem vos nec in dolore nec in voluptate esse*, seiuncta descriptione generis ab eo, cui necessario adiungenda est, *tertium hoc*. Sed *esse*, sine quo haec ne speciem quidem rectae orationis habent, mire editores non animadverterunt, in nullo omnino esse codice, quod satis ostendit eorum, qui commemorantur, consensus (Pall. omnium [etiam B] et meorum et cod. Vict. et, quos alia de causa Dav. nominat, Ball. et Mead., quamquam de Oxx. tacetur). [Morelii tamen cod. dicitur habuisse *credo quidem nos — in voluptate esse.*] Gzius quomodo „iustae dubitationi locum exemerit“, lepidum est videre, inducta parenthesis a *credo* usque ad *esse* et verbis *nec in dolore nec in voluptate* divulsis ab his *ut in voluptate — in dolore*.

ut in voluptate sit) Uberius res exemplis declaratur (*ita ut cet.*), sed duobus tantum primis generibus positis (*in voluptate. in dolore*), cum sequi tertium deberet (*nec in voluptate autem nec in dolore, qui cet.*), quod difficile erat relativam sententiam apte specialibus exemplis explere, quoniam in eam omnia cadebant, quae duobus primis generibus non continebantur, orationis progressum Cicero abrupto aliterque absolvit: *Tu autem cet.*, prorsus eodem modo, quo in libro I, 45 et 46. Hoc cum non intellexerent veteres quidam editores, pro

Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiectam non vides nec laetantium nec dolentium? 17. Non prorsus, inquit, omnesque, qui sine dolore sint, in voluptate, et ea quidem summa, esse dico. Ergo in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum ipse non sitiens, 5 et eum, qui illud sitiens bibit?

VI. Tum ille: Finem, inquit, interrogandi, si videtur,

1. *interiectam* om E 3. *omnemque* R *sit* LPMCR 4. *ea quam* E *esse* om. M *enim* (pro *ergo*) C 7. *Tu* E *inquit* om. C [*interrogantis* si A *interrogandi fac si* A²]

ut scripserunt *cum* (ed. Venetus 1494. ceteri ante Gruterum), ut haec contraria ponerentur proximo superiori (*cum contra*). Pluralia verba ut R habent item Eξ et veteres quaedam editiones (Mars., Crat., Vict.).

interiectam non vides) Participium omittit etiam Spir. [B]. in Gud. 2 transponitur: *interiectam hominum*. [Id iam ante dubitaram an horum codicum mendum, non melioris familiae testimonium esset. Recte me dubitasse, ostendit A.]

17. *Non prorsus, inquit*) Tusc. IV, 8 est: *Prorsus non arbitror*. Gzius sic differre tradit, ut hoc sit *gar nicht*, illud *nicht gar*. quod sane quis dicat nullo praecipiente; quis enim nescit *omnino non* et *non omnino*? sed hoc ipsum *nicht gar* vehementer ab hoc loco abhorret; non enim Torquatus se ex aliqua tantum parte, non omnino, videre dicit, sed prorsus negat. Sed eodem modo Cicero III de N. D. 21 dixit: *Nullo modo prorsus assentior*, id est, *prorsus nullo modo*. Cfr. Lael. 57. Itaque talis erat huius particulae natura, ut ne praeposita quidem negatio ad eam pertineret, sed ad verbum, aufereturque particulae vi. [Cfr. C. F. W. Müller in Philol. IX p. 612, qui Terentium And. II, 6, 4, Heautont. V, 1, 21 *nil prorsus* eodem significatu, quo Heaut. IV, 5. 28 *prorsum nil* dixisse admonet.] Nec ullo, opinor, loco eo modo positum reperitur *non prorsus*, quo *non omnino*. Mox de copulativa particula (*omnesque*) ibi posita, ubi nos adversativam expectabamus, pleni sunt commentarii his viginti annis scripti. Scilicet eadem sententia continuatur primum negando, deinde affirmando. Vetus accusativi forma (*omnis*) ignorata in deterioribus codd. (etiam χ. Gud. 2, Bas.) genuit *sit*. De omisso *inquam* vid. ad § 8.

Cap. VI. *Finem, inquit, interrogandi*) Ad orationis formam cfr. IV, 1: *finem ille*, et N. D. III, 94: *Cotta finem*; vid.

quod quidem ego a principio ita me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum
5 sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici; omnem vim loquendi,

1. [male A¹] 2. provideas P provideras L 5. [inquit A¹]

ad I, 9; sed imperativi omissionem ne nostrae quidem linguae respuunt, animo in una notione obiecti haerente. Graeca exempla in vetando (*μή, μή μοι*) collegerunt Brunckius ad Sophoclis Antig. v. 577, L. Bosius p. 636 Schaeff., al.

quod quidem — *ita me malle*) Est aliqua non magna abundantia orationis, id, quod in relativo generaliter inest, distinctius per epexegesis exprimentis addito *ita*; offensusque est Davisius. Prorsus eodem modo (sed in demonstrativo) § 28: *cur id non ita fit?* Eiusdem generis haec sunt (unum et alterum a Wesenbergio subministratum): supra I, 26: *quod tibi ita videri necesse est*; infra V, 77: *quod nisi ita efficitur*; pro Mil. 31: *si hoc nemo vestrum ita sentit*; II de Divin. 21: *quod certe vobis ita dicendum est*; I de N. D. 84: *Istud quidem ita vobis dicere necesse est*; Tusc. V, 46: *quod ni ita tenebimus*; Parad. prooem. 3: *quod cum ita putarem*; de Legg. II, 31: *Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio*; ad Attic. XVI. 9: *quod quidem ita credo*. Alia quaedam exempla habet Handius in Turs. III p. 485, n. 10, qui miro errore p. 492 in hoc et alio simili loco, quem non reperio (ad Att. IX, 14 non est), *ita* vult esse *tanto opere*, opinor, etiam novo modo (quoniam haec diiungit ab aliis, quae posuerat p. 473 et 487), ut absolute intellegatur paene pro *valde* (*was ich sagte, dass ich so sehr wünsche*). Quintiliani locus pertinebat ad p. 496, monueratque iam Spaldingius, Plauti ad p. 488 (cfr. v. 44). [Pro Rosc. Am. 26: *id ita futurum*; pro Font. 36: *si hoc ita perlatum erit*; Verr. III, 133: *nisi hoc ita stasuissets*, IV, 106: *hoc — sic arbitrantur*; de imp. Pomp. 24: *hoc fere sic fieri*; pro Arch. 2: *hoc ita dici*; in Pis. 81; ad Fam. VII, 3, 6: *quod tibi ita videri*; Cat. Mai. 82. Etiam Terentii et Livii exempla aliquot sunt.]
non etiam philosophorum) Non satis ad id, quod hic obicitur, respondet Cicero, sed, quidquid continua oratione dicatur, rhetorice dici statuit.

Zenonis est hoc Stoici; omnem — dicebat) In edd. (etsi in antiquioribus non facile intellegas, utrum velint) fere post *partes* plenius inciditur, ut prior sententia infinita pendeat a verbis *est hoc*, in quo et male divellitur oratio (nam Zenonis

ut iam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae dicamque, si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa 5 forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. 18. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspicendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi, ruit in di- 10 cendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult,

1. *Aristotelem* L [*Aristoteles* A hic et § 19] Post partes add. *dicere* LPMCR 2 *pugnīs* [A]LPMCR 3. [*comprehensius* A¹] *comprehensius* R 6. *loquamur* C 7. *cum* LC 10. [*sit quidque* A] *ac ratione* et C 11. *docet* (pro *docere*) LPMCR

propria non tam haec divisio erat quam comparatio illa) et, quod sensit Walkerus (ad Cic. N. D. III. 9), haec omnia: ut — *Aristoteles* alieno loco posita sunt; nam post *Stoici* poni debebant; frustra obloquitur Gzius. Propter pravam distinctionem in deterioribus codd. (Pall. quinque, sine dubio Davisii, etsi tacet, Oxx. Εξχψ, Gud. utroque) et edd. ante Grut., excepta Manutiana, additur *dicere* post *partes* (*Zenonis est hoc — dicere*). (Omittunt etiam Spir. [B] et cod. Vict. Gzius audiri putat.) Poterat etiam in illa distinctione offendere nominativus *Aristoteles* non plane accommodatus grammaticae ad structuram; sed hunc defenderent similia exempla, ut IV. 6: *ut Stoici* et 9: *quam veteres*, Acad. II, 124: *ut Xenocrates* (Lamb. *Xenocrati*), de Divin. I, 72, Tusc. V, 49, Off. II, 50. De re videndus Sext. Emp. adv. Math. II, 7: Ζήνων ὁ Κιτιεὺς ἐρωτηθεὶς, ὅτω διαφέρει διαλεκτικὴ ῥητορικῆς, συστρέφας τὴν χεῖρα καὶ πάλιν ἐξαπλώσας, ἔφη· Τούτω, κατὰ μὲν τὴν συστοφὴν τὸ στρογγύλον καὶ βραχὺ τῆς διαλεκτικῆς ταύτων ἰδίωμα, διὰ δὲ τῆς ἐξαπλώσεως τῶν δακτύλων τὸ πλατὺ τῆς ῥητορικῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. Alios veterum locos ibi collegit Fabricius.

pugni similem) [Ita in Erl. esse Gzius, priores mei collatores, Halmius affirmabant; nunc ex eo ad *pugni* annotatur *pugnīs*, ut ex AB, Davisianis, Oxx. EUχ, Gzii reliquis. 1874.] Ante Davisium edebatur *pugno*, nescio a quo primum invectum; est iam in ed. Veneta 1494.

18. *docere vult*, — *distinguit*) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B], edideratque iam Lamb., dein Grut.; in cod. Mor. erat,

ulla arte distingvit; ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest. Quam si explicavisset, non tam haesitaret; aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur, quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem, aut; si magis placeret suo more loqui quam ut

Omnes Danai atque Mycenenses,
 10 Attica pubes,
 reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur, hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum

1. *illa* E *distingvi* LPMCR + *exhūaret* (sic) L 7. *scirent* (pro *possent*) C 9. *aut* [A]ELPCR 10. *ut artica* E 11. *grecie* E 12. *appellant* E

ut „ascriptum habuit“ Scaliger. *doceri vult*. Deteriorum scriptura annotatur tantum ex Oxx. $\chi\psi$; itaque Eξ rectum habuisse videntur. Paulo ante *et ratione ac via* annotatur in mg. Crat. (pro *ac rat. et v.*) editurque tacite inde a Grutero.

suo more loqui quam ut) Miro errore Marklandus (ad Statium p. 330), cum *quam* pronomen relativum putaret (*voluptatem*), deleto *ut* omnem sententiam pessumdedit, habuitque obsequentes Ernestium et Bremium. Contraria sunt enim *loqui suo more et loqui ut omnes Danai loquuntur*, comparaturque, uter modus magis placeat. Itaque Bremius, semel deceptus, plura et maiora molitus est. Gzius *ut* restituit, causam erroris non intellexit.

atque Mycenenses) Sic, ut versus postulat, Lambinus (et Turnebus Adversar. II, 17), eratque sic, si credimus, in „Scaligeri vetere“ et Eliensi (2?) apud Dav. Ceteri *aut*, quod Gruterus ait in omnibus Pall. esse, Gzius etiam in Spir. et Erl. [B] *Ut* ante *Attica* (*attita* Gud. 2. *arctica* Bas.) etiam Spir. [B *aut*], prava repetitione; nam ne quis scribat: *quam ut omnes Danai, ut Mycenenses, ut Attica pubes*, non solum ineptissima diiunctio, cum nominum coniunctione omnes, qui ubique sint, significantur, sed versus dissolutio prohibet, quem servatum esse et Ciceronis mos et verba *hoc anapaesto* ostendunt. Est ex incerta tragoedia. *Citantur* ne hic quidem est, ut in lexicis explicari video, *nominantur*, sed fuit in illo cantico vocatio quaedam et citatio, ut adessent. *Anapaestum* pro carmine anapaestis scripto Cicero dixit etiam Tusc. III, 57 ($\tau\acute{o}$ ἀνάπαιστον, τὰ ἀνάπαιστα).

contemneret, aut, si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris vacuitatem cum voluptate et duobus ultimis uteretur. 19. Multi enim et magni philosophi haec ultima bonorum iuncta fecerunt; ut Aristoteles virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit, Callipho adiunxit ad 5 honestatem voluptatem, Diodorus ad eandem honestatem

1. aut (pro ut) [A]EMR probet R 3 multi autem et E 4 ut Aristoteles, qui LPMCROr. Aristotilis E summi (pro usum) E 5. Calliphon Or. adiungit E 6. voluptatem honestatem P

19. haec ultima bonorum) Generale hoc est, non de certis quibusdam dictum, cui deinde subiciuntur exempla; itaque Bremius haeret in haec, quem Gzius ita refutat, ut nihil intellegat. Sed Cicero cum dicturus esset: hoc (de quo quaerimus) *ultimum bonorum*, simul autem coniunctio illa pluralitatis (licet, opinor, grammaticorum more loqui) notionem ita afferret, ut minus recte hoc — *iunctum* dici videretur, haec dixit.

fecerunt; ut Aristoteles — coniunxit) Particulis *ut* et *velut* non solum unum aliquod nomen exempli loco adiungitur (*ut Aristoteles, qui*), sed [relativa forma, Gr. Lat. § 444 a., not. 5] sententia superiora exemplo confirmans; ut hoc libro 58 (*ut Sear. Peducaeus — venit*) et infra V, 2 et Lael. 73, N. D. I. 101, ubi fuerunt qui haerent, II, 124. Hac forma Ciceronem hic usum esse, perspicui poterat ex proximis, ubi alioqui scripsisset: *Callipho, qui — Diodorus, qui*. Eo minus ferendum est. cod. Erl. scripturam a Gzio et sine dubio ceterorum bonorum ab aliis ne annotatam quidem esse. [Om. *qui* etiam A et B.]

Callipho) Non ausus sum contra codicum consensum hic et 34 et infra IV, 50, V, 73, Acad. II, 131 et Tusc. V, 85 in nomine peregrino solam analogiam similitum nominum sequi, ut *Calliphon* scriberetur; etsi *Antipho* (II de Orat. 242) non Ciceronis est, sed comici alicuius. Sententiam Calliphontis Cicero praeter locos iam citatos non plenius commemorat V, 21, tum Acad. II. 139, Off. III, 119, distinctius autem paulo Clemens Alexandr. Strom. II p. 178 Sylb.: *Κατὰ δὲ τοὺς περὶ Καλλιφῶντα ἔνεκα μὲν τῆς ἡδονῆς παρ-εισήλθεν ἡ ἀρετή, χρόνῳ δὲ ὕστερον, τὸ περὶ αὐτὴν κάλλος κατιδοῦσα, ἰσότιμον ἑαυτῇ τῇ ἀρχῇ, τοῦτ' ἔστι, τῇ ἡδονῇ παρ-έσχεν*. Quis fuerit, non magis constat, quam de eo, qui infra V, 21 et de Off. et Tusc. l. c., tum apud Clementem sententiae eiusdem socius adiungitur, Dinomachus.

Diodorus) Hic quoque Peripateticus. Critolai auditor et

addidit vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur, et, cum uterque Graece
 5 egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere, neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine unquam utitur pro illa indolentia, quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.

10 VII. 20. Duae sunt enim res quoque, ne tu verba solum putes. Unum est sine dolore esse, alterum cum voluptate; vos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum (nam id facilius paterer), sed etiam rem unam ex duabus facere conamini; quod fieri nullo modo
 15 potest. Hic, qui utrumque probat, ambobus debuit uti, sicut facit re neque tamen dividit verbis. Cum enim eam

2. quae nec L nunc om. C 5. hec (pro nec) E 6. non doloribus P 8. [inquam A'] nunquam E 9. reb. qu. E 10. quarum (pro quoque) E solum verba LP 12. iis LM non mihi C 13. pateret LPMR 14. duobus MCR conamur E nullo modo fieri E 15. utramque PMCR uti debuit L 16. sic (pro sicut) E fecit remque tantam R re om. E remque LPMC ipsam eam LPMCR

in schola successor (infra V, 14, de Orat. I, 45), propter hanc fere unam de summo bono sententiam nominatur (in libro V, 14 et 21, Tusc. V, 87, Acad. II, 131 et apud alios, ut Clement. Alex. Strom. II p. 415 C).

Cap. VII, 20. *ex duabus*) Vid. paulo ante ad § 16.

utrumque) Sic „tres optimi“ Gzii. cod. Vict. Hic quidem paene necessarium neutrum genus, quo obscuratur separata notio singularum rerum (Drakenb. ad Liv. XLIV, 36, 2); nam *rem* nimis infinite repeteretur in hac sententia; in superiore recte *verbo* contrarium erat.

re neque) Editum est hoc e Pal. 1, coniectura antea Lambini repertum, nec discrepare annotantur Eξ; hinc orta vulgarium codd. (Uχ, cett. Gzii) scriptura *remque*; in Spir., [B.] mg. Crat., vet. lib. Manut., cod. Vict. excidit *re* ante *neque*; requiritur propter sequens *verbis*.

Cum enim eam ipsam) Non aperta nec recta via ad propositum tendere videtur ea, quae hic incipit. disputatio. Vult enim Cicero ostendere, confundi ab Epicuro utrumque genus voluptatis. Primum de Aristippeo dicit. Iam ubi ad illa ventum est: *In alio vero libro*, putet aliquis, nunc de contrario

ipsam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis; atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est oratio de summo bono. In alio vero libro, in quo, breviter compre- 5 hensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate, sunt (quis enim vestrum non edidicit Epicuri *νορίας δόξας*, id est, quasi maxime ratas, quia gravissimae sint ad

1. omnes om. R [appellant A] 3. [se uictum pro seiunctum A] seminum P 4. orat. eius est E eius orat. est L 5 ubi (pro in quo) C 6. [edisse A¹] 7. iis LM quae et nota C 8 nostrum R [cyrias doxas A] 9. quasi om. LPMCR tritas E quam gr. R sunt L

genere dictum iri. Verum ibi uberius confirmatur, Epicurum Aristippeam illam luxuriosorumque voluptatem non improbare. Deinde in hanc Cicero invehitur lateque digreditur. Itaque ad alterum genus voluptatis ab Epicuro probatum (quod levissime significatur § 22) pervenitur c. 9, 28 (*Deinde ubi erubuit* cet.), nec ita transitur, ut admodum admoneatur lector de initio disputationis et progressu. *Eam ipsam* primus Grut. Firmat etiam Spir. [B]. Ceteri Gzii, ut nostri deteriores.

ne suspicari quidem se) οὐδὲ νοῆσαι; eodem modo vertit I Acad. 7.

ubi omnis eius est oratio) in libro *περὶ τέλους*, ut dictum est ad § 7. In ordine verborum cum Erl. facit Spir. [B]; cum L cod. Bas., ed. Crat., Vict.

id est. quasi) Particulam e Pal. 1 addidit Gruterus; non deesset Spir., nisi Gzius omnino oblitus esset de codd. dicere. [Est in B.] Omnia haec verba usque ad *sententiae* fuerunt qui damnarent, iniuria; Latinam enim interpretationem verbi non tam per se obscuri quam, quomodo et qua de causa de his sententiis diceretur, dubitationem afferentis Cicero posuit, ut ei huius ipsius rei explicationem adiungeret; eamque ob causam, cum, cur hae potissimum sententiae sic appellatae essent, significaret, *maxime* addidit et, cum Latinum vocabulum in tali re parum usitatum esset, *quasi*; neque Latinum prorsus Graeco respondet; nam *ratum* est, quod confirmatur nec mutatur, *νότιον*, quod vim obtinet; itaque in altero stabilitatis. in altero auctoritatis notio eminet, quamquam ne haec quidem in *ratus* excluditur. *Ad beate vivendum* non tam ad *enuntiatae sint* (in quo haeret Davisius) quam ad *gravissimae* pertinere

beate vivendum breviter enuntiatae sententiae?) animadvertente igitur, rectene hanc sententiam interpreter: 21. „Si ea, quae sunt luxuriosis efficiencia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu docerentque, qui
5 essent fines cupiditatum, nihil haberemus, quod reprehenderemus, cum undique complerentur voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut aegrum, id est autem malum.“ Hoc loco tenere se Triarius non

1. bene (pro beate) L [enunciatae A] [animadvertente A¹] 2. interpreter E 3. efficienciam voluptatem F. [voluptatem A²] 5. haereremus MCR quod reprehenderemus om. omnes. 6. quin (pro cum) L 7. doloris C 8. idem (pro id est) E aut (pro autem) LPMCR se tenere C si (pro se) E

iam Bremius dixit. Librarius nemo talem explicationem nominis addidisset. Ceterum cum Cicero iam dixisset: *breviter comprehensis gravissimis sententiis*, non nimis eleganter in idem eum rursus incidere, non nego.

21. Si ea, quae sunt cet.) Graeca sunt apud Diog. X, 142 in sententia nona: *Εἰ τὰ ποιητικά τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλγε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τοὺς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου καὶ ἀλληδόνων, ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν, οὐκ ἂν ποτε εἶχομεν ὅ, τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς πανταχόθεν εἰσπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν καὶ οὐδαμῶθεν οὔτε τὸ ἀλόγῳ οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν.* Pro *μετεώροις* deos Cicero posuit, a re non aberrans; minus expressit discrimen *τοῦ ἀλόγοντος* et *τοῦ λυπονμένου*, quorum illud ad corpus, hoc ad animum pertinet.

haberemus, quod reprehenderemus) Duo postrema verba, quae § 23 servata sunt (paululum mutata forma, quod ibi Cicero cum uno Epicuro quasi familiariter sermocinatur), hic exciderunt propter similes terminationes (*eremus*); aliquot codd. (tres Pall., Bas., Gud. 1, cett.), *haberemus* in *haereremus* mutato, sententiam sarcire conantur. Mg. Crat. h. l. non codicis scripturam, sed supplementum e § 23 sumptum habet (*haberem quod reprehenderem*), Ox. U: *haberemus unde eos reprehenderem*.

id est autem) Sic Grut. et, excepto Bremio, ceteri e Pal. 1; est etiam in Spir. [B] et Mead. Davisii, significatque: in hoc autem ipso, quod dixi dolens et aegrum, est omne malum (*ὅπερ ἐστὶ*, non *τοῦτ' ἐστὶ*). Non memini tamen, alibi sic poni *id est autem*, quia continuativa huius particulae significatio ab hac brevi adiunctione alienior videtur; saepius sic dicitur ipsum *id est* (vid. ad I, 33) et, alia sententiae forma,

potuit. Obsecro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? Quod mihi quidem visus est, cum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit saneque fidenter: Istis quidem ipsis verbis, inquit; sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur, numquam 5 intellegam, quid sentiat; sed plane dicit, quod intellegit. Idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint. dicit absurde, similiter et si dicat, non re-

1. obsecro te P hoc L 2. [uelle A²] 3. pertimuit sane (om que) E 4. quidem inquit verbis (om. ipsis) L 5. videt E 6. quod intellegam LPMCROR. 7. se ita [A¹]E [rependendos A¹ etiam v. 8.] [luxuriosi sapientes A¹] 8. non esse repr. L

id est enim. Deteriores codd. etiam aliorum, ut Oxx. tres (nam Eξ prorsus omittunt), Gzii tres, aut, prave, quoniam ad hoc, quod utrumque superius complectitur, nihil pertinet diiunctio.

tenere se) Sic tacite Dav. et e Gud. 1 Gzius (poterat sane e pluribus), cum fere ederetur *se tenere*, minus bono ordine; nam aliter Acad. II, 12 *nec se tenuit*; [cfr. pro Sest. 117].

Obsecro, inquit) Lambinus (e vet. cod.) et Dav. ex uno Paris. *obsecro te*, sine causa. Mox *que* (post *sane*) duo praeter Erl. codd. Gzii [B] omittebant. Potest Cicero scripsisse: *pertimuit et sane fidenter.*

sed plane dicit, quod intellegit) [Debueram iam antea restituere, quod habent optimi codd., A, a Grutero iam appellatus, Erl., B, sine dubio etiam reliqui, deteriorum unus ψ. Negat Cicero, Epicurum alia sentire, alia loqui; plane eum id dicere, quod intellegat et sentiat; itaque nihil agere Torquatum, quod clamet, Ciceronem et Triarium non videre, quid sentiat Epicurus, quasi obscura aliqua et occulta sententia sub verbis lateat: *Er sagt genau, was er versteht und meint.* Unde ortum sit *intellegam*, facillime apparet; *intellegit* nemo substitutus erat.]

similiter et si dicat) Tuetur hanc scripturam, quod IV. 31 dicitur: *similem habeat vultum et si cet.* Ceterum confitendum est, multo durius hoc esse et longius progressum, quam ubi in duorum nominum comparatione et pro ac ponitur, ut post *aeque* (vid. ad I, 67); nam ea exempla multo propius accedunt ad primam formam copulationis, velut ea, in quibus est *alius et* (Hand. II p. 482). (Nonnulla quidem prorsus prave ad illud genus referuntur, ut apud Handium II p. 481 hoc: *Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae*, Ter. Ad. V, 8, 34: *pariter animo et corpore* cet.) Nec hic usus defenditur

prendendos parricidas, si nec cupidi sint nec deos metuant nec mortem nec dolorem. Et tamen quid attinet

1. *ne deos E nec mort. m. n. deos C* 2. *neque dolorem R*

iis locis, in quibus post *idem* nova sententia per *et* annectitur, ut apud Caes. B. G. I, 37; nam ibi quoque haec et illa res eodem tempore facta dicitur. Ne Graeci quidem longius progressi videntur, quam ut unum verbum verbo sic compararent, ut fecit Thucydides (V, 112, VII, 71, 6); *παρὰ πηλίστως, ὁμοίως καὶ εἰ* nemo, opinor, dixit pro *ὡσπερ εἰ*. Lambinus scripsit *similiter ut si*; recepit Otto, quomodo Cicero dixit Tusc. IV, 41, Cat. 17, de Off. I, 87. Ceterum Cicero in toto hoc loco non videtur satis certo ictu statim eam partem petisse, quae exposita erat. Comparatio parricidarum quam absurditatem ostendat, non apparet, nisi hoc dicit, inaniter totum hoc ab Epicuro poni, quod adiungat condicionem, quae numquam effici possit. Atqui Epicurus non docebat, asotos aliquando non reprehendendos *esse*, sed non *fore* reprehendendos, nisi iis necessario adiuncta pravitas aliqua esset. Et ipse statim Cicero ostendit, non esse illam necessario adiunctam, posseque esse tales luxuriosos. Nec Epicurus de asotis dixit, quos Cicero negat finitas cupiditates habere posse, sed de genere illo voluptatis, quo uterentur. Deinde, si in coniunctione rerum prorsus separatarum absurdum illud esse vult. minime, ut parricidium et doloris mortisve metus plane seiuncta sunt, sic in Epicuri sententia luxuriosa voluptas et reliqua illa. Cum enim in voluptate summum bonum ponat, ostendit, cur in corporis et luxuriosa voluptate non ponat beatam vitam eosque reprehendat, qui in illa voluntentur. Epicuri sententia, si formam spectes, in eo vitiosa est, quod nulla ex eo causa reprehendendae luxuriae nascitur, quod non omnia contineat, quae ad beatam vitam pertineant, nec apparet, gigni mortis et deorum timorem ex luxuria. Itaque quoniam et voluptates percipiunt luxuriosi et possunt esse luxuriosi nec deos nec mortem timentes, Epicurus reapse luxuriosam voluptatem eiusque studium probat, etsi alibi nihil ea opus esse iudicat. Atque huius repugnantiae, quam mox Cicero attingit. notatione contentus esse debuit hoc loco in praeparatione disputationis; cetera de ipsa luxuriosae voluptatis reprehensione declamatorie adiunguntur et turbant legendum. Mox *neque cupidi* Spir. vett. quaedam edd. (Mars., Vict.) *exceptionem dari aut fingere*) Liberius oratio post impersonale verbum transit a passiva forma accusativi cum infinitivo

luxuriosis ullam exceptionem dari aut fingere aliquos, qui, cum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat, cetera caverent? 22. Sed

1. *luxuriosis* om. LPR 3. *dum tamen cetera* L.

(de re facienda) ad activam simplicis infinitivi (de homine faciente), non sine exemplo. De Fato 23: *Id fuit defendi melius quam introducere declinationem*; ibd. 46: *Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis — petere praesidium*; Brut. 196: *quam captiosum esset populo, quod scriptum esset. negligi — et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere*; II de Orat. 177: *Proponi oportet, quid afferas, et, id quare ita sit, ostendere*; Leg. I. 56. Off. II, 82, de Inv. II, 117 (cfr. ibd. 36: *non vitam honeste actam prodesse, sed — facere iudicium*), pro Lig. 14 (in codd.). Addit Gzius V Philipp. 39. Alia quaedam collegit Heldius ad Caes. B. C. I, 32, 3. Eademne licentia apud iubeo Cicero usus sit I de Divin. 77. incertum est, quoniam ipsa signa sequi ducem dici possunt. cum proferruntur; usus est Vergilius Aen. V, 773. Livius XXVIII, 25, 9, XXXIV, 49, 3, Seneca de Provid. 1, 1 (apud placet). [Minus offensionis habet transitus, ubi infinitivus activus accommodatur verbo personali (*malo* Sallust. Cat. 8 extr. 37 extr., Liv. IX, 15, 5, XXXV, 4, 2, horreo X, 10, 11).] Simile est apud Ciceronem pro Cael. 79: *Nolite aut hunc — velle maturius extingui vulnere vestro quam suo fato, aut hunc — subita tempestate pervertere*. Sed alterum secuturum et oriturum ex iudicium facto, alterum ipsos facere, significare voluit. De verbis *viverent — reprehenderentur — caverent* sic positus, tamquam praecedat *attinuit*, conferantur, quae dicuntur ad III, 67.

eo nomine dumtaxat, cetera caverent) Haec verba quid significant, obscurum non est: hoc certe nomine illos, qui fingantur, non reprehendi, cetera autem, quae reprehendi possint, cavere. Particulae sic positae exempla collegit Handius in Tursellino II p. 336, quae augeri facile possunt; (vid. ad Fam. XII, 1, 1 et XVI, 26, 1, de Divin. II, 30 et 90; quem locum cum altero de N. D. II, 47 mire enarrat Handius II p. 333). Handius quomodo hunc locum intellexerit, qui eum inter eos ponat, in quibus haec particula significet *tantum, solum*, nescio (ibd. p. 335). Asyndeton in contrariis membris brevis orationis recte habere videtur: *hoc saltem nomine non reprehenduntur, cetera cavent*. Aliam tamen sententiam multi requisiverunt, puto, primum quod ipsa haec forma: *eo nomine dumtaxat* postulare videtur, ut de ceteris cum condicione dicatur; nam incertum esse significatur, num aliis nominibus reprehenden-

tamen nonne reprobaret, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita viverent, ut persequerentur cuiusquam voluptates, cum esset praesertim, ut ais tu, summa voluptas nihil dolere? Atqui reperiemus asotos primum ita
5 non religiosos, ut edint de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide:

Mihi sex menses sati' sunt vitae; septimum
Orco spondeo.

2 quo (pro quod) L quod (pro ut) E 3. ut om. E 4. mihi (pro nihil) E 5. [edient A' edent A²] edant LPMCROR. om. E mortem ita E 6. exenemide L exonimide M ut exiunde C ut ex Hymnide R 7. satis omnes, Or.

dantur; deinde fortasse, quod Epicuri sententiam nonnihil mutari putarunt; neque enim Epicurus tales esse luxuriosos dicebat, qui cetera illa caverent, sed ob id ipsum luxuriam reprehendendam iudicabat, quod, qui luxuriosus esset, non posset fieri, quin idem in illa incideret, mortis timorem deorumve et infinitas cupiditates. Itaque multi editores sic orationem interpunxerunt: *eo nomine, dumtaxat cetera caverent, quasi dumtaxat* coniunctio ac non adverbium esset. (Stupide Gzius primum docet esse adverbium et significare *certe*, deinde coniungit: *eo nomine dumtaxat cetera caverent*, et enarrat: *modo, cum sic appellantur*(1), *cetera caverent*. Nescio, cur Handius p. 337 locos quosdam a ceteris seiunxerit, tamquam propius accedentes ad coniunctionis naturam, nisi forte, cum dico: *excipiam certe eos aut: certe cum potero, mutatur adverbii significatio.*) Alii verba mutanda putarunt (Lamb. *dumtaxat, si modo*, postea *dumtaxat, dum modo*, Otto *eo nomine, dum modo*). Sed sana omnia esse, ipsum verbum *ingere* ostendit; nam fingebantur animo, qui illam condicionem implerent, quod cetera illa, quae reprehendi possent, caverent. Tantum minus commode Cicero in hac fictione (cum sic fere scribere posset: *qui, cum luxuriosi essent, non reprehenderentur, quod ipsa luxuria per se sine reprehensione esset, cetera caverent*) retinuit eam formam orationis, quae aptior erat in ipsa condicione proponenda (*non reprehenduntur, eo nomine dumtaxat, dum modo — caveant*).

22. *ut (uis tu) Ut* om. etiam Spir. [B], *tu* Bas. et ed. Marsi.
ut edint de patella) cultrice foci, ut appellat Persius III,

26, praeripientes dapes, quae dis et laribus ferantur. Veterem coniunctivi in hoc verbo formam aperte monstrant vestigia Pal. 1, apparetque ignotam librariis et corruptam formam (*edient*) in Erl. [et B] omissam esse. *Comedit* dixit Cicero ad Fam. IX, 20 extr, *editis pro elatis* Varro R. R. III, 2, 18.

Iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: Si gravis, brevis; si longus, levis. Unum nescio, quomodo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.

VIII. 23. Quid ergo attinet dicere: Nihil haberem, 5 quod reprobem, si finitas cupiditates haberent? Hoc est dicere: Non reprobem asotos, si non essent asoti. Isto modo ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic homo severus luxuriam ipsam per se

1. [narthetio A] nartheo LPMR narceo C 2. promant LPMCR
5. quod E habere [A]LPM 6. reprehendendum C 8. non (pro ne) R
quam (pro quidem) E 9. hoc E per se ipsam LPMCR

Horatium quoque ea forma usum, notum est. [Cur hoc de patella edere e proverbio aut comoedia sumptum putetur, nulla est causa.]

ex *Hymnide*) fabula Caecili Statii, a Menandro conversa. Davisius similem Lucilii versum ascribit, servatum a Nonio p. 283 et 526 Merc.: *Qui sex menses vitam ducunt. Orco spondent septimum.*

de narthecio proment) Sic Pal. 1 et Spir. [B] recepitque primus Davisius; non hortatur Cicero, sed describit, quales reprobetur sit. De sententia Epicurea vid. ad I, 40.

quomodo possit, si luxuriosus sit) Cum nihil interesset, utrum plures an, pro toto genere qui esset, unum nominaret, transit subito a plurali numero ad singularem. Recte Bremius comparat I de N. D. 50: *Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit cet. (est, molitur), et, ubi a singulari ad pluralem transitur, ibd. 106: hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati atque aeterni intellegantur.* Similia exempla sunt in deo et dis Epicureis ibd. 101 et 102 et 114. [Cfr. Lael. 59: quibusdam — eum.] Graeca Dav. annotavit ad I N. D. c. 19, plura Heindorfius ad Plat. Gorg. p. 478 C, idem et Stallbaumius ad Prot. p. 319 D. Gzius mavult suus videri: „Cogitabis aliquis, idque plane ex Graeco omissi τῷ more, toties apud Platonem obvio.“ Poëtae Graeci sic loquuntur; de Platone non memini; sed quid hoc ad Ciceronem? Th. Bentleius maluerat: *possint — sint*, Ern.: *possit, qui.*

Cap. VIII, 23. *Hic homo severus*) Id est, hoc loco, cum sic disputat; (annoto propter Ernestium). *Ipsam per se* habent etiam [AB et] Spir. et mg. Crat., restituit Gzius.

reprendendam non putat. Et hercule, Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est, rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant et qui de conviviis auferantur crudique
5 postridie se rursus ingurgitent, qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere. Mundos, elegantes, optimis cocis, pi-

1. [o Torquate A², o supra scripto] 2. voluptas summum bonum PC non om. L 3. fingere mihi L 4. mensa L 5. [posteri die A¹, postero die A²] [nec hoc cadentem A¹] 7. istius — venatione Non. p. 217. 8. elegantis E eligentis PR (- tes M) deligentis C catis E piscatoribus piscatu R

summum bonum vol.) Sic omnes Gziani [AB] et aliquot vett. edd. (Crat., Vict.); aliae vett. edd. et a Manutio ad Bremium ut PC. Mox in verbis *rectissime non putat* repetitur necessario non; vid. Opusc. mea Acad. I p. 333 not.

ut soletis) cum, pudore quodam, ostendere vultis, luxuriam, quam per se reprehendere constanter non potestis, tamen a vobis reici ob ea, quae eam consequantur, incommoda. Mox mg. Crat. *postero die* [ut A²]. [Alanus conicit *vos ut soletis*. Et videtur desiderari pronomen (*ut vos soletis*).]

ut aiunt) Dicebatur enim hoc vulgo in iis, qui temporis et omnium obliti vino, epulis, libidinibus se traderent. Davisius citat Athenaei lib. VI p. 273 C (de Smindyride Sybarita, qui intra viginti annos se solem aut orientem aut occidentem vidisse negavit), XII p. 520 A et 526 B, tum e Latinis Catonem Maiorem apud Senec. Epist. 122, 2 et Colum. I praef. § 16.

Mundos, elegantes cet.) Vulgo cum sententiae interitu sic haec interpungebantur, ut primum haec adhaerent superioribus (*vivere, mundos*), apposita (ut grammatici loquuntur) illis *istius generis asotos*, usque ad *aedificium*. Ex quo efficitur, ut confundantur in unum duo genera luxuriosorum, quae Cicero diligenter contraria posuit, alterum eorum, quos Epicurei fingere solebant, pecudum ritu viventes, alterum eorum, quos Cicero fingi volebat, cum elegantia quadam et prudentia inter opes affluentes voluptatem sectantes, qualis fuit Thorius Balbus (infra § 63). Atque eadem duo genera prorsus simili modo distingvit Cicero in Pison. 66 et 67. Deinde annectebatur: *Hos ego asotos bene quidem vivere* cet., quae sic posita necessario idem significare debent, quod de iisdem hominibus ante

storibus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem, quibus vinum defusum e pleno sit. † hirsizon (ut ait Lucilius) cui nihil dum

1. *is* LM 2. *quibus* proximaque apud Or. sic in versus describuntur: *quibu' vinum | Defusum — cui nil | Dempfit — abstulerit diffusum* MCR 3. *siet* Or. *hrysizon* E *hirsyphon* C *heminyphon* L *hymnyphon* M *hymnyphon* R *hir siphon* (P) *hir sirphove* Or. *dempfit* PCROr. *dempserit* L

dixit: *iucunde vivere nemo putat*. Atqui diversissima haec sunt; iucunde enim elegantes illos vivere, negare Cicero non poterat; et hoc ipsum ostendit, esse luxuriosos, qui iucundam vitam, quam Epicurus bonam et beatam putet, satis consequantur, sed tamen eos abesse a bona et beata. Veram distinctionem facile erat restituere, cum praesertim recta scriptura (*ergo*) non solum in optimo cod. [A quoque et B], sed etiam in minus bonis reperiretur (meo M et ed. R et Ven. 1480, Ox.χ, Gud. 1 et Bas.: de Erl. Gzius tacet. ne dubites de Spir.: ceteri editores turpiter silent). Sed res minus latuisset, nisi Cicero studio insectandi Epicurum orationem paulo celerius avertisset, quae sic procedere potius debebat: *Mundos* cet. — *iucunde vivere dico* (ut ex Epicuri sententia reprehendi non possint, cogaturque is eorum voluptatis genus a se expeti confiteri); addi poterat: *bene vivere nunquam dicerim*. Sed hoc, quod minus ad rem pertinebat, Cicero arripuit tamquam principale et id persecutus est; sententia tamen perlucet ex adiectis: *ex quo* cet., quibus significatur, eos voluptate frui negari sane non posse. De *ergo* in colligenda oratione interrupta cfr. ad I, 72; [ad Fam. XV, 10. 1. Hand. Turs. II, p. 462]. Similiter positum non minus fefellit editores in II de Divin. 11, qui locus sic scribendus est: *Quomodo autem mentientem (quem ψευδόμενον vocant) dissolvas aut quemadmodum soriti resistas (quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est; ut enim ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est); — ergo haec quoque dialectici dicent, non divini*. Perverse vulgo tamquam de re, quae fieri nequeat, interrogat Marcus: *quomodo — dissolvas?* Nonii nulla prorsus est in verborum coniunctione auctoritas, qui truncata et confusa saepe citat. Lateantne iam in proximis verba quaedam Lucilii in prosae orationis formam dissoluta, non potest decerni.

vinum defusum cet.) Plura ac prope omnia in his Lucilianis valde dubia sunt. [Itaque nunc, sublata versuum descriptione, quia ne ea quidem prorsus certa est, ipsam codicum bonorum scripturam notatam posui, sublatis coniecturis.]

sit vis et sacculus abstulerit, adhibentes ludos et

1. *ius* (P)C aut (pro et) (M)Or. *sarculos* LPMCR *adhibendis* E

Defusum pro *diffusum* primus Lambinus et deinceps reliqui; Gzius omnes suos *diffusum* habere tradit, falso de Erl. [quocum A et B consentiunt]; est sic in Oxx. EUξ; de vino ex maiore vase transfuso illud praestat. Tum e codicum mendis (Pal. 1 *hirsizon*, [B ut Erl.], Spir. *hirsizon*, Gud. 2 *hysyrphon*, Gud. 1 *hynim* et in margine *tyrsiphoro* et *oenophoro*, Pall. aliquot et Ox. U *hirsiphon*, Ox. E *hyrumptio*, ξ *hyrumpho*. ψ *hynimphon*; Dav. tacet) Scaliger (App. Coniect. ad Varr. p. 182 ed. 1585), cum ante aut *hirsiphon* ederetur aut interpolate *oenophoro* (Crat., Man., Lamb.) eruit *hir*, *siphon* (cui nihil dempsit), in quo cum esset durum asyndeton, Orellius *hir siphove* fecit; Gzius *hir siphone* fecerat. Enarrat Scaliger de vino integerrimo, et quod ne acescat, nullum periculum sit; nam facilius acescere, cum aliquid detractum et depletum sit; id fieri siphone hauririque, quod furtim depleatur, vola manus. (Ir scribitur apud grammaticos, Prisc. p. 648 et 698, Probum, Phocam, Alcuinum, et in gloss. Philoxeni p. 125 et 126 Vulcan., ubi redditur θέναρ, τὸ κοῖλον τῆς χειρός, sed *hir* [quod apud Charisium p. 12 restituit Keilius] propius respondet Graeco χείρ.) De pleno vase vinum conservante vere Scaliger (cfr. pro Scauro 43: *Cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse?*); *sipho* etiam aptus; de vola manus haereo; nam qui siphone utitur, in vas infundere aut de siphone bibere solet, nec, etiamsi vola manus utitur, quae tantum infusa recepit, demere aliquid dici potest; (multo minus vola manus *siphone* demit; nam siphonem nemo vola regit). Vereor etiam (in versu sic descripto: *defusum e pleno siet, hir siphove cui nil*), ut *cui* pro duabus syllabis Lucilius posuerit, quoniam ex ceteris primi Manilius (in *cuique* et *unicuique*) et Martialis (I, 104, 22) dissolverunt. Postremo verba *ut ait Lucilius* tam longe reiecta Cicero vix inter verba proxime coniuncta interiecit, sed, quae fuit causa reiciendi, ubi inter sententias commode subirent, quemadmodum I de Divin. 24 voces *ut ait Pacuvius* ponuntur post primum membrum finitum. [Nomen maioris vasis (*e pleno* —) neque ex vestigiis codicum elicere possum nec video, quomodo ablativus simul et dactylus effici possit. Nec vinum *ὑπέρσιζον* quod appellatur, composito novo nec apto (sic enim Holsteinus), intellego.]

dum sit) Sic [praeter A, B Erl.] mg. Crat., cod. Vict., Eξψ, etiam M noster. Editum inde a primis est *dempsit*; sed apparet, id tantum in deterioribus codd. nec iis omnibus esse;

quae sequuntur, illa, quibus detractis clamat Epicurus se nescire, quid sit bonum; adsint etiam formosi pueri, qui ministrent; respondeat his vestis, argentum, Corinthium,

1. *extractis* C 2. *sit* om. C [*adsit* A¹] 3. *iis* LMR *odrilicium* (pro *Corinthium*) LPMC vel *Corinthium odrilicium* R; P in marg. *chorinthium*

(Davisius et Gzius tacent); nec recte coniunguntur *dempisit* et *abstulerit*; nam quod *dempisit* pro *dempserit* esse putant, ex *dempsim*, dixi alibi (Opusc. Ac. II p. 70 sqq.), vetustas has futuri formas, *faxo*, *faxim*. quae non syncopa ortae, sed ut τῶψω ductae e praesenti sunt, numquam praeteriti, quae hic requiruntur, significationem accepisse; nedum sic *dempisit* poni potuerit in eo verbo, cuius perfectum indicativi modi id sit.

vis et sacculus) Vulgo erat *ius* et sic Grut. in Pal. 1 et aliis repperit; [at A *vis*, etsi vix haec in codd. discernuntur]; Dav. *vis*, id est, *vires*, dedit ex Mead., Ball., CCC. *Sacculus* (quod iam apud Marsum esse videtur) Pal. 1 et, ut videntur, alii [B]; Dav. ex illis tribus *sarculos* profert, Oxx. praeterea ex E; Gzius tacet. De sacculo vinario, quo vina defaecabantur et, austeritate fracta, mitiora fiebant, res nota e Plinio (vid. lex. v. *saccus* et Heind. ad Hor. Sat. II, 4, 53). Valde errant editores fere omnes, qui *vires* vini sacco fractas, quae, ut Plinius appellat, castratio apud veteres ad vini svavitatem necessario pertinebat, in vitio ponentes negativam hanc sententiam efficere student, partim contra sermonem peccantes, qui *aut* legunt, quasi negatio ex *nil* ad alteram partem suum substantivum habentem pertineat, (Dav., Gzius, Orell.), partim grammaticam servantes, qui pro *et* scripserunt *nec*. *Et* ad sententiam recte habet, modo ex *cui nihil dum sit* efficiatur aliquid, quod ad vini laudem pertineat; [*cui nil duri sit?* Sed Hauptius Quaest. Critt. 1841 p. 46 negat sic traici et accusativo subici posse, quem refellere certo nequeo.] Manut. et Lamb., retenta interpolatione veteri *oenophoro*, cetera sic scripserunt: *cui nil dempsit* (*nihil dempserit* Lb.) *nix* et (*nec* Lb.) *sacculus abstulerit*.

adhibentes ludos) Haec vulgo Lucilii verba putantur. Sed quamquam ludos et alia (*quae sequuntur*) nominarat Lucilius, tamen participio illo (*adhibentes*) haec ad reliquam orationem ab ipso Cicerone accommodata videntur.

Corinthium) Absolute dixit pro supellectili Corinthia (in Verr. II, 83) sive pro Corinthiis. Veram scripturam servarunt etiam Pall. 1, 3, 6, [B,] mg. Crat., cod. Mor. (de Davisii et Gzii codd. nihil distincte traditur). Ceteri (Pall. 2, 5, Oxx. Uχψ, Gud. 2) *odrilicium* aut *ordrilicium* aut *atrilicium*, Eξ vel

locus ipse, aedificium; — hos ergo asotos bene quidem vivere aut beate numquam dixerim. 24. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem Stoicum adulescens, post autem Panaetium audierat, Laelius eo dictus est sapiens, quod non intellegeret, quid svavissimum esset (nec enim sequitur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus), sed quia parvi id duceret.

1. *hos ego* LPCOr. 2. *at beate* E *beate quidem* (om. *aut*) L 6. *quod svav.* PM *nec ergo sequer et* E 7. *cui* om. E *ut* om. C *palatum* C

Corinthum odrylitium. Quod Mureto (Varr. Lectt. VI, 20) commendante Lambinus recepit: *aes Corinthium aut Deliacum*, in nullo cod. credo repertum; interpolaverat iam ita Marsus: *Corinthium aes aut Deliacum, atrilicium* (pro *aedificium*). Alias coniecturas inanes ex his erroribus ductas omitto.

aedificium) Nihil erat, cur hanc vocem Dav. et Gzui damnarent; nec enim eadem est loci, in quo aedificium est, amoenitas et ipsius aedificii elegantia.

aut beate) *At beate* duo Gzii, id est, Erl. et Spir. [B], ut Lamb. et Grut. tacite ediderant, ita distingventes: *bene quidem vivere, at beate numquam dixerim*, ut in priore parte audiatur *dixerim*, quasi *bene sit iucunde*. Sed *bene* et *beate* coniuncta sunt, longeque in hac re distat *iucunde*. [De *ergo* vid. p. 181.]

24. *Diogenem Stoicum*) cum in nota illa legatione a. 155 Romam venisset; cfr. Tusc. IV, 5. Nec tamen admodum tum adulescens Laelius, qui P. Africanum aetate antecedebat (de R. P. I, 18, Lael. 15); Africanus autem tum aut triginta aut undetriginta annos habebat, natus a. 185 aut 184 a. Chr., ut efficitur e Liv. XLIV, 44 et Diod. Sic. II p. 580 Wess., qui tamen p. 585 extr. nescio quo errore (fortasse, quod Polybius simul commemorat mortem L. Aemilii Pauli et amicitiam suam et Africanum, aliquot annis ante coeptam) Africanum a. 160 duodeviginti annos habuisse scribit. De Panaetii cum Africano. Laelio (Brut. 101). aliis Romanis coniunctione omnia nota.

cui cor sapiat) *Cor* pro mente antiquae et poëticae, fortasse etiam ex usu quodam cotidianae vitae dixit, cum ut *sapiat* accommodatum esset, tum ut aptius responderet *palato*. Cfr. infra 91.

palatus) Davisius e Parr. 1(?) et 2 *palatum*, qua nominativi forma utitur Varro R. R. I, 66. III, 3, 7.

O lapathe, ut iactare nec es sati' cognitu', qui
sis!

In quo Laeliu' clamores σοφός ille solebat

Edere, compellans gumias ex ordine nostros.

Praeclare Laelius, et recte σοφός, illudque vere:

O Publi, o gurges, Galloni, es homo miser, 5
inquit.

Cenasti in vita numquam bene, cum omnia in
ista

Consumis squilla atque acipensere cum deci-
mano.

1. et E *necessatis* [A]ELMR *ne cesset is C non cessatis R necesse est Or. cognitu quis E cognitu' cui Or. (cognitu hic omnes)* 2. *in quo cognitu Laelius omnes* 2 et 4. [sophos A] 3. *gumas E gumas LPMCR nostr. e. o. gumas L* 4. *illud vero E* 5. *miseri [A']E* 6. *cenastis E isto [A]LPMCR* 7. [cū sumis A'] [accubans aere A] *accubant aere E accubas aere (ere) PRM accubas in aere L decimacio E decumano CROr. (LPM?)*

O lapathe) Communis cibus haec herba et tenuiorum; cfr. Hor. Epod. II, 57; Varr. apud Non. p. 550: *Hanc eandem voluptatem tacitulus tarim consequi lapatho et ptisana possum.*

nec es satis) Codd. etiam aliorum, boni, mali: *ne cessatis* (omnes Pall., [B.] El. I, Mead., Ball. (ψ), Ox. U; tantum Eξ *non cessatis*, χ *cessatis*; Gzius suos dicit „in singulis paene verbis vehementer turbare, sic tamen ut vera lectio ea vulgatae!) esse videatur“). *Necesse est* primum reperio in ed. Ald., deinde in mg. Crat. sane e coniectura, et corrigit sic Victorius. (*Iactere* non tam Lambini quam typhothetae esse videtur.) Dein *qui* quis primus scripserit, nescio; est apud Cratandrum; Gruterus, Davisius, Gzius tacent, nisi quod Spir. *quis*; [B et] Oxx. *Uw qui*. [In vulgata scriptura (Or.) sententiam olim annotaram non posse eam esse, quam Orellius et Otto putassent: „quantum iactare se debet is, qui praestantiam tuam cognorit“; hoc potius dici: „ut necesse est (decet) iactare et commemorare, quanto viro cognitus sis“. Sed aliud latere dixeram nec tamen, quid esset, reperiebam. Repperit Lachmannus ad Lucretium p. 29. cuius coniecturam, qua tantum litterae rectius separantur, post Baierum secutus sum. *Iactari* dicitur lapathus, cuius pretium et dignitas non constet.]

Laelius) *Cognitu* praeponunt etiam omnes Oxx. (*iniquo cognitu* E, *iniquo cognitus* ξ) et, mihi crede, omnes omnium, etsi Grut. et Dav. tacent, Gzius „suos ignorare“ pro testimonio dicit, qui Erl. [et B] convincitur. Apparet, iam codicis archetypi

Is haec loquitur, qui, in voluptate nihil ponens, negat eum

1 hic EL qui om. C volupta E

librarium, cum s littera, quae alibi scribi solet, etiam ubi voce obscuratur, omissa esset, ablativum putasse et ad quo accommodasse. Clamores illi approbantis et laudantis erant.

gumias) Hoc primum a Lambino et a Grutero ex Pal. 1 editum a „binis suis illis“ firmari Gzius ait, non recte de Erl. Ceteri Pall., Dav., Oxx., Gziani *gumas*. [B *guimas*]. *Gumias* appellant gulosos lurcones Appuleius Apol. c. 57, p. 561 Hildebr., et Festus (v. *ingluvies*), nec diversum videtur *gemia* ex Lucilio apud Nonium p. 117. De origine vocis, quam Festus a *gula* ducit, non probabilis est Scaligeri opinio (Coniect. in Varr. p. 151) a Graeco γόμος derivantis.

Praeclare Laelius) Mire nescio quis editor, haec quoque Lucilii esse putans, sic in versum coëgit: *Laeliū' praeclare et recte sophos, illudque* (! solus Lambinus *illeque*) *vere, propagatumque id est* (tacente Grutero), donec praeunte Th. Bentleio Davisius ad codd. (etiam Mor.) rediit. Sed etiam Spir. *illud vero*, mendose; rectum esset: *illud vero optime* aut similiter. [B *illud vere.*] Excidit *que* ut 21 post *sane*.

O Publi, o gurges, Galloni) De P. Gallonio, praecone, luxurioso homine, qui primus acipenserem Romae in mensam intulit, omnia collegerunt interpp. ad Horat. Sat. II, 2, 47 et Douša ad Lucil. Fragm. p. 284. Haverc.; nec de ipso acipensere, incerti generis pisce, qui antiquiore tempore in honore erat, postea sordebat, post illos et Forcellinum habeo, quod addam.

cum decimano) Cum tacite Bremius errasset (edens *quum omnia* — *cum decumano*), secutus est Orellius; quasi *in squilla* et *cum acipensere* (mirum, ni eo una cenante) omnia Gallonius consumpserit. Repetendane cum coniunctione. etiam praepositio fuerit propter notionum separationem, ut Lamb. et Dav. putarunt (*cum in dec.*), quaeri potest. Mihi in versu et in hac licentia, cum praecedat *acipensere*, necessarium non videtur. De *decimano* [quod ex A positum est pro *decumano*] vid. lex. Rideamus aliquando. Billerbeckius hanc scripsit notam: „*cum decumano* in Verbindung mit *consumis omnia*: du verzehrst Alles sammt deinem Zehntfelde darin.“ [Paulo post *non* ante *negat* omittit etiam B. Itaque in deterioribus recta coniectura additum videtur.]

secernit) [Baiterus ex A et B *secrevit*. Et tamen nec post *loquitur*, *negat* ferri perfectum potest nec per se rectum est, quasi significetur res a Laelio semel aliquando iudi-

bene cenare, qui omnia ponat in voluptate; et tamen non negat, libenter umquam cenasse Gallonium (mentiretur enim), sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnes libenter cenare, qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius 5 bene. 25. Quid bene? Dicit Lucilius:

cocto,

Condito;

sed cedo caput cenae:

sermone bono;

10

quid ex eo?

si quaeri', libenter;

veniebat enim ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. Recte ergo is negat umquam bene cenasse Gallonium; recte miserum, cum praesertim in eo omne studium 15

1. ponit E non om. [A]E 2. cenasse umquam E nonnumquam L 3. [si bene A¹] secrevit [A]E 4. cenant C. 5. continue C Post bene add. cenare L 6. dicit E 7. orto LPC horto MR 9. celo (caelo) LPMR 12. si quaeris [A]EC sequeris P si se quaeris L si sequeris MR -13. autem E ut in animo E satiaret an. qu. R 14. enim C is om. L his negatum quam [A¹]E bene umquam LP 15. in eo om E studium om. E

cata, sed *secernebat*. Mendum videtur ortum ex *u* pro *n* scripto.]

25. *Dicet*) *Dicit* Grut. sine dubio errore typorum; corrigunt Dav. ex El. utroque. Gzius e Gud. 1, Bas. Ceterine cum Erl.? Non credo nisi de Spir. [B.]

cocto, Condito) Sic (ut emendavit Manutius et post eum editur) etiam mg. Crat. *Horto* Oxx. tantum ex $\chi\psi$ citant; ceteri tacent. Ad Attic. XIII, 52, 1 de Caesare dicitur: *Edit et bibit ἀδελῶς et iucunde, opipare sane et apparatus, nec id solum, sed bene cocto, condito, sermone bono et, si quaeri', libenter*; ubi apparet, bene esse Lucilii; nam de *bene cenando*, ut id diversum sit a *iucunde cenando*, ibi non quaeritur. Id adverbium h. l. Cicero omisit, quod in ipsius oratione longe alia significatione poneretur. *Si sequeris* etiam $U\chi\psi$.

recte miserum) Durissime hoc loco ex *negat* auditur *dicit*, non solum ob propinquitatem, sed quod idem adverbium repetitur, ut eadem verbi notio ipsa anaphorae figura servari videatur, et quod variatur paulum significatio, ut sit *appellat*. Nam plerumque ita ex verbo negativo auditur affirmativum aut ibi, ubi negative continuatur oratio (ut in *nescio* Tusc. V, 116,

consumeret. Quem libenter cenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia, quod bene, id recte, frugaliter, honeste;

2. [quia quid A¹] [fugaliter A¹]

quo loco Klotzius revocavit foedum additamentum *Epicurei*; quasi Stoici et Peripatetici magis Latine sciverint quam Epicurei aut Epicureorum contemptus artium ad sermonis peregrini peritiam pertinuerit aut ulla ratio sit ibi exemplo philosophorum certae disciplinae utendi), aut ubi adversative convertitur; durius igitur fit hoc schema, ubi oratio non convertitur, sed continuatur per *autem*, ut supra I. 61, aut ubi partitio est, ut infra 68: *Alteri negant quidquam esse bonum; nisi quod honestum sit. alteri plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati.* Nam ibi quoque vox *alteri* idem verbum animo obicit. Ne illud quidem molle, quod in interrogatione continuata legitur IV. 22: *Patronusne causae — negaret esse malum exitium, publicationem bonorum? haec reiicienda esse, non fugienda?* [aut quod IV. 69 in condicione mutata ex *negat* ad *nihilomagis* sumitur dicat.] Durum etiam, quod V. 88 in particula tamen accidit: *Ille Metelli vitam negat beatiorum quam Reguli; praeponeendam tamen, nec cet.* Nullus tamen locus hoc, de quo agimus, durior, ut excusetur Lamb., qui *recte dicit* scripsit; probari non debet. De ipso universo genere nihil est cur dicam post eos, quos citavit Stallb. ad Ruddim. II p. 361, quorum nominibus facile erat unum et alterum ascribere, ut Beieri ad Lael. 59.

cum praesertim in eo cet.) Intellegunt sine dubio plerique: eo quidem magis miserum, quod cet. Mihi hoc parum ad rem pertinere videtur, non fuisse tantum studium in eo ponendum, nec video, cur eo miserior fuerit. Itaque Ciceronem hic, ut alibi, sic illas particulas posuisse puto, ut significarent *quamvis* (*und das, obgleich*). Nam cum *praesertim* significet, adiungi ad id, quod generalius dictum sit, aliquid proprie, quo id augeatur, hoc, quod adiungitur, apud Latinos, maxime Ciceronem, saepe ex contrario genere est, ut ideo maius esse videatur id, quod dicatur, quod tamen (nihilominus) fiat aut sit. Atque hic transitus ad significandam rem eo memorabilem, quod aliud expectetur, fit iam in simplici particula, ut II de Div. 142: *nec tam multum dormiens ullis somno sum admonitus, tantis praesertim de rebus.* id est, *quamvis* tantae essent res, ut vel praecipue admoneri debuissim. Sed saepissime *cum praesertim* et *praesertim cum* (nullo, quod animadverterim, discriminine) et *qui praesertim* eandem vim habent, ac si dicas: *idque cum tamen, quamvis, qui*

ille porro [male,] prave, nequiter, turpiter cenabat; non

1. male sine uncis Or.

tamen. Hoc quia a nullo video annotatum, exempla ascribam. Cic. pro Rosc. Am. 66 (ubi est: *cum praesertim* — tamen). in Verr. II, 113: *ut ex oppido Thermis nihil ex sacro, nihil de publico attingeres, cum praesertim* (i. e. cum tamen, sive: quod eo magis mirum est, cum) *essent multa praeclara cet.*, ibd. 155, IV. 143. pro Sulla 6: *Nemo affuit Vargunteio, ne hic quidem Q. Hortensius, praesertim qui* (i. e. quod eo memorabilius est, cum) *illum solus antea de ambitu defendisset*, pro Balb. 54. Phil. II, 60 (ubi haec sententia est: non destitisti me provocare, quamvis videres cet.), ibd. 64 et 106. ad Fam. XIII. 15. 1 et XV, 21, 2 (*qui praesertim*), ad Attic. VIII, 7, 1 et XIV. 18, 1. Brut. 267, Orat. 32 (qui locus, mire ab interpretibus vexatus, hanc habet apertam sententiam, quam intellexisset Orellius, si non *cum*, sed *cum praesertim* pro *quamvis* accepisset: nec Thucydidis, quamvis fuisset honoratus et nobilis, nomen ad posteros extaret, nisi historiam scripsisset), N. D. II. 88, de Off. II, 56 (ubi Stuerenburgius non magis hoc intellexit quam quid esset *necessitati, periculis, fluctibus, tempestati, gravedini subvenire*, et incredibili illa levitate locum corrupt). Postremus sit locus ex hoc ipso opere IV. 36. [Cfr. Naegelsbachius Lat. Stil. § 184, 3. Neglexit haec Handius Turs. IV p. 531 sqq.]

ille porro [male] Porro, quod „rarissimo exemplo in oppositione poni“ Gzius putat, non ita raro ponitur in assumendo, cum concludimus, quoniam in hoc progressus est aliquis orationis; vid. (quem locum iam ipse vetus Tursellinus citat inter alios minus aptos) pro Mil. 25: *Occurrebat ei, mancam ac debilem praeturam futuram suam consule Milone; eum porro summo consensu populi R. consulem fieri videbat. Contulit se cet.*; ad Fam. IV, 9 init.: *Multa videbis fortasse, quae nobis; non plura tamen, quam audis cotidie. Non est porro tuum uno sensu solum oculorum moveri, cum idem illud auribus accipias, quod etiam maius videri solet, minus laborare.* [Hor. Ep. I, 16, 65.] Frequentior tamen in hoc usu Quintilianus, cuius tamen locos Bonnellus non recte ordinavit; nam ad conclusionis significationem (β) aperte pertinent, quos ultimos posuit (δ), I, 5, 46, XII, 1, 33 (cfr. Spald. ad priorem loc. et ad II, 3, 5); add. Dial. de Orat. 5. Deinde autem apud Quintilianum transit *porro* ad oppositionem simpliciter notandam; sed iam apud Sallustium est *rursus* est *rursus*. *ex altera parte*, Catil. 46, Jug. 25 (cfr. Cic. Verr. I, 121). Vocem *male* delendam esse vidit Wesenbergius, quod cum vel sola concinnitas adverbiorum inter se relatorum, *recte et prave, frugaliter*

igitur *bene*. Nec lapathi svavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed svavitatem ipsam neglegebat; quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

1. *bene* om. omnes, Or. [lapithi A] [accubans ere A] accubans ere E accubanti (accubantis C) aere (ere) PMCR accubanti aere alieno L [Galloni A] 2. Post anteponat add. aliis que erant in mensa tamquam suum C

et nequiter (cfr. *frugi* et *nequam*), honeste et turpiter, ostendere possit, tum clamat sententia; neque enim in assumptione illud ipsum poni potest, quod concluditur, *male*, id est, *non bene*. Atque haec non pendent ex proximorum correctione. Nam quid concludatur, patet iam ex illis: *Cur igitur non bene?*

non igitur bene. Nec) Inserui vocem necessariam in archetypo omissam (vid. praef. I, § 5). In vulgata scriptura *Non igitur nec lap.* primum multi senserunt vitiose abundare *nec*, quod ideo quattuor codd. Oxx. EUξψ omittunt (miror tot esse, cum nullus alius commemoretur) et ed. Marsi; Davisius et Bremius correctorem veri vestigia occultantem secuti sunt; qui autem defendunt, ut sit *ne* — *quidem*, illis duo obstant, primum quod omnino Cicero *nec pro ne* — *quidem* non dicit (de quo exposui in excursu ad h. l.), alterum manifestius, quod saltem praecedente *non* illa particula, quae a copulatione removeri non potest, ita poni nequit nec a quoquam umquam posita est; nec aptum *ne* — *quidem*, quasi Laelius sic laudasset lapathum, ut svavitate ceteris longe praestantem. Qui aliud vocabulum cum lapathi svavitate coniunctum excidisse putant, illi, quod ponant, non reperiunt; sola enim haec, lapathum et acipenserem, Cicero comparaverat; itaque Lambinus inane tautologiam induxit: *lapathum nec lapathi svavitatem*. Deinde autem sententia eam correctionem flagitat. Nam manifesto instituta forma syllogismi (*Quia, quod cet.; ille porro cet.*), non solum per se necessario concludendum argumentum fuit, sed cum etiam subiciatur: *Non igitur*, nemo non cogitur conclusionis finem expectare; atqui illud de Laelio habet adiectam explicationem et quasi, ut ita dicam, corollarium. Ne quis autem putet dicendum fuisse: *Ne bene quidem igitur* (ut Tusc. I, 71 in recta scriptura: *ne interire quidem igitur*), ita dicitur, si in eodem genere negative concluditur (*non distrahi, igitur ne interire quidem*), hic ad contrarium transitur (*prave; non igitur bene*).

anteponebat) Mirum additamentum, quod in C legitur, ortum, cum *acipenseri* corruptum esset, habet etiam ed. Ven. 1480. Corruptelas eius vocabuli similes habent Oxx. EUξχ

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. 26. Possumusne ergo in vita summum bonum dicere, cum id ne in cena quidem posse videamur? Quomodo autem philosophus loquitur? „Tria genera cupiditatum, naturales et necessariae, 5 naturales et non necessariae, nec naturales nec necessariae.“

2. sequamur R doceat R 3. igitur LPMCROR. 4. quo autem C 5. et necessarias codd. (nisi quod A² per compendium non satis certum et necessarium), Or. 6. [et necessariae, om. non, A¹; A² et non necessariae] naturales et om. C et innecessarias E non necessarias (om. et) LPMCROR. nec necessarias LPMCROR. nec nat. nec nec. om. E

(hi duo accipienti ore) et mg. Crat. (*accubans aere*); Grut., Dav., Gzius tacent; emendavisse videtur Aldus Manutius.

Cap. IX. *ut loqui deceat frugaliter*) Cum haesissent alii, recte Davisius et Bremius sententiam expediverunt: Non solum ut recta in vita sequamini (*sequamur*, inutili correctione. cod. Urs., Bas., Eξ), sed etiam ut conveniat vobis frugi hominum sermone nti et dicere, summum bonum percipi non dolendo, tenui victu, quaeque sint similia, semovenda voluptas est, quae tota in motu illo et titillatione posita est. Tamen Gzius *deceat* putat esse *decere intellegatur*. Otto enarrat: *ut intellegatis loqui decere frugaliter*, sed coicit (et longe ante Nodellus) pro *deceat* scribendum esse *discatis*.

26. *Possumusne ergo in vita cet.*) Ergo etiam Spir. [et AB]. Sed dure admodum omittitur prior accusativus, cum etiam in eo ipsa vis sententiae sit; (Lamb.: *igitur voluptatem*); nam quod Gzius *aliquid* „cogitandum omitti“ dicit, est ex eodem fingendi genere, quo solet uti. Itaque non improbabilis est Th. Bentleii suspicio: *quod ne cet.*; coniunctivus huic relativo eo modo subiectus erit, de quo dictum est ad § 15.

loquitur? Tria genera) [Sic distingvi verba, ut ipse Epicurus loquens induceretur, voluerat iam Orellius, offensus insolentia orationis, cum ederetur sic iam inde a Lambino: *loquitur tria genera cupiditatum? nat. et necessariae — non necessariae — nec necessariae?* Iure negaveram in hac distinctione ferri posse accusativos in verbis Epicuri, conatusque eram illud *loqui tria genera* ita defendere, ut esset fere *crepare, in ore habere*. Sed reperto in A bis nominativo *necessariae*, recte Baiterus orationem illa ratione distinxit et primo quoque loco nominativum restituit, mutatum, cum *tria genera* ad *loquitur* accommodaretur.]

et non necessariae) Secutus sum [in restituendo *et*] vestigia Erl. et edit. Crat. et Vict.; ceteri editores tacent; videbatur

Primum divisit ineleganter; duo enim genera quae erant, fecit tria. Hoc est non dividere, sed frangere. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent: „Duo genera cupiditatum, naturales et inanes; naturalium duo, necessariae
5 et non necessariae.“ Confecta res esset. Vitiosum est enim in dividendo partem in genere numerare. 27. Sed hoc sane

1. [erat A'] 2. fecit om. E /frangere rem LPMCR Qui haec — solent transp. post *confecta res esset* Or. om. LPMCR 3. qui si diceret, cupiditatum esse duo genera LPMCROR. 4. inane E naturalium quoque item duo LPMCROR. necessariae et non necessariae LPMCROR. necessariae (om. et non nec.) C 5. essent E 6. in dividendo om. L nominare E

et prorsus requiri ad membrorum aequalitatem; et est Graecum *ἁριστὰ καὶ ὄν ἀναγκαῖα*. [Confirmat nunc A, etsi non omittit. Terti generis appellationem om. B ut Erl.]

ineleganter) *Neglegenter* cod. Mor., ex interpolatione. De reprehensione cfr. ad I, 45. [Fecit om. etiam B.]

frangere. Qui haec didicerunt cet.) Primum rem, quod post *frangere* addebatur, excludunt etiam Pal. 1. El. 2, Spir., [B], mg. Crat. damnatumque ab aliis sustulit Gzius. Deinde sic edidi. ut est in optimis codd., Pal. 1, Erl., Spir., [B], mg. Crat. (quamquam ex Pal. 1 et Spir. Gruterus et Gzius tantum transpositionem sententiarum et ex Spir. omissionem vocum quoque item annotarunt, ad cetera non attenderunt). Cod. Mor. eundem habebat ordinem, sed exciderant in eo verba: *didicerunt — naturales et*; deinde erat *confecta est*. Facillime in verbis *confecta res esset* suppletur condicio: „si sic locutus esset“, quod ipsum significatur illis: *Qui — sic solent*. [*Confecta res* nunquam per se dicitur pro certa et indubitata, quemadmodum accipi voluit Heinius Philol. XXIV p. 477.] Orationis summa brevis aptissima est, quoniam Cicero indignabundus cum contemptu correctionem demonstrat. In vulgaribus codd. exciderunt verba: *Qui haec didicerunt — sic solent*, sed in paucis quibusdam (Pal. 3, Mead. Dav., Ox. §) ex marginali annotatione inserta sunt paulo post inter verba: *confecta res esset et Vitiosum*. (§ hoc et solet.) Illis omissis, cum deesse aliquid facile pateret, id sic suppletum est ceteraque supplementi causa mutata (at vide audaciam!): *Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes, naturalium quoque item* (Gud. 2 et Bas. om. item) *duo, necessariae et non necessariae, confecta res esset*. Quae potest esse apertior ortae e mendo et progressae interpolationis historia? Et tamen neminem adhuc veritas movit.

concedamus. Contemnit disserendi elegantiam; confuse loquitur; gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem illud ipsum non nimium probo et tantum patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finire? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in 5 quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum, et

1. Post *contemnit* add. *enim* [A]LPMCRor. 2. *et quidem* [A]LPMCR 3. *ipsum* om. LPMCR *tamen* FLPMCR 4. *loqui* om. E 5. *ei* (pro *est enim*) E 6. *cupiditas sit* MCR *qui non recte* E 7. *verum* om. R

27. *Contemnit*) *Enim* omittit etiam Spir. [B]. Proponit Cicero rem; adiungit (*gerendus est mos*), ferendam esse.

Equidem) Sic etiam Spir. [B] et restituit Gzius. Ceteri *et quidem*, quae particulae hic locum non habent. Tum *ipsum* omittunt aliorum quoque mali codd. (apud Davis. quattuor, Ox.γ; miror Gzium in omnibus suis repperisse). *Tantum* etiam ex illa familia sumptum est (Pal. 1, Spir.); editur inde a Grutero. [B ut Erl. et ceteri.] Stoice hic Ciceronem loqui apparet, *ἐπιθυμιῶν* nomen urgventem eique ex altera schola subicientem significationem τῶν παθῶν. Itaque ὀρεξέεις appellari debuisse putat, id est, desideria naturae, quas Epicurus naturales cupiditates dixisset. Et tamen quid prohibebat communem appetitus notionem communi nomine signare et deinde dividere?

quin recte cupidus) *Qui non* etiam Spir. [B], „atque sic hac in formula proprie Cicero.“ Gzius. Idem in Acad. II, 20 retinens *quis est*, *quin* et reiciens *qui non*: „Scribae“ inquit „in hac structura haeserunt.“ In hoc autem opere V, 63 ex iisdem codd. *quin* edens: „Scribit“ inquit „Cicero ex more *nemo est*, *quin*.“ At paucis versibus post (64) edidit cum ceteris *quis est*, *qui non*, tacuitque, eosdem libros ibi quoque *quin* habere. Nescio, supinam oblivionem an audaciam. quidquid in buccam venerit, deblaterandi magis admirer; nisi magis etiam eorum, qui has quisquillas non tulerunt, sed laudarunt, patientiam miror. Otto etiam aliquid dicere voluit; *quin* esse modestius quam *qui non*. Mihi et multo saepius *quin* a scribis dissolutum esse videtur quam *qui non* contractum, et ubi non simpliciter praecedat *quis est*, *nemo est*, sed, ut h. l. definitio quaedam (*in quo sit cupiditas*), ex qua aliquid necessario sequatur, fere semper dici *quin*. Mox Gzius, Or., Otto ediderunt: *et adulter verum habebit modum*, dormitantes plus iusto.

luxoriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero. Appellet haec desideria
 5 naturae; cupiditatis nomen servet alio, ut eam, cum de avaritia, cum de intemperantia, cum de maximis vitiis loquetur, tamquam capitis accuset. 28. Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur et saepius. Quod equidem non reprehendo; est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter
 10 sua decreta defendere; sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur

3. [remissionem (pro rem ipsam) A] remissam EP 4 [probam A¹, reprobo A²] appellat ER 5. eam transp. ante tamquam LPMCR (ea LPR) 6. dum de (priori loco) E 7. quae (per compendium pro quidem) [A]E 8. ab eo liberius L 9 tantique nobilis audacter E 11. hoc om E

interitum afferat pravitatis) Licuit et sic dicere, substantivis coniunctis, et *pravitati*, ut ipsa pati interitum cogitaretur; nec erat, cur hoc Vict. et Dav. contra codd. praeferrent. Simile est infra 118: *voluptatis aditus* (id est, quos ea habere possit) *intercludat*. Alia collegit Breminus, ut *litem alicuius aestimare* et *alicui* (vid. Drak. ad Liv. XLV, 24, 2, ubi tamen foede confunditur *aestimare litem hominis* et *peccati*, quin etiam *litem capitis aestimare*); poterat addi *locum seditionis quaerere* (Liv. III, 46, 2) et *seditioni*; [nam quod III, 59, 1 codd. habent: *inhibito modo nimiae potestatis*, recte mutatum est, quoniam *modus potestatis non inhibetur*]; ex Cicerone Gzius citat *facere fidem iudicii sui* (Acad. II, 19, nam III de Orat. 104 non iniuria dubitatur, quia *fides orationis* vix sic absolute dicitur). [Accedat ex orat. pro Flacco fragm. Mediolan. (p. 800 ed. Turic.) *longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogare*. Cfr. Wesenb. in Annal. Philol. Dan. IX p. 290 ad Liv. XXX, 30, 13.] Alia minus huc pertinent, quia in iis necessaria prorsus est una ea et definita notio. quae ex substantivis coniunctis efficitur [Gr. Lat. § 241 n. 3, 242 n. 2.]

ut eam) Pronomen, quod etiam Pal. 1 et Spir. [B] tenent. in deterioribus codd. primum omissum, deinde ante *tamquam* additum est Dav. e Pal. 2, Parr. 1, 2 edidit *ea tamquam*.

28. *quod voluptatis causa non videatur*) E scriptura Erl. [et B] possit aliquis efficere *quoniam voluptatis causa videatur*, ut *quin* raro exemplo (vid. Opusc. mea Acad. I praef. p. V) accusativi *quod* locum teneat. Sed frustra ex huiusmodi mendis

amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit (vis enim est permagna naturae), confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil do- 5
lentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. — Quid, quod res alia tota est? — Reperiam multos vel innumerabiles potius non tam curiosos nec tam molestos, quam vos estis, quibus, quidquid velim, facile persvadeam. — Quid ergo dubitamus, quin, si 10
non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate dolor sit maximus? cur id non ita fit? — Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio.

1. saepius C vehementius saepe E 3. quid E videatur causa (om. non) E deinde enim ubi E 4. enim om. E est om C 5. nichil (pro nihil) E 12. [maximis A'] [non id A]

codicis genere, non diligentia scriptoris commendabilis coniectura tentatur.

vis enim est) [Cum Erl. (et B) consentiunt Eξ. Scripseram *est enim*. Nunc nihil mutō.] Vid. ad I, 43.

non tam curiosos) πολυπράγμονας, qui non necessaria subtiliter exquirant. Cfr. ad I, 3.

Quid ergo dubitamus) Pertinent haec ad ea, quae I, 37 et 38 ab Epicurea parte exposita sunt; nec tamen valde subtiliter disputantur; neque enim dissolvitur ipsum Epicuri decretum et sibi repugnare ostenditur, sed, intermixtis inter notiones Epicureas iis, quas ille non probabat, sic concluditur. Quasi enim concedat Epicurus, voluptatem in motu eodem modo, quo dolorem, veram vim per se habere, quod ipsum Epicurus negat et tantum variationem eam esse ait, concluditur, eius voluptatis privationem dolorem afferre et quidem summum. Deinde ea, quae Epicurum Cicero dicentem facit: *quia dolori cet.*, ad Epicuri mentem sic dicenda erant: Quia dolori voluptas stans, non movens contraria est. Nam voluptatem, sed stantem, is quoque dolori contrariam ponebat. Et tamen facile fuerat ostendere, hominem sui (ut loquimur) conscium numquam esse in nudo illo non dolendi statu, sed, cum hoc, non dolere se, sentiret (negative), simul sentire, se esse et vigere (positive), in quo motus et iucunditas esset. [De verbis *id non ita cet.* vid. ad § 17; apparet, non recte in A *id ita* iuxta poni.]

X. 29. Hoc vero non videre, maximo argumento esse, voluptatem illam, qua sublata neget se intellegere omnino, quid sit bonum (eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus; cetera addit, quae si appelles, 5 honos praefandus sit) — hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expectandum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem

1. hic L esse om LPMCR 2. ullam PMCR 3. ita om L persequer E 4. addidit C 5. bonos EC praefraudus E praestandus LMC 6. vidit E

Cap. X, 29. *Hoc vero non videre*) Infinitivus est exclamantis cum admiratione (*Hoc vero credibile est, eum non videre* cet ?), id unum non prorsus vulgare habens. quod subiectum non additur; plane eodem modo dicitur IV, 76: *Hoc non videre*. Nam ipsam rem universe Cicero admiratur, non solum in certo homine. Sed cum sic orsus esset, ut dicens esset: *maximo argumento esse, illam voluptatem — ne appetendam quidem esse, quod eam non desideremus* cet., quoniam longior, addita parenthesi. facta erat definitio illius voluptatis. omissa ea orationis structura, quam instituerat, et nova per *igitur* inducta, quod antea mirandum significarat, nunc narrando persequitur: *hoc igitur non videt* cet. Expedivit locum antea addubitatum Matthiaeus, in eo uno leviter errans, quod *hoc* initio positum coniungi vult cum *esse* contra similitudinem loci illius libri quarti. Ponitur enim id pronomen initio omnia complectens, quae deinde dicuntur. Priores partim lacunae notam apposuerant, partim verba mutarant, a sententia etiam aberrantes praeter Bremium, qui *videt* scripsit, tantum rectam formam et sententiarum coniunctionem turbans. Tum enim dici debuit: *Ne illud quidem videt*. Nam *Hoc vero non videt* significat. dictum ante esse, alia eum videre. *Esse* om. etiam $\chi\psi$, unus U est habet. Tum *illam* est etiam in mg. Crat., Pal. 1. Spir. [B], id est optimis; editur inde a Grutero; ceteri *ullam*, E ξ *nullam*.

eam autem ita persequitur) Vid. ad § 7. *Cetera sunt τὰ ἀφροδίσια*. Pro *praefandus* ([A,] cod. Vict., Mor.) $\chi\psi$ *praestandus*, ut etiam tum Crat. [B *perfraudus*.] E ξ *pondus*; ceteri tacent.

hoc eodem auctore non desideremus) *Aliquo auctore* fit, quod eius fit consilio et impulsu; quomodo nunc vulgo loquuntur: *Epicuro auctore. di mundum non regunt, ut sit: si Epicuro credimus. Epicuri iudicio, veteres. quod sciam. locuti non sunt.* [Plinius H. N. IV, 9 sic scripsit.] *Credimus et tradimus*

auctore non desideremus, cum dolore careamus. Quam haec sunt contraria! 30. Hic si definire, si dividere didicisset, si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret, numquam in tantas salebras incidisset. Nunc vides, quid faciat. Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat; 5 quae duo sunt, unum facit. Hanc in motu voluptatem (sic enim has svaves et quasi dulces voluptates appellat) interdum ita extenuat, ut M'. Curium putes loqui, interdum ita

1. *quamquam* LPMCR 2. *Hic — incidisset* Non. p. 177 [*individere* pro *si div* A¹ *vel div* A², compendio supra in scripto] *vel dividere* LPMCR *potuisset* (pro *didicisset*) Non. 4. *insanias* (pro *salebras*) C 5 *voluptatem appellat* (*appellavit* L) *et hanc in motu voluptatem, quae duo sunt, unum facit* (*faciat* C) *Sic enim h s. et q. d. vol appellat* *Interdum* LPMCR *appellavit, appellat* [*atque*] *quae* (cetera ut nos) Or. 7. *suaves has* E 8. *Marcum* [A]E M ceteri [*votes* A¹] *loqui putes* L

aliquid aliquo auctore, cum is nobis auctor rem praestat (*auf seine Autorität*); vid. Tusc. I, 113. Liv. III, 57, 8, XXXVI, 19, 11. Hic quoque locus ita intellegi debet: *quod is nos moneat et hortetur ne desideremus*, non ita: *tradat nos non desiderare*. [Cfr. I de Orat. 226.] Paulo post *quam haec* etiam mg. Crat., cod. Mor., Pal. 1, El 2, Spir. [B]. Restituit Dav.; ceteri *quamquam*.

30. *si dividere*) Sic etiam Spir. [B]. Ante Gzium tacite edebatur *vel*, a Vict. et Lamb. *et*.

appellavit, appellat cet.) Hunc quoque locum redintegrarunt optimi codices, Erl. et Spir. [B], quos Gzius secutus est, nisi quod, sublata aptissima orationis figura et brevitate, scripsit: *appellat, atque quae*. E cod. Mor. annotatur tantum: *appellavit, appellat*, „quomodo suo ascripsit libro Scaliger“; non dubitandum, quin cetera quoque recta fuerint; e Pal. 1 tantum *appellavit* pro *appellat* annotatur; [nunc de eo constat]. In vulgaribus codd. cum excidisset *appellavit*, ut manca esset sententia, emendator audacter et artificiose transponendo fracta membra coniunxit; nam ut nostri, ita ceterorum omnes; tantum Eξ *appellaret*.

M'. Curium) Praenomen, ut solet, corruptum erat etiam in Gzianis. „Pertinet huc maxime versus ille, etiam (!) Rosae laudatus: *Qui Curios simulant, asoti cetera vivunt*.“ Gzius. Vult videri verum nosse, quem depravatam a Rosa sumpsit; est Iuvenalis in sat. II, 3: *Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt*. M'. Dentatum quis ignorat? Mox in oratione solum Spir., edd. inde a Grut. [AB]. Priores et reliqui Gziani ut nostri deteriores. [*A philosopho, a censore opprimendam ora-*

laudat, ut, quid praeterea sit bonum, neget se posse ne
 suspicari quidem. Quae iam oratio non a philosopho aliquo,
 sed a censore opprimenda est; non est enim vitium in
 oratione solum, sed etiam in moribus. Luxuriam non re-
 5 prendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc
 loco discipulos quaerere videtur, ut, qui asoti esse velint,
 philosophi ante fiant. 31. A primo, ut opinor, animantium
 ortu petitur origo summi boni. Simul atque natum animal
 est, gaudet voluptate et eam appetit ut bonum, aspernatur
 10 dolorem ut malum. De malis autem et bonis ab iis anima-
 libus, quae nondum depravata sint, ait optime iudicari.
 Haec et tu ita posuisti et verba vestra sunt. Quam multa
 vitiosa! Summum enim bonum et malum vagiens puer ultra
 voluptate diiudicabit, stante an movente? quoniam, si dis-
 15 placet, ab Epicuro loqui discimus. Si stante, hoc natura
 videlicet vult, salvam esse se, quod concedimus; si movente,

1. bonum sit L nec E 3. solum in oratione LMCR 5. modo si E
 8 animale [A]E 10. [et malum A¹] his LC 11. [sunt A] [iudicare A¹]
 12. quare (pro quam) C quamquam R multum R 14. ante (pro an) E
 [A. Sed „syllaba te est extra versum, fortasse a sec. m.⁴] displicet E
 15 discimus loqui E 16 videlicet E

tionem, non *philosopho* — *censori*, hoc quidem loco Cicero
 dixit, quod non, ad cuius officium hoc pertineat, sed cuius
 opera ad eam rem utendum sit, significat. Similia exempla
 sunt apud Livium XLIV, 22, 12, Senecam Ep. 65, 3, Iuven.
 XII, 14. Nec tamen id ad omnes locos, in quibus *ab* cum
 gerundivo coniungitur, pertinet.]

31. *Quam multa*) *Quamquam multa* Gud. 1 et Bas., *quam-*
quam multum Gud. 2. Veram scripturam ab Aldo Manutio
 revocatam confirmant mg. Crat., cod. Mor., Spir. [B], tenentque
 tacite Grut., Dav., Oxx.

stante an movente) Vid. ad I, 37 Stantem et moventem
 Cicero dixit et brevitatis causa pro ea, quae in statu et in
 motu esset, altero participio intransitive utens, ut iis, de
 quibus ad I, 69 dictum est; commodius fere dicas motoriam
 et statariam, grammaticorum fabularum scaenicarum genera
 dividendum exemplo. [Eodem modo Tusc. IV, 30 perturba-
 tionem dicuntur esse *affectiones moventes*.] Mox omnes(?) Gzii
 codd. [B] *si displicet*.

hoc natura videlicet vult) Id, quod Epicurus voluptatis
 studium interpretatur, nihil esse aliud Cicero dicit nisi sui

quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit, et simul non proficiscitur animal illud modo natum a summa voluptate, quae est a te posita in non dolendo. 32. Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit aut etiam a bestiis, quae putat esse specula naturae, 5 ut diceret ab iis duce natura hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum, status hic non dolendi; itaque in hoc eodem peccat Hieronymus; at ille

5. ante et (pro ant etiam) E quae om. E spicula natura E 6. his [A]EPCOr. nihil dolendi expeti L 7 nec E 8 illum R ritum (pro ictum) E animi statum omnes

conservandi studium, quod omnes animalibus a natura insitum esse concedant. *Vide licet* manifestam rem et perspicuam significat.

quod tamen dicitis) etsi tam multa de indolentia disputatis et eam tam extollitis. Gzuius *tamen* vult esse certe, saltem, et sententiae repugnans (neque enim aliud Epicureo sentire, aliud dicere, Cicero significat) et usui loquendi; neque enim ad eam significationem *tamen* inclinatur, nisi cum ita additur vocabulo. ut, quidquid de aliis rebus fiat, hanc tamen (saltem) excipiamus; [v. IV. 69: *illa tamen simplicia* et V. 30: *intellegi tamen — potest*]. Dupliciter autem reprehenditur Epicurus, si movente voluptate puerum duci dicat, quod turpem voluptatem excludere non possit, et quod praeterea sic animal illud, quod totiens usurpet, modo natum et ortum ab alia voluptate initium appetendi capiat atque ea, in qua summum bonum Epicurus ponat, ut initium a fine discrepet. Sententiae satis facilis enarrandae necessitatem inposuit Gzii inscitia adeo aberrantis, ut *aliud animal* scripserit, et Orellii prorsus falsa explicatio. Quid esset *proficisci*, intellegi poterat, si opus esset, e § 32 extr.

32. *quae putat esse specula naturae*) Lenis est irrisio Epicuri a bestiis argumenta ducentis. Nam de pueris similiter alii philosophi loquebantur, apud ipsum Ciceronem Peripateticus Piso V, 61 et maxime 55.

nec ullum) *Illum* edd. quaedam, ut Mars., Man., Grut. (non cod. Mor., ut Or. ait), *nullum* Ux, CCC.

animum, status) Evidens emendatio debetur, opinor, Manutio. Codd. Pall., Oxx., Gzii ut mei, edd. quoque veteres.

at ille pellit) Is demum status pellit animum et appetitum movet, qui permulcet sensum movente et vera voluptate, hoc

pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc utitur, ut probet voluptatem natura expeti, quod ea voluptas, quae in motu sit, et parvos ad se alliciat et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere.

5 Qui igitur convenit ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere?

XI. 33. Bestiarum vero nullum iudicium puto. Quamvis enim depravatae non sint, pravae tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria,
10 aliud ita natum, sic ferarum natura non est illa quidem de-

2. *utatur* E *nititur* L [et superscr. A²] 3 [uobis pro voluptas A¹]
4. *non dolere* E 5. *quid omnes* 8 [sunt A] *possint* C 9. *Ut — natum*
Non. p. 78 (om. *de industria*) [*bacillum* A¹ Non] 10. *quidem* om. L

est, ipsa voluptas movens. Nam *status* nomen, in quo quies aliqua significatur, hic minus commodum Cicero retinuit aequalitatis gratia. Hic quoque fuerunt qui aberrarent.

Itaque — utitur) Bas., Gud. 1 *atque*. Aperta est conclusio. *Nititur* pervenit etiam in Pal. 2. Id verbum alienam ab h. l. habet difficultatis et vehementis studii notionem; cfr. IV, 67.

non illa stabilis) Rectius Cicero dixisset: *non quod illa cet.* Nec enim Epicurus hoc negative adiungebat, sed Cicero, ita ut illi: *hoc utitur, quod contrarium esse debeat: non hoc, quod.*

Qui igitur convenit) Sic Lambinus, et inventum Davisius ait in Par. 2; Oxoniensium silentio de E parum, de U omnino non confidi potest; Gzius oblitus est codd. inspicere. Videtur recte emendatum. Longe enim diversa sunt: *quid opus est?* et quae illo modo dicuntur (id est fere: *ad quid, cur*); simile esset *quid potest?* pro *qui potest?* quod non dicitur.

Cap. XI, 33: *sed natura sua*) Neglegenter Cicero scripsit, primum sic contraria ponens *malam disciplinam* (aliorum) et *naturam suam* (quae ipsa figura defendit scripturam), ut oblivisceretur, subiectum esse non *feras*, sed *naturam ferarum*. Quos Bremius et Gzius comparant locos, nihil habent nisi repetitionem eiusdem nominis de diversis rebus, quae recte eo appellantur, positi. Deinde, cum seiunxisset *depravati* et *pravi* notionem, hic tamen, omnia coiciens in illam oppositionem disciplinae et naturae, *depravata* communiter posuit, ut etiam *prava* (in secundo membro) comprehenderentur. Et possunt per se aliquo modo bestiae dici ipsa natura depravatae, hoc est, a perfecta specie et forma (*con der Idee*) detorta.

pravata mala disciplina, sed natura sua. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem, sed tantum, ut se ipse diligit, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal, simul [et] ortum est, et se ipsum et omnes partes

1. vere E ergo LPC 2. [si (pro se) A¹] 3. ipsum CR 4. simul ut ortum MROr. simul ortum C est om. [A]ELP

Nec vero, ut voluptatem expetat) Hoc Cicero magis instituit explicare quam explicat; nam mox, omnia difficili quaestione (§ 34 magna quaestio est), tantum inconstantiam reprehendit Epicuri. Pro vero Spir. et Erl. vere [non B], Gud. 1, 2, Bas., Ox. ergo. Mox pro se ipse in edd. ante Aldum et apud Victorium fuit se ipsum.

Omne enim animal) Quae hic breviter attinguntur, fusius explicantur Stoice in libro III, 16 sqq., Peripateticorum vel potius Antiochi more in libro V, 24 sqq.

simul [et] ortum est) Simul ut pro simul ac Dukerus ad Liv. VI. 1, 6 Ciceronem non raro posuisse dicit. Goerenzius ad Acad. II, 51, saepius. Ego quinque omnino locos esse puto, ubi a codicibus constanter confirmetur illa forma, Academicorum illum. Tusc. IV. 5, Verr. I, 67, [de Orat. II, 21, Phil. III, 2]; in ceteris satis dubiam sedem habet aut nullo iure editur, ut VI ad Fam. 18 init. Nec verius erat apud Catullum 64, 31; [apud Hor. Sat. II, 1, 24 nullo iure a Fea illatum est]. Universe autem eo defenditur, quod origo facile intellegitur. Neque enim ut est pro ac, sed tempus significans (ut vidit) coaluit cum simul, sic, ut et consecutio et res eodem fere momento gestae significarentur. Hoc loco omnes editores quasi compacto tacent, et tamen, cum in tribus meis codd. e quattuor, interque eos optimo illo [etiam AB], sit simul et, facile intellegas, quid in aliis fuerit, e quibus Oxx. Eꝯ neque et neque ut habent. Contra V, 24 omnes (casum enim, non consilium sequebantur) annotarunt, in codd. esse simul et. Hoc num Cicero pro simul ac dixerit, valde incertum puto, qui omnino particulae et pro atque usum certis et angustis finibus terminari putem; vid. ad § 21. Sunt huius generis exempla aliquot in epistularum ad Atticum codice Mediceo, ut II, 20, 2 (simul et quid erit certi, etiam apud Bosium), X, 4 extr. (simul et video Curionem, etiam in Bosii codd.), X, 16, 4 (simul et in Cumanum veni, etiam apud Lambinum et Bosium), XVI. 11, 6 (simul et constituero). Sed hoc ipsum, quod in uno illo epistularum volumine totiens, alibi numquam legitur, facit, ut suspicer, veterem librarium simul pro simul ac

suas diligit duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum et corpus, deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore, quae cum leviter agnovit, tum discernere incipit, ut ea, quae prima
5 data sint natura, appetat asperneturque contraria. 34. In

1. quae om. C novit E tunc [A]MCR primo E 5. sunt LPMCROr. (natura data sunt L) [aspernaturque Λ']

positum non tulisse atque constanter et addidisse, quemadmodum alibi atque vel ut addiderunt; vid. Drakenb. ad Liv. VI, 1, 6 et quos ille citat. Legitur simul et etiam ad Qu. Fr. II, 6, 3 a prima manu cod. Medicei; altera substituit simul ut. Pro Planc. 14 editur: simul ut, qui sint professi, videro, dicam: in cod. Erf. est simul ut et qui; mihi utrumque suspectum fit; itaque hunc locum supra non posui. [Ex scriptura AB^{Er}l. simul et ortum et se effici potest: simul est ortum, et se.]

tum discernere) Sic etiam Spir. [B] ediditque Gzius. Relativo cum respondet tum; tunc propriam ac vehementiorem demonstrationem habet.

prima data sint natura) Indicativum, quem omnes tacentes tenerant, respuebat oratio. Nec enim absolute concipitur notio primorum, sed refertur ad animalis ea discernere incipientis cogitationem. ([Sint etiam B.] Gud. 2 om. sunt.) De loquendi genere (quod significat: quae natura prima constituta sunt, quae appeteremus) dixi in excursu de primis naturae ad hunc et alios locos conscripto, ubi et illam notionem explicavi et totius eius, qui hic sequitur, loci rationem exposui. Vult enim Cicero ostendere, ceteros philosophos sibi constitisse in primo naturae appetitu iisque, quae ei responderent, (primis naturae) definiendis et in summo bono constituendo. Epicurum sibi non constare. Sed alii ex illis philosophis omnino nulla commemorabant prima naturae a summo bono seiuncta, sed id ipsum, quod primum appeteretur, simpliciter summum bonum dicebant, ut Hieronymus, Aristippus, Carneades alio quodam modo, alii non a primis naturae ad summum bonum perveniebant. sed illa comoda, quae sic appellabant, aut excludebant a boni notione, ut Stoici, aut in exigua eius parte ponebant, ut Polemo et Aristoteles, etsi hi reapse illo nomine usi non sunt. Itaque ne in verbis quidem Ciceronis ulla apparet convenientia inter certas eas res, quas primas visas dicit Aristoteli, et id, quod summum bonum, in quo primum locum tenet virtus, coniuncta cum primis illis infinite positae nec uberius explicatae. Debit Cicero. hac tota comparatione omissa, Epicuri inconstantiam per

his primis naturalibus voluptas insit necne, magna quaestio est; nihil vero putare esse praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, summae mihi videtur inscitiae. Atque ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et 5 malorum. Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt, quae paulo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita,

1. [*primas A'*] 4. *non valetudinem* om. E Post *val.* add *corporis* [A, qui *valetudinem*] P *insaniae* (pro *inscitiae*) C 6. *et antea* (om. *iam*) P *et ante* C (*etiam* una voce codd.)

se reprehendere, summum bonum ex primo infantis et animalis appetitu sic ostendentis, ut tamen aliud primum appeti diceret, aliud summum faceret. Ceterum per omnem hunc locum Ciceronis negligentiam aemulati sunt editores aut difficillima silentio transmittentes aut nihil distincte expedientes.

34. *voluptas insit necne*) Negabant Stoici (III. 17, Diog. Laërt. VII, 85 et 86).

putare esse) Non necessario Bremius *inesse* scribi volebat, quoniam utrumque dicitur, et *inesse in primis naturae* et *esse in iis*, hoc etiam frequentius de iis, quae in aliquo genere numerentur. Qui audiunt: *nihil esse, quod insit*, et ellipsi et pleonasmo utuntur perverso.

non membra. non sensus) Debuit Cicero addere *integra*; nam bonitas et integritas harum rerum in primis numerabantur, non ipsae. Cfr. V, 18.

non valetudinem) Om. etiam Spir. et Gud. 2; et praecipua tantum ponuntur, non omnia plene enumerantur. Veri tamen similis esset. aberrasse alterum librarium omitendo quam alterum nulla causa addidisse, [nisi ex A et B. quibuscum faciunt Oxx. $\chi\psi$, suspicio nasceretur, ad *integritatem corporis* ascriptum esse *non valetudinem corporis*. Et apte post duo binorum verborum membra (*non m., non sens.*) ponuntur duo trinorum (*non ing. mot., non int. corporis*), contrarie relatis *ingenii* et *corporis*]. Gud. 1 superscriptum habebat: *al' incolumitatem*.

et iam ante) Divisit post Th. Benteium Bremius. Praeter C aliae quoque vett. edd., Vict., Lamb., Dav. (hic cum CCC) *et ante*.

Ergo) Significat altero posito alterum statim necessario consecutum esse. Frustra Lambinus *hinc ergo*, alii alia.

secundum naturam vivere) Sic Polemonem dixisse, affirmat

frui primis a natura datis. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem; Diodorus vacuitatem doloris. **His omnibus,

1. *Calliphon* (L)Or. 2. *Diodorus* om. L iis LMR Lacunae notam non habet Or.

IV. 14; Speusippus, Xenocrates, Aristoteles numquam sic locuti sunt; explicatio autem, in qua sunt *prima naturae*, tota Antiochi est; vid. Excurs.

Callipho — Diodorus) Vid. ad § 19. Hi quidem multo etiam magis discrepant ab illis, quae posuerat, primis, in quibus voluptas omnino non erat. A Manutio ad Bremium editum est: *Diodorus nisi vacuitatem doloris*, contra codd. (Gzii, Oxx. ξχψ. sine dubio etiam E; Grut. et Dav. non attenderunt); et debebat tum dici *nihil nisi*.

His omnibus, quos dixi, cet.) Haec verba, ut nunc cetera sunt, inexplicabilem habent difficultatem. Nam primum *consequentes* (id est, consentanei alii rei praecedenti) sic dicitur, tamquam, positus horum philosophorum primis naturae, nunc demum Cicero adiungat, iis consequentes esse fines. Atqui iam de finibus dixit. Itaque haec sententia generalem laudem continet; sic *consequens* absolute dicitur pro eo, in quo ipso constantia appareat nec quidquam repugnet, quod barbarum est; neque satis Bremius attendit, illa adhibens exempla, in quibus *consequens* est *superiori consentiens*. Et haec laus ad eos etiam, qui sequuntur, pertinet, ut mire tamquam horum propria ponatur. Sed gravius illud: dativi, qui subiciuntur, *Aristippo, Stoicis* cet. necessario per appositionem sic adhaerent verbis *his omnibus*, ut singulatim ostendatur, qui sint illi omnes et qui consequentes illi fines bonorum; ut tamquam diversi adiungantur, fieri nullo modo potest per sermonis naturam. Et tamen repugnant verba *quos dixi*. Postremo in Peripateticis et Academicis primum Cicero principia naturae nominavit, deinde adiunxit, ut, quod erat propositum, cohaerere ea ostenderet. In his, qui sequuntur, nulla omnino significantur prima, sed tantum fines ponuntur, ut ne umbra quidem eius convenientiae appareat, quam Cicero ostendere volebat. Horum omnium incommodorum una est levatio, ut statuamus, ante verba *his omnibus* nonnulla excidisse, quibus Cicero simili forma atque supra (*Polemone et Aristoteli ea prima visa sunt cet.*) dixerit, quae alii prima posuissent; tum rectissime (quemadmodum ante: *Ergo nata est cet.*) subiciebatur de finibus: *his omnibus, quos dixi, consequentes* (consentanei iis, quae posita sunt prima) *sunt fines bonorum*. Et fortasse etiam Carneadem et Hieronymum nominarat, sed hic exempli causa solos Aristippum et Stoicos ponit. Tantum

quos dixi, consequentes sunt fines bonorum, Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturae, quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere, quod ita interpretantur,

1. quae dixi C fines sunt E 2. Stoici [A]E

nescio, quae alia prima Stoicis atque Peripateticis et Academicis dare potuerit; nam quae his dat, ipsa sunt Stoica; sed ut paulum inflecteret, postulabat tota disputationis forma instituta. Ex editoribus primus Ernestius locum obscurum esse senserat et post eum Rathius, qui ex C et aliis, quae eam sequuntur, veteribus editionibus malebat quae, quo tollitur barbaries in voce *consequentes*, cetera incommoda etiam auferuntur; ipsum illud, omnibus primis naturae respondere fines Peripateticorum, Calliphontis, Diodori, ineptum est. Matthiaeus, cum distinctius partem vitiorum videret, mala tamen medicina haec omnia verba tolli volebat, quo facto ea, quae sequuntur, pertinebunt ad illud: *prima visa sunt*, ut audiatur: *primum visum est*. Atqui Stoicis naturae convenire summum et extremum est, prima naturae longe alia. Gzius *consequentes* putat esse *conformes* (ipsius est verbum), hoc est, consentientes, satis contra sermonis usum; et discrepant aliquantum Calliphon et Diodorus ab Aristotele. Et. ut exposui, tum etiam Aristippi et Stoicorum fines inter se consentire dicentur, non. ut ille putat. repugnare. Omnino non agitur hic de diversorum philosophorum finibus inter se conferendis. sed de primorum et finium apud eosdem philosophos convenientia. Orellio tamen Gzius satisfacisse videtur; Otto ne admonitione quidem quidquam egere putavit. [Frustra nuperrime G. Schneider in libro, qui inscribitur *Zeitschrift für das Gymnasialwesen*, 1866, p. 695 sqq., locum sic expedire studuit, ut *consequentes* vellet esse *ἐπιγεννηματικούς*. Nam neque *consequens finis*, ut esset *ἐπιγεννηματικός*, dictus est dicive potuit (aliud est, aliquid consequens esse et post oriri) neque *ἐπιγεννηματικά τέλη* quisquam Graecus fando audivit nec, si quid id esset, quae haec esset proprietas finium philosophorum eorum, qui ante nominati sunt, intellexeretur, nec quomodo adiungerentur illa: *Aristippo — Stoicis*. Omnino nihil manifestius est quam agi de convenientia primorum et finium et eo pertinere *consequentes*.]

id est, honeste vivere) Interpretatur, quod paulo minus usitate dixerat, *e virtute*, id est, *secundum virtutem*, κατ' ἀρετήν (vid. ad V, 26: ἐξ ἀρετῆς ζῆν, quod Gzius ait saepe Stoicos dicere, nemo Stoicus. immo nemo Graecus dixit umquam), et simul duplicem formulam idem significantem coniungit, ut III, 29

vivere cum intelligentia rerum earum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam. reicientemque contraria. 35. Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadi tertius, 5 tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est, in honestate; nam Pyrrho, Aristo,

1. earum rerum CO^r 2. eligente — reicientem LPMCR *reicientemque* [A¹]E 3. unus om. L 4. Carneadis [A²]LPMCRor. 6. Calliphonis C 7. decorem E in (ante honestate) om PMC [pyrrho A]

inverso ordine: *honeste, id est, cum virtute.* Male Dav. e codd. Parr. 1, 2 (Ox. U) *honestate*; longius progressus Eliensis (uter?): *cum honestate.*

quod ita interpretantur cet.) ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. ἐλεγόμενον μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπελεγόμενον δὲ τὰ παρὰ φύσιν. Vid. ad IV, 14. *Eligentem* — *reicientem* habuit codd. bonorum archetypus (Spir., Mor). restituit Davis. [B ut A¹.] In vulgarium archetypo aut excidit casu lineola aut corrigendo relatum est ad *intelligentia*. Reditum tamen ad verum in El. 1, Εξψ. Sed notanda *evenirent* et *essent* post *interpretantur* posita, quod Cicero subito cogitationem a suo tempore rettulit ad veteres Stoicos, huius interpretationis auctores, de quo genere dicetur ad III. 67.

35. *Carneadi*) Vid. ad I, 14. [Mox aut post *honestas* aut, ut Baitero visum est, post *accessione* excidisse videtur est.]

Calliphontis) Sic Pall. omnes, Oxx., Gziani. Monuit Gruterus. Tamen mendum, quod alibi (V, 21 et Off. III, 119) etiam codd. occupavit, in edd. haesit ad Gzium.

una simplex) Loquitur, tamquam praecedat *sententia*, non *finis*; nam in hoc vocabulo neque genus variare poterat neque omnino id hoc significatu umquam feminino genere dictum est. Synesin hanc appellant et optimis scriptoribus usitatam dicunt; nos simplicius negligentiae excusationem quaerimus.

posita in decore tota) *Decus* saepius pro *honesto* dixit, τὸ καλὸν exprimens, ut h. libro 44, 56. Legg. I, 55; alibi *decus honestatis*.

Pyrrho, Aristo, Erillus) Vid. 43. [Postremo nomini nunc aspirationem detraxi cum Baitero, qui et hic in AB semper (43, IV. 36, 40, V, 23, 73) sine aspiratione nomen scribi annotat (in Erl. ter) et Acad. II, 129, Tusc. V, 85, Off. I. 6, apud Diogenem etiam Laërtium incertam aspirationem esse. De ceteris codd. rectene taceatur, nihil ad rem.]

Erillus iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum; XII. Epicurus autem cum in prima commendatione voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem 5 tenere debuit ultimum bonorum, quod ille; sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam [Aristippi] in prima commendatione poneret.

1. *Herillus* (LPM)ROr. 5. *sed eam* E *si ea* L [*id est* (pro *idem*) A¹] 6. *eamque* E 7. [*id est* A¹] *illam* om. L *Aristippo* E *illam, non Aristippi*, Or. cum nota mendii ante *voluptatem*.

Reliqui sibi constiterunt — Epicurus autem) Incommodam capitum. quae vocantur, distinctionem sequentes editores praeter Ernestium obscurarant disputationis cohaerentiam, dum haec: *Epicurus autem* cet. usque ad *poneret*, in quibus Epicuri inconstantia cum ceterorum constantia comparatur. cum iis connectunt, quae sequuntur.

Cap. XII. *in prima commendatione*) hoc est, in prima conciliatione naturae, tamquam id, quod primum appeteretur. Vid exc. de primis naturae. *Dixisset* est *nominasset* (posuisset), ut non opus sit Lambini coniectura, *esse dixisset* scribentis.

fecisset idem. ut voluptatem illam cet.) Hic locus, quem ex parva parte interpretes attigerunt, sic implicatus est ipsius Ciceronis culpa, ante, quam satis perspicue conclusionis partes et ordinem animo concepisset, orationi habenas permittentis, ut recta sententia effici nequeat, sed tantum ostendi, quid voverit dicere et in quid inciderit. Vult Epicurum dilemmate premere. Incipit ab voluptatis notione tamquam ambigua, quasi demonstraturus, cum Epicurus hanc primam posuisset, prout eam explicasset, aut ad Aristippi aut ad Hieronymi summum bonum pervenire debuisset. Itaque priori e duobus, quae fieri possent. quod hoc est: *si eam* (dixisset), *quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum*, respondere alterum huiusmodi debuit: *sin eam, quam Hieronymus, idem, quod hic, ultimum tenere*. Sed cum ad alteram partem pervenisset, animadvertit, sic non effici conclusionem et reprehensionem. Responderi enim poterat: Eam dixi, quam Hieronymus, et ideo idem summum bonum pono. Urgendus igitur alia forma erat adversarius, dicendumque. si hoc summum bonum tenere voluisset, talem etiam voluptatem (non dolendi) in prima commendatione ponendam fuisse; positam esse autem alteram, moventem, quae vere voluptas appellaretur (§ 32). Premenda igitur erat specialis notio

36. Nam quod ait, sensibus ipsis iudicari voluptatem

voluptatis, non ambigua illa utendum. Sed Cicero protasin retinuit ex ante instituta dilemmatis forma, apodosin ad hanc novam accommodavit. Itaque incidit in inanissimam tautologiam: *si eam* (in prima commendatione voluptatem dixisset), *quam Hieronymus, fecisset* (id est, facere debuit), *ut voluptatem illam in prima commendatione poneret. Fecisset* est ex eo genere coniunctivorum (imperfecti et plusquamperfecti), qui cum conditione, sive ea verbis expressa est sive intellegitur, ponuntur ad significandum non id, quod fieret factumve esset, sed quod fieri debuerit. Attingit rem a grammaticis fere neglectam Zumptius § 529 not. [ego Gr. L. 351 b not. 4]. Exempla (nemo enim adhuc nisi unum et alterum posuit) sunt infra IV, 57 (*detraxisset*), in Verr. I, 107 (*imitatus esses*), II, 57 (*non animadvertisset?*). V, 168 (*asservasses hominem*), pro Sest. 45 (*vestitisses, repugnasses, — oppetisses*) et 54 (*commoverentur*), pro Sulla 25 (*a Torquato tamen sileretur*), Phil. II, 86 (*peteres*), Offic. III, 88 (*potius diceret*), Liv. XLV, 37, 4 (*non triumphum impedire debuit. — sed postero die — nomen deferret cet.*, [Plaut. Pers. IV, 6, 28 (*cras iras potius*), Pseud. I, 3, 52 sqq., Truc. IV, 2, 39,] Terent. Andr. IV, 4, 54 (*praediceres*), Heaut. I, 2, 28 (*pateretur*) et III, 2, 22, Hecyr. II, 1, 33 (*curares*), Phorm. II, 1, 67 et III, 1, 4, [Vergil. Aen. IV, 678, VIII, 643, ubi prave enarrant *velles, malles*, X, 854, XI. 162], Propert. IV (V), 7, 29 et 30 (*at iussisses*), [Ovid. Epist. X, 77, XII, 15, Am. II, 16, 17, III, 10, 42 (*optasset* et Puteaneo.)] Iussivus est modus; itaque in negando dicitur *ne*, ut ad Att. II, 1, 3 (*aut ne poposcisses*), in Verr. III, 195 (*ne emisses*). [Plaut. Pseud. I. 5. 22. Apud hunc Trin. I, 2, 96 *non retinetur ex non rogarem?*]. Sed restat id, in quo uno haeserunt editores, cum sic scriberetur: *ut voluptatem illam Aristippi cet.* Apertum est enim, non id postulare Ciceronem, ut Hieronymi sententia cum Aristippi contraria coniungatur, sed ut in Hieronymi perstetur. Itaque e cod. El. 2 (*fuitne potius?*) Davisius et recentiores, excepto Schuetzio, scribunt: *voluptatem illam, non Aristippi, cet.* Mihi multo probabilius visum est, *Aristippi* additamentum esse librarii *illam* infelici conatu defipientis. Viderant idem Mars., Urs., Schuetzins. Illud addendum, ne frustra laboretur et plura turbentur, tautologiam illam adeo esse insitam in his verbis: *sin eam* (dixit in prima commendatione), *quam Hieronymus et: in prima commendatione poneret*, ut nulla eam reliquorum verborum mutatio attingat.

36. *Nam quod ait*) Novum capit initium, sensuum testimonium, quo Epicurus utebatur (I, 30), reiciens.

bonum esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt, *cum* privatarum litium iudices sumus. Nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicii. In quo frustra iudices solent, cum sententiam pronuntiant, addere: si quid mei iudicii est. Si enim non fuit eorum 5 iudicii, nihilo magis, hoc non addito, illud est iudicatum.

2. *cum* om. omnes. Or. inserit post *litium* [*privarium* A¹] 3. [Literam postremam vocis *enim* et primam v. *possumus* in rasura habet A.] 4. *solent iudices* E 5. *si quod* E 6. [*non*] *addito* Or.

cum privatarum litium iudices sumus) Coniunctionem necessariam Lambinus et Th. Bentleius addi iusserunt. Inepte vulgo separata haec leguntur: *Privatarum — sumus*; nam nec cetera apta sunt ullo modo ad fingendi figuram (*Fingamus nos esse*), et ea absolvi longe aliter debebat, et repugnat vehementissime *enim*, quod proxime adiungitur illis: *quam leges nobis permittunt*.

nihilo magis, hoc non addito) Miro errore Bremius et Orellius tolli *non* volunt, id est, sententiam prorsus pessumdari, quae haec est, exposita iam a Lambino: „Frustra iudices caventes, ne de alieni iudicii re iudicent, ascribunt: *si quid mei iudicii est*; nihil enim opus est illo additamento; nam si res eorum iudicii non fuit, iudicium ab iis factum, etiam illo non ascripto, tamen irritum erit.“ Decepit viros doctos *frustra*, quo putarunt significari, iudices propositum suum non assequi. *Frustra* est *sine causa*; frustra enim (ut ipse hoc significato utar) Handius Turs. II p. 747 hunc usum a Cicerone abiudicat; vid. Tusc. I. 21. Formulam ipsam eo pertinere, ne quid de eo iudicatum sit, cuius quis iudex competens non fuerit, non monerem, nisi Gzii enarrationem viderem.

Quid iudicant sensus?) Ut mei, sic aliorum codices quod habent, male conflatis sententiis (*iudicatum, quod iudicat sensus*). Interrogationem a superioribus diiunxit P. Faber, sed reliquit *iudicat*, quod ferri h. l. non potest, non solum quod Cicero bis *sensus*, non *sensum* nominavit, sed quod aperte de singulis sensibus, non de communi corporis vi sentiendi loquitur exemplaque subicit plurium. Itaque Ernestius *iudicant*, secutique recentiores. [Et ita B.] Deinde idem aspero *leve* contrarium esse volebat; et sunt illa contraria ad tactum (vid. N. D. I, 66. Acad. II, 121). [Itaque nunc cum Baitero sic ex A scripsi; antea duo prima exemplorum paria a gustu sumpta putaram. In *movere*, pro quo Ernestius *moveri* mallet, Cicero universam quasi substantivi (*motus*) notionem tenuisse videtur; et dicitur *terra movet*, non solum *voluptas movens* (§ 31).]

Quid iudicant sensus? Dulce, amarum, leve, asperum, prope, longe, stare, movere, quadratum, rotundum. 37. Aequam igitur pronuntiabit sententiam ratio, adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari
 5 rite sapientia, deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti; quarum adeo omnium sententia pronuntiabit primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem
 10 modo, ut ad honestatem applicetur. De vacuitate doloris eadem sententia erit. 38. Reicietur etiam Carneades, nec

1. *quod EPMCR iudicat omnes lene* ELPMCROr. 2. *movere stare* E *Quam* (pro *aequam*) omnes, Or. 3. *primo* E *humanarum divinarumque* PMR 5. *rite transp. ante potest* E *omnium rerum* R 6. *mirriferas* (pro *ministras*) P (mg. *miraforas seu moriferas*) 7. *primo* C 11 *est omnes, Or. autem* (pro *etiam*) E [*Carniades* A¹]

37. *Aequam igitur*) Secutus sum veterem emendationem, quam Davisius e Par. 3 protulit quaeque est in ed. Ascens. et Crat. Nam codicum scriptura (quam sic interpungebant: *Quam — ratio? Adhibita* cet.) summam perversitatem habet, cum Cicero sententiam a duplici ablativo absoluto orsus subito, nulla causa, nulla orationis inflexione, nullis interpositis, relativum pro demonstrativo ponat. Talia frustra anacoluthi nomine obteguntur; nam in anacolutho et causa et modus est. Itaque prudentiores editores inde a Lambino *harum* aut scribunt aut probant. Sed ipsa interrogatio non recta est. Quasi enim rationi antea iudicandi munus datum sit, quaeritur tantum, quid iudicatura sit. Atqui sensus a iudicio remoti erant; alius iudex nondum datus. Ab hoc igitur incipere debet oratio: „Veram igitur et aequam sententiam, quae a sensibus expectari nequit, pronuntiabit ratio adhibita sapientia et virtutibus.“ Sic etiam haec ipsa de adhibenda sapientia et virtutibus multo fiunt aptiora, cum simul ratio iudex constituatur. *Adeo* non, ut Gzuius putat, cum *omnium* coniungitur, ut sit *vel omnium*, quasi mirandus sit consensus; nec umquam sic dicitur *adeo*; aliam rationem habent, quae Handius I p. 150 conguessit. ab ipso fere explicatam: Subicitur *adeo* pronomini, ut alibi demonstrativis, in transitu, cum ad ipsam rem acceditur; cfr. Hand. I p. 143 et 145 sq.

sententia erit) Prorsus necessaria erat Th. Bentleii emendatio. a multis probata aut recepta, quamquam mire *erit* et *est* permutantur. [V, 83 BErl. *est*, deteriores *erit*.] Praesenti

ulla de summo bono ratio aut voluptatis non dolendive particeps aut honestatis expers probabitur. Ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet, nihil esse bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe, cetera aut omnino nihil habere momenti aut tantum, ut nec 5 expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reicienda sint, aut anteponet eam, quam cum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae et totius perfectione vitae locupletatam videbit. Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas verborumne sit controversia. 10

1. *illa* LPMCR *de summa honoratio* E 2. [*honestatis exprobabitur* A¹] *relinquunt* PMCR 3. *statuit* C 5. *omnino* om. L 6. *expetenda nec eligenda modo sed fugienda aut reicienda* L 7. *interponet* L 8. *ipsis* om. E 9. *locupletam* E *locupletem* R *prospexerit* E

neque per se locus est, cum, quid ratio iudicatura sit, significetur, neque in hac serie: *pronuntiabit, reicietur, probabitur, relinquet* cett. Klotzius tamen (Quaest. Tull. p. 57) in ceteris commemorari putat, quale sit futurum rationis iudicium, haec universe dici: de vacuitate doloris eandem esse sentiendi condicionem ac legem. Hoc scilicet significat *sententia est*; et in ceteris Cicero sententiam ipsam rationis et iudicium posuit, hic sentiendi condicionem. Septem Cicero (35) fines posuerat, qui defendi possent; hos nunc percurrit, primum voluptatem removens sive solam (Aristippi) sive cum virtute coniunctam (Calliphontis); voluptatem sequitur vacuitas doloris sive sola (Hieronymi) sive adiuncta (Diodori); his adicitur Carneadis sententia, generaliterque pronuntiatur (*nec ulla* cet.). Tum ad Stoicos et Polemonem venit. Et in hac serie Gzius „interiorem disputationis nexum“ turbatum esse putavit!

38. *nec ulla*) Primus ex Pal. 1 restituit Dav., retinuerunt recentiores taciti. Habent etiam [B,] Eξ. [B *relinquunt* habere scribitur.]

aut tantum, ut cet.) *Τὰ προηγμένα* et *τὰ ἀποπροηγμένα* Stoicorum significat, quae *ἀξίαν* habebant quandam, ut in libro III exponitur.

tum etiam ipsis initiis naturae) primis naturae, quae corporis bonae et externa appellabant Peripatetici et Academici. Vid. exc. ad § 33. Huic appellationi a Stoicis tractatae adiungit Aristoteliam formulam, *βίον τέλειον* cum virtute coniungentem, eadem sententia. Vid. ad V, 26. Ipse Cicero, Antiochum sequens, re idem sentire Stoicos et Peripateticos statuebat.

XIII. 39. Huius ego nunc auctoritatem sequens idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones omnesque sententias simplices eorum, in quibus nulla est virtutis adiunctio, omnino a philosophia semovendas putabo, 5 primum Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in ea voluptate, quae maxima dulcedine sensum

1. ergo C auctoritate E 2. ego (pro enim) C om. P 3. simpl. sentent. ELPMCROR. inest [A]Or. 4. omnino adiunctio E semovenda E 5. primum — ponere citat Gellius XV, 13. [Cfr. Anonym. in Endlich. Anal. Gramm p. 166.] 6. maxime C

Cap. XIII, 39. *sententias eorum, in quibus*) Mire et dure Cicero, cum *eorum* sic posuisset, ut relativo addito definiendum esset, relativum ad *sententias* rettulit, quasi dixisset *sententias eas*. Et commodius sic scripsisset; nam putidius erat: *in quorum sententiis*. Minus offensionis ea exempla habent, in quibus relativum non refertur ad *illud* universe ad novam rein significandam praemissum, sed ad personam, velut III de Orat. 184: *illud assentior Theophrasto, qui putat, cet.*, ubi Henrichsenius ascripsit II de Or. 313 et de prov. cons. 36: *illae sententiae virorum clarissimorum — quorum*; [addo Verr. III, 49, ad Fam. I, 9, 13, Cat. 85, R. P. II, 61]. Sed paene similis negligentiae et duritiae est hoc pro Balbo 32: *Quaedam foedera extant, ut Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est cet.*; debebat enim esse: *in quibus*; nomina tamen interiecta obscurant vitium orationis. Illud prorsus nostri loci simile etiam in pronomine *eorum*, quod in eadem oratione legitur 48: *Num quis eorum, qui de foederatis civitatibus esset civitate donatus, in iudicium est vocatus?* Incipit a generis definitione, quae haec est: *eorum, qui — erant donati (non essent)*; transit ad unum aliquem, de quo recte diceretur, omisso *eorum*: *num quis, qui cet.* [Lex antiqua repet., Momms. Inscr. Latt. n. 198 v. 83: *Si quis eorum, qui civis Romanus non erit, ex hac lege cet.* Eandem formam codd. habent de Orat. III, 16: *is erit ex iis, qui aut illos non audierit aut iudicare non possit.*] Ex eodem genere relativi non accurate demonstrativo redditi erat, quod I, 55 notavimus.

nulla est) Sic edd. ante Crat. et cum meis codd. Oxonn. omnes; *inest* a Crat. acceptum omnes praeter Manutium et Lambinum tenuerunt, ceteri taciti, Gzius in quattuor suis esse testans, quod vix credibile est, Spir. ab Erl. [et B], deterioris a meis et Oxx. dissensisse. [A tamen *inest*. Ex eodem nunc positum *sententias simplices.*]

moveret, summum bonum ponere, contemnentes istam vacuitatem doloris. 40. Hi non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intellegendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem deum, contraque ut tardam 5 aliquam et languidam pecudem ad pastum et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt, quo

2. ù MR 4. ad ante duas om. E ad om. ante agendum [A]E, ante intellegendum C, utrobique LPMR 6. procreandam M 7. quod E

quos non est veritum) Rariorem et antiquam formam verbi impersonalis passivi ex eodem genere, quo *puditum est, pigitum, miseretur*, annotavit Gellius. Veterum poetarum et Varonis exempla Nonius habet p. 496.

40. ad cursum) Eξ, Gud. 1, Bas. ad currendum.

ad intellegendum et ad agendum) Ante Ernestium edebatur, Grut. tacente, *intellegendum et agendum*, omissa utraque praepositione, nisi quod pleraeque veteres edd. ante Crat. altero loco praepositionem addunt, Davisius e Par. 1 priore. Gzuius priore loco praepositionem in paucis modo codicibus legi, posteriore in nullo tradit. [B ut A et Erl. ad *intell. et agend.*] Numquam apud Ciceronem (nisi forte hic I, 36, ubi tamen ablativus per se poni poterat) gerundium sic substantivo praepositione non repetita apponitur; [apud Livium id fit XXI, 4, 3, XXII, 8, 5, apud Horatium Ep. II, 1, 19]; nec in hac diligenti distinctione duarum rerum semel praepositio poni potuisse videtur. Gud. 2 *intellegendi et agendi*. Non potest huc advocari genitivus ille in explicando et definiendo usitatus, de quo dixi Epist. ad Orell. p. 79 (pro Planc. 30: *nonnullis rebus, generis dico et nominis*). Aristotelis in iis, quae extant, scriptis nullus est locus, ubi his ipsis verbis utatur, etsi res plane convenit cum reliquis Aristotelis sentiis et divisione virtutis, quae partim in scientia sit, partim in agendo. Vid. Ritteri Hist. Philos. vol. III p. 302 sqq., 335 sqq., infra V, 36. (*Ἀναγκαῖον τὸν τέλειον ἄνδρα καὶ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων καὶ ποιητικὸν τῶν δεόντων*, Plut. de Plac. Philos. I, 1 p. 874 F e sententia Aristotelis et Theophrasti.)

quasi mortalem deum) Vix putem Ciceroni in obvia comparatione obversatam esse, quod Davisius credit, obscuram Heracliti sententiam: *Ἄνθρωποι θεοὶ θνητοὶ θεοὶ τ' ἄνθρωποι ἀθάνατοι*.

hoc divinum) hi hoc Dav. e Par. 1; Urs. cod. sic hoc, El. 2(?)

nihil mihi videtur absurdus. 41. Atque haec contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit, quam omnes unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose. Nec enim
 5 figura corporis nec ratio excellens ingenii humani significat, ad unam hanc rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus, cui summum bonum est idem, quod vos interdum vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum est dolor, carere eo
 10 malo satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius:

Nimium boni est, cui nihil est mali;
 nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus, nec eam cessando, sive gaudentem, ut Aristippus,

1. [Aristippum Δ] 2. Post *non modo* in C transpositione facta sequuntur, quae leguntur § 45: *multa simul agitantem* usque ad § 50 extr. *sua vi, sua natura*, tum autem pergitur: *summam sed solam usque ad celerrimeque* (§ 45); deinde (§ 50 extr.): *sua sit sponte laudabile* et reliqua. 3. dicit ECR alter E 4. nobis LPMCR ille om. E 5. corporis figura L nō (pro ratio) C 6. hanc unam LPMCR Or. 8. vel saepe minimum, om. potius, E 9. Non enim — nihil est mali om P dolor est Or. est om. LMCR 14. dicemus E gaudendo C

sic hi hoc. Tum locum haberet *sic hoc*, si in duobus subiectis duo praedicata compararentur, ut paulo ante.

41. *solam etiam ducit*) Dicit etiam ξ, et sic Manutii et Lamb. ediderunt; ducit omnes Pall. et Gzii (cui tamen Erl. excipendus fuerat). [Etiam B dicit.]

ad unam hanc) Sic etiam Spir. [B]. Ceteri tacent.

est dolor) Edebatur *dolor est*; secutus sum eos codd. [etiam B], qui verbum habent; nam omittitur in tribus Oxx. et duobus aliis Davisii, in Gud. 1, Bas., dure post *si*, in hac praesertim compositione: *Non enim, si.*

Nimium boni est cet.) Versus est ex Hecuba, respondens his Euripideis (627 et 628 Nauck.): *κείνος ὀλβιώτατος ὄρω κατ' ἡμᾶρ τυγχάνει μηδὲν κακόν.* Ne cui duas syllabas faciat, nonnulli transponunt: *mali est*; Nobbius *nimium boni* in fine versus, cetera in initio posuit, Graecum sequens. [Vahlen, Ennianae poes. reliqu. p. 118: *Nimium boni est, cui nil est in diem mali.*]

sive gaudentem — sive non dolentem) E Pal. 1 restituit Grut.; idem Spir. [B]. Generale est *cessando*, cui respondet *agendo*, de eo, quod efficiat beatam vitam; ea duplicem habet formam,

sive non dolentem, ut hic, sed agendo aliquid considerandove quaeramus. 42. Quae possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici, quod is non tam, ut probaret,

1. *non dolendo* PMCR 2. *possint* C Carneadum E Carneadis C

ut aut *gaudeat* aut *non doleat*. Primum pro *dolentem* factum est *dolendo*, retento *gaudentem*, ut in Lambinianis, Pall. reliquis, Ox. U; deinde etiam *gaudendo* (Εἰχψ, Gud. 1, 2). Qui haberet *gaudendo* — *non dolentem*, solus vidit Gzius Bas., eodem errore, quo id in ed. Crat. esse putavit.

42. *non tam, ut probaret*) De eadem re Acad. II, 131: *Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse frui iis rebus, quas primas natura conciliavisset. Itaque hic quoque Dav. ut pro quo poni putat in causa indicanda (quod ipse id probaret). Non patitur particulae natura, cum praesertim contraria sint non tam ut et quam ut. [Cfr. ad Att. II, 25, 1: non quo faceret, sed ut faceret.] Itaque Gzius vult esse: non tam ut aliis probaret (etsi non his verbis utitur, sed uti debuit, si quid efficere vellet). Ne hoc quidem procedit, non solum quod alibi quoque Cicero in hac re ipsius Carneadis veram mentem a sententia disputandi causa proposita distingvit (Acad. II. 139), sed quod aliis probare eam sententiam, id est, in disputando probabiliorum et superiores efficere Carneades sane volebat; neque enim aliter noceret Stoicis, adversariis suis. Itaque hoc significato Carneadem Cicero ait (de Orat. II, 161) *nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendisse, quam non probarit*; ergo hanc quoque aliis probabat, saltem argumentorum specie, non probabat ipse apud se. Quid dicemus igitur? Cicero, trahente membrorum aequalitate, in priore membro consilii notionem minus proprie substituit causae, hac fere sententia: *non tam ut haberet ipse, quod probaret et in quo acquiesceret*. Quod autem Davisius ad illam significationem particulae ut defendendam advocat de Fato 35: *non ut eae res causam afferrent amoris, ibi ut modum significat cum brevitate aliqua orationis (non ita, eo sensu, ut eae res causam afferre putarentur)*; [cfr. Orat. 31. Hor. A. P. 257]. Ad Attic. etiam XIV, 17, 4 (*Earum exempla tibi misi, non ut deliberarem, reddendae essent* —, *sed quod non dubito* cet.) retinenda est consilii significatio (*ut, audita tua sententia, deliberarem*), sed, ut saepe, consilium simul causam rei continet. Pro *opponeret* cum in unam et alteram edit. venisset *opponeretur*, verum in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatum est.*

protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, oppo-
neret; id autem eiusmodi est, ut additum ad virtutem auc-
toritatem videatur habiturum et expleturum cumulate vitam
beatam, de quo omnis haec quaestio est. Nam qui ad vir-
5 tutem adiungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi
facit, vel vacuitatem doloris, quae, etiamsi malo caret, tamen
non est summum bonum, accessione utuntur non ita pro-
babili, nec tamen, cur id tam parce tamque restricte faciant,
intellego. Quasi enim emendum eis sit, quod addant ad
10 virtutem, primum vilissimas res addunt, deinde singulas
potius, quam omnia, quae prima natura approbavisset, ea
cum honestate coniungerent. 43. Quae quod Aristoni et

1 pertulit E apponerent E opponeretur R 3. accumulate C cumulante R
9. intelligunt cum enim dandum eis E addunt E 10. [dein A] 11. ea
cum voluptate coni. PMR om Or. 12. cum (pro quod) omnes, Or.

ea — coniungerent) Expectet aliquis coniungant. Sed illa
verbi forma id, quod fieri debuerit, in aliud tempus reicit,
qua figura orationis Ciceronem etiam IV, 39 usum esse, opti-
morum codicum consensus declarat. Obversabantur Ciceronis
animo, ut etiam IV, 20, sententiae iam pridem constitutae. Atque
ex hoc imperfecto pendet tempus et modus verbi *approbavisset*,
pro quo aliter necessario scribendum erat *approbavit*. Sic
autem, ut edidi (*cum honestate*), scriptum erat etiam in Pal. 3,
quinque Oxx. (*ψ alia manu voluptate*), Gzii uno praeter Erl.
Reliqui codd. (Pall. Gruterus appellat, Gzii Spir.) et edi-
tiones: *cum voluptate*, absurde, quoniam de iis agitur, quae ad
virtutem addantur. Itaque Marsus, tum Lambinus quattuor
verba sustulit, hic ab suo codice longe optimo abesse testans,
de quo valde dubito, postremo, a Davisio, Ernestio, Bremio
damnata, Gziius. Qui quod *coniungunt* scribendum fuisse putant,
ut olim Manutius ediderat, graviter errant. Nam qui sic lo-
quitur, is hoc potius quam illud nomen ei, quod fiat, con-
venire dicit, non hoc fieri, alterum non fieri. Deinde his
omissis formae verbi *approbavisset* ratio reddi nequit. [Nunc
constat cum Erl. A et B et sine dubio Spir. in vera scrip-
tura consentire.]

43. *Quae quod*) Sic necessario scribendum fuit; nam quod
in codicibus legitur editumque ab omnibus est, nihil aliud
potest significare nisi: *quo tempore* aut: *quotiens visa sunt*, quo-
rum utrumque ineptissimum est. Itaque Manutius *sint* scrip-
sit, Otto *quoniam*, uterque incidens in causalem sententiam,
quasi ideo, quod aliquid illi dixerint, contra hoc ipsum dispu-

Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte iam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione expoliarent nec ei quidquam, aut unde oriretur, 5 darent, aut ubi niteretur, virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Erillus autem, ad scientiam omnia re-

1. [pirroni A] omnino om. L sunt visa E 2. interesse dicerent L 3. desitum est contra eos E 4. esse omnia I. earum rerum L 5. [expolierunt A] electione spoliaverunt E ore retunderet (pro oriretur darent) E 6. ipsamque ampl. E 7. [Herillus? vid. ad § 35 not.]

tari sit desitum. Dici poterat: *quae cum — visa essent*, ut ostenderetur occasio disputationis ortae, quae postea desisset. Sed indicativus et tempus verbi ostendebant, scriptum esse a Cicerone *quod*: „Nam quod ad Pyrrhonis et Aristonis sententiam attinet, quibus haec cet.“ Ex *quod* saepius factum est *cum*; vid. Opusc. Acad. I p. 510.

Aristoni et Pyrrhoni) De Aristonis sententia, qua omnia, quae inter honestum et turpe interiecta essent, ἀδιάφορα sic relinquebantur, ut nihil alteri praeponeretur ulla aestimatione, ipsumque summum bonum in ἀδιαφορία animi nusquam inclinantis ponebatur (III, 11 et 12, IV, 43, V, 73, Off. I, 6, Acad. II, 130), veterum testimonia collegit Ritterus in Hist. Philos. vol. III p. 507. De Pyrrhone, qui, cum omnia addubitasset, virtutis tamen et vitii notionem tneri conatus est et beatam vitam ἀπαθεία quadam animi consequi, idem p. 427 sqq. Cicero ubique eum cum Aristone coniungit; hic negligentius postponit longe posteriori. Quae Tennemann (Hist. Phil. IV p. 219) inter hunc locum et ea, quae IV, 43 de Aristone dicuntur, discrepantia esse videtur, facile tollitur; nam ne ibi quidem interesse quidquam inter singulas res, si aestimarentur, putasse dicitur. Gzius suo utitur artificio, ut omnino neget coniungi cum verbis *pro nihilo*, sed esse: *si in universum rem spectes*, oblitus, proximo versu dici *nihil prorsus interesse*.

inter optime valere) Notant grammatici insolentiam locutionis in infinitivo praepositioni subiecto et praeter Ovidium (add. Hor. Sat. II, 5, 69) eodem modo etiam Senecam dixisse demonstrant de Benef. V, 10, 2 (*multum et tum nihil interest inter dare et accipere*). [Nigid. Fig. apud Gell. XI, 11, 1, Pompon. Dig. L, 16, 89.] Aliud enim futurum erat *inter aegrotandum*. Mox in Erl. [et B] mendo latet *oreretur*, ut saepe in Livii codd. scribitur; sed iidem 69 *oriretur*.

vocans, unum quoddam bonum vidit, sed nec optimum nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse iam pridem est reiectus; post enim Chrysippum non sane est disputatum.

XIV. Restatis igitur vos; nam cum Academicis incerta
5 luctatio est, qui nihil affirmant et, quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt, quodcumque veri simile videatur.
44. Cum Epicuro autem hoc plus est negotii, quod e duplici

3 *reiectus* om., relicto spatio, E [*crisippum* A] 4. [*uncta* A] *iuncta*
E 5. *locutio* E 7. *est plus* Or. ex C

Erillus) De huius sententia, qua summum sapientis bonum in τῆ ἐπιστήμῃ ponebatur, simul autem alius quidam finis inferior, quo communis vita regeretur (ὑποτελής), inducebatur nec tamen satis firmiter constitui poterat (cfr. hic IV, 40 cum Diog. VII, 165), vid. Ritterus l. c. p. 508 sqq., qui de nomine τῆς ὑποτελίδος non comparavit Stob. Ecl. Eth. p. 60 et 62; ibi enim alii quoque eo nomine (prave enim bis ὑποτελής scribitur) usi esse dicuntur eoque significasse ea, quae natura animalis primo ortu appeteret. Cum Pyrrhonis et Aristonis expolis pridem sententiis Erilli coniungitur etiam de Off. l. c. nec seiungitur Acad. II, 129, ubi eius nomen restitui.

post enim Chrysippum) Requirent fortasse alii, quod Lamb.: *post Chrysippum enim*. Sed III, 36 est: *praeter enim tres disciplinas*, et Off. II, 8: *contra autem omnia* et 27: *post vero Sullae victoriam*, et II de Divin. 59: *ante vero Marsicum bellum*; [N. D. II, 52: *infra autem hanc*, ad Att. IX, 7, 5: *contra mehercule meum iudicium*]. Cornelii Nepotis locum (Eum. 13) addit Ramshornius Gr. Lat. p. 477. [Saepius sic Svetonius, Iul. 46: *post autem pontificatum maximum*, Calig. 51: *ad vero maiora*(?), Domit. 13, Gramm. 16; Gellius V, 11, 11.] Quod Gzius et Otto non sane leviolem negationem habere putant (*nicht sonderlich*), quam si sane non dicatur, sine causa fingitur; nam de Divin. II, 67 et Parad. proem. 2 satis simpliciter negatur.

Cap. XIV. *incerta*) *Uncta* (etiam cod. Pithoei apud Gifan., Burmanni Syll. Epist. II p. 307) et *iuncta* [B] e compendio orta. Gzius *incerta* in Erl. et Spir. esse falso affirmat.

44. *plus est*) Ex vett. quibusdam edd. post Manutium *est plus* propagatum est. Gzius narrat „Gud. 1, Bas, editosque veteres permultos cum Marso, Crat.“ habere *plus negotii est*. Marsus et Crat. habent, quod cum Erl. [AB] ceteri hominis codd. habuerunt. *e duplici genere* — *coniunctus*) Rarius *coniungi* aliquid dicitur, cum componitur et conficitur e partibus, et fortasse Cicero *coniunctus* sic nusquam praeterea posuit. sed posuit *iunctus* ex

genere voluptatis coniunctus est, quodque et ipse et amici eius et multi postea defensores eius sententiae fuerunt, et nescio quomodo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis facit. Quos nisi redarguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. 5 Ita ceterorum sententiis semotis, relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus et diligens, Chrysippus, non contemnit, totumque discrimen summi boni in earum com-

3. [his A] [habent A] 4. cum illis populus ER arguimus LPMCR
6. relinquitur enim mihi E 8. homo — putat Non. p. 282 homo acutus C
sed diligens [A]P et dil om E [Crisippus A] 9. eam rerum (pro earum)
Non. Aldi, eam rem rerum codd. antiqui Nonii, eadem LPMCROr.

duplici genere de Invent. II, 157 et 158, ad Att. IV, 15, 1: *ut est ex me et ex te iunctus Dionysius M. Pomponius*; add. Acad. I, 40, quem locum in exc. I vindicavi; [ut hic, Varr. L. L. V p. 26 Bip.]. Sed durius Cicero ad ipsum Epicurum transtulit, quod de summo eius bono proprie diceretur.

populus cum illis) In veteribus quibusdam edd. (Marsi. Crat.) aberratum: *cum illis populis*. Itaque in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatur haec et scriptura et ordo verborum.

redarguimus) Recte hoc restituit Gzius. quod in [AB et] edd. Marsi et Crat. est, idem omnes suos codd. sic habere dicit. nisi quod Gud. 2 cum Oxx. Eξ *redarguamus*. Non arguendi tantum et accusandi, sed convincendi etiam erant Epicurei. [Nam *arguere* pro *coarguere* Livii et posteriorum est.]

Chrysippus non contemnit) qui in opere *περὶ τελῶν* cum Stoicae doctrinae confirmatione perpetuam Epicureae refutationem coniunxisse videtur. Cfr. Acad. II, 138 et 140.

in earum comparatione) Edebatur in *eadem comparatione*, aperto mendo, quoniam nihil ante de hac comparatione dictum erat; neque umquam aut apud Ciceronem aut apud alios scriptores *idem* est *hic ipse*, qui nunc demum nominatur. Atque *earum* habet Erl. de quo uno ex melioribus constat, [etiam A et B], tum Oxx. Eξ, Mead. Davisii, qui id probabat, postremo, si Gzio credimus. Bas. et Gud. 1; sed idem narrat, in melioribus vulgatum esse, qui cum in Erl. redarguatur non silentio, sed testimonio, merito suspicor eum scribere debuisse, *earum* etiam in Spir. et Gud. 2 esse, alterum in duobus illis pessimis. Apud Nonium *eadem* a Mercerio e Ciceronis libris scriptum est; nam in codice S. Victoris. e quo is Nonium restituit, aut plane gemelli collatione diligentissima, quae in

paratione positum putat. Ego autem existimo, si honestum esse aliquid ostendero, quod sit ipsum sua vi propter seque expetendum, iacere vestra omnia. Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia tua, 5 Torquate, nisi memoria forte defecerit. 45. Honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut, detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit iure lau-

1. existimo om. E 2. aliquid esse EOr. esse om. LPMCR vi sua LPMCROr. in sua F se (pro seque) C se quoque L 4. omnia via EOr. 5. forte om. E Torquate ubi si (si om. LP) memoria (mea add. L, tua P) forte defecerit, tuum est ut suggeras LPMCR 6. intelligimus tale quod detracta (om. est ut) E 7. fructibusque C fructibus vespere E laudari iure L

bibl. universitatis nostrae extat, scribitur: *in eā rem rerum comparatione* [ut in Nonio Rothii]. Guyeto in mentem venerat: *in ea demum*, scite, nisi codicum bonorum scriptura sufficeret. In *comparationis* vocabulo editores imaginem esse volunt a gladiatoribus ad pugnandum comparatis ductam; sed neque substantivum sic alibi dicitur (apud Liv. XXXII, 18, 1 sic accipi nullo modo potest), nec in compositione, sed in ipsa certatione discrimen erat; itaque hoc non aliter dicitur atque *contentio et comparatio* de Off. I, 58 et 152. In Eξ est *compositione*.

esse ostendero) *Esse* aberat ante Gzium, qui addidisse [post *aliquid*] se ait ex omnibus suis, excepto Gud. 2. [Ordinem invertit A. Ex eodem *sua vi* pro *vi sua* restitutum.]

ad omnia tua) In Spir. etiam [sed nec in A nec in B] erat *via*, quod Gzius recepit; mendum id est ex ambiguitate ductuum ortum, cum *tu, ui, ut* difficillime discernentur. Nam nec abesse *tua* ullo modo potest, cum hactenus Cicero libere disputarit, nunc demum ea, quae a Torquato dicta sint, se refutaturum promittat, nec *via* est *ordine*, sic ut nihil omittatur; ne pro eo quidem, quod alibi dicitur: *via quadam et ratione, ratione et via* (supra § 3, I, 29, III, 18, Tusc. II, 6) quamquam ea significatio ab h. l. aliena est, simpliciter poni solet; nam quod Gzius advocat II N. D. 57, ibi presse vertitur Graeca definitio, in qua erat *ὁδῶν βᾶδιζεν*. [Vid. tamen R. P. I, 33.] Apud Terent. in Andr. II, 6, 11 incerta est scriptura, [etsi editur nunc: *rem reputavit via*. 1874].

nisi — *defecerit*) Restituit hunc locum Grut. e Pal. 1, cui consentiunt etiam Spir. et mg. Crat. Morelius e suo annotat: *nisi ubi men. f. defecerit*. Reliqui (Pall., Oxx., Gzii) eadem addunt, quae nostri deteriores, cum exigua discrepantia.

45. *fructibusve*) A Manutio (nam superiores fere R secuti

dari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intellegi potest (quamquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque studiis atque factis, qui permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum 5 emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno plurimum a bestiis differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque acrem et vigentem celerissimeque multa simul agitantem et, ut ita dicam, sagacem,

3. *et factis* ER 4. *quod* (pro qui) L *causam unam* EOr. *unam* om. C Inter *causam* et *faciunt* vacuum spatium est in P. *unam causam misericordiam* (*miseriordiater* R) *faciunt* MR 6. *multis aliis* LPMCRR 7. *uno* om. LC *a bestiis plurimum* LPMCRR. *habeant omnes*, excepto (L) 8. *a natura menti datam et acrem* LMCR *a nat. menti datam que hanc rem* (mg. ad *menti: venientem datamque hanc rem, ad que: et acrem et vigentem et cet.*) P *a natura datam mentemque et acrem* Or. *ingentem* PR 9. *simul multa* E

erant) propagatum erat *fructibusque*, quod Grut. tacite, Gzius iterum suorum omnium auctoritate sustulit. Ipsa haec honesti adumbratio simillimis verbis exponitur I Off. § 11 sqq., traducta fortasse tota e Chryssippi libro.

unam causam) *Causam unam* Gzius etiam e Spir. et Bas., Gud. autem 2 *ob eam c. mIam*, Mars. *ob eam causa una*, Oxx. $\chi\psi$ ut MR. Paulo post *aliis multis* Gruterus tacite edidit [ex A], tenuerunt recentiores; antea erat *multis aliis*. Tum uno om. e Gzianis (nam Grut. et Dav. tacent) Gud. 1, Bas., ed. Marsi. *Plur. a best.* (edd. *a best. plur.*) Gzius annotat e Bas. et Gud. 1; debuit ex Erl. et Spir. [B].

quod — habent) Necessaria correctio, quam Ernestius coniectura praeceperat, auctores habet parum locupletes, Bas., Gud. 1. Frustra enim Bremius orationem in obliquam formam transire putat; III, 17 ipsum *arbitramur* ostendit Catonis orationem mixtam esse ex sua et ex universae scholae.

datam mentemque acrem) Sic etiam mg. Crat. et, si silentio fides, Ox. E; Grut. et Gzius incuriose sic scribunt, tamquam in Pal. 1 et Spir. ante *acrem* sit *et*, quod retinuerat Victorius, cum primus meliorum scripturam restituit. Pall. 3 et 4, Ox. § *mentemque datam et acrem* (§ om. et), χ *mentem datam et acrem*, Pall. 2, 5, 6, U ψ *menti datam et acrem*. Eadem menda habebant Gziani deteriores.

et, ut ita dicam, sagacem) Admonet, in quo fuit qui haereret, legentes primae et propriae vocabuli significationis.

quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum. Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem cumque iis natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium. deinde omnium mortalium societate atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se

3. *vitae praesentis* F 4. *hominem fecit* E [Post *hominum* A² in marg. inserendum significat *amicicias*] 5 *his* [A]PCOR. et (pro ut) E 6. a om. E *currat longius* LPMCR 7. *mortalium omnium* E 8. *ut* om. C

vitae consequentis statum) De Off. l. c est: *Facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias.* Ex Erl. [B] possit aliquis suspicari et *praesentis* et *consequentis* a librariis addita esse, alterum in meliorum codicum principe, alterum in deteriorum. Neque enim in statu *omni* vitae opus est futuri temporis significatione. [Sed *consequens* de futuro librarii non est.]

ratio fecit) A prudentia transitur ad iustitiae notionem constituendam. Dav. ex El. utroque *facit*, ut a Crat. ad Lamb. editum erat. Potest defendi, quod in codd. (Pall., Oxx., Gzianis, [B]) est. ut ad primum effectum ingeneratae rationis referatur, sequaturque praesens de eo, quod ex illa qualitate (*appetens*) nunc in omnibus efficiatur. Nam Gzius quidem rationem universi intellegens et *ut pro eo consilio*, ut accipiens nugatur. Est enim ea ratio. quam *habent a natura datam.*

serpat longius) Sic etiam Pal. 1 (et 3), Spir., [B.] mg. Crat., codd. Mor. et Scal. restituitque Gruterus. Ceteri Pall., Oxx., Gziani *currat*; cod. Vict. *cernat*. Tum *mortalium omnium* etiam Spir. [B.] (Gzii nota perturbata est); sed saepissime Cicero altero ordine utitur, hoc numquam. Deinde *societati* Ox. E, Urs. cod., ed. Ven. 1480. Lambinus, contra Ciceronis usum.

ut ad Archytam scripsit Plato) in epistula, quae nunc quoque circumfertur, nona: *Ἐκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μὲν τι ἢ πατρὶς μερίζεται, τὸ δὲ τι οἱ γεννησαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.* Eadem Cicero transtulit I de Off. 22, ubi si codices sequimur, *τοὺς γενήσαντας καὶ τοὺς λοιποὺς φίλους* comprehendit uno *amicorum* nomine, ut hic *suorum*. Eandem sententiam Cicero posuit in orat. pro Mur. 83, ubi ex codicum vestigiis et sententia apparet eum scripsisse: *qui mihi non tibi, sed patriae natus esse videris, videre* cet., idque ante me Klotzium vidit.

soli natum meminerit, sed patriae, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. 46. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, cum vacui curis etiam, quid in caelo fiat, scire avemus, his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, 5 simplicia, constantia, tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum, omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quid- 10 dam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. 47. Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur et in eadem pulchritudine et aptum ex illis

1. solo E meminisse L 3 veri inveniendi LPMCR 4. curis et quid iam in F · sit R habemus [A]EPC 6 fana F 7. malitiam om. E eadem enim ratio E 8. quoddam E 10. alterum quiddam excelsum LPMCR 11 nulli (pro nemini) E 13. et aptum et ex E

sed patriae, sed suis) Rara apud Ciceronem haec particulae sed anaphora; itaque Lamb. et suis; sed eodem modo III Tusc. 82: quod non natura exoritur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum, [Verr. III, 169. pro Planc. 24]. Non solum apud poëtas (de quibus vid. lex.), Ovidium maxime, sed etiam apud Tacitum, Senecam. eiusdem aetatis alios, qui vehementem et, ut ita dicam, motoriam orationem sectabantur. frequens est; vid. Wolf. ad Tac. Ann. I, 10, Senec. de Const. Sap. 13, 4, de Benef. I, 1, 6; I, 7 extr. Cfr. Drakenb. ad Liv. III, 11, 2.

46. veri videndi) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B], restituitque Gzius; cfr. Tusc. I, 44 (ubi de cod. Paris. Bouherius erravit) et Off. I, 13. Ceterum notabilis est hic Stoicorum conatus iustitiae notionem, quam fere a societate repetunt, ex amore veritatis eruendi, in quo ab illis initiis progreditur Cicero sive potius Chrysippus, quae prorsus ad ipsam rerum cognitionem et meditationem pertinent. Nihil apud Graecos simile legi. Initia autem quae dicit, ipsa sunt illius cupiditatis veri videndi primordia, e quibus sensim ad illam in agendo veritatem deducimur. [Mox malitiam om. etiam B.]

altum quiddam et) Sic iam in edd. Marsi et Crat. recte scribitur; alterum annotatur ex $\chi\psi$, omissum et in U ψ . Fortitudinem describi, manifestum est. [Nulli pro nemini etiam B.]

47. in eadem pulchritudine) hoc est, non minus pulchrum,

tribus, in quo inest ordo et moderatio. Cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate, transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat et non
5 audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere, vere-

2 *spem* E a (pro ac) omnes 5. *audi* (pro *audet*) E [*nuere* pro *nocere* A¹]

genere loquendi paulo insolentiore; sed eodem modo dixit Tusc. III. 42: *quae sequuntur, in eadem sententia sunt*. hoc est, eiusdem sententiae, et I, 94: *in eadem brevitate reperiemur*, et I N. D. 31: *quae sunt iisdem in erratis fere*. Minus mirum est, quod in generis vocabulo Cicero saepe sic loquitur, ut hic III, 69 (*in eo genere sunt*. hoc est. eius generis), Verr. III, 92, de Divin. I, 89, Topic. 76; nam genere res comprehenduntur singulae; sed hinc illud ortum est durius, quod legitur hic IV, 36: *animus est in quodam genere corporis*, id est, genus quoddam corporis. Ab eadem origine dicitur *esse in vitio*, non solum universe (quod pervagatum est), sed definite, de R. P. I, 44: *quae genera sunt in iis singula vitiis, quae ante dixi*. Nec hinc discedit illud in Tusc. IV, 42: *aegritudines susceptae continuo in magna pestis parte versantur*, id est, magnam partem continent. Breuius praepositionem fortasse delendam esse putabat, audacior Lambinus sustulerat, venia dignus uterque. non Gzius, qui primum, adhibita etiam Graeca interpretatione, verba hoc significare docet: *ad eandem pulchritudinem referendum est*, et pulchritudinem internum animi decorem intellegendum esse, quasi aut illo modo dicatur *in* aut hanc pulchritudinem ante Cicero commemorarit in eaque virtutes tamquam partes posuerit; deinde mirificus nugator omnia plana fieri putat, si *et* — *et* pro *non solum* — *sed etiam* accipiantur. At quaerebatur de *in* praepositione.

Cuius similitudine perspecta) Hoc est: cum aliquid eius simile perspectum esset; vid. ad V. 42. Tum *a dign.* etiam aliorum codd., nisi quod in El. 2 *ac* dicitur esse; emendatum iam in Ven. 1480 (Orellio teste) et apud Marsum, etsi mansit mendum in edd. plerisque ad Davisium. Annotanda deinde singularis orationis brevitatis in hac forma: *ex his tribus laudibus — et temeritatem reformidat* cet. Videtur Cicero significare voluisse, quid ex singulis illis haec quarta haberet et traheret, ut haec fere sententia sit: Ex his laudibus oritur partim temeritatis reformidatio, partim protervitatatis. cet.

turque quidquam aut facere aut eloqui, quod parum virile videatur.

XV. 48. Habes undique expletam et perfectam, Torquate, formam honestatis, quae tota quattuor his virtutibus, quae a te quoque commemoratae sunt, continetur. Hanc 5 se tuus Epicurus omnino ignorare dicit quam aut qualem esse velint ii, qui honestate summum bonum metiantur. Si enim ad honestatem omnia referantur neque in ea voluptatem dicant inesse, ait eos voce inani sonare (his enim 10 ipsis verbis utitur) neque intellegere nec videre, sub hanc

1. aut loqui COR. facere eloqui E 3. explete E atque R 4. his quattuor E LPMCROR. 6. si E 7. ii om. [A] LPMCROR. honestatem E LPMR 8. sic E [si ad honestatem enim A] nec C 9. dicunt E esse C (inesse dicant L) inani voce LPMCROR. 10. intelligitur E neque MCROR. hac voce omnes, Or.

aut eloqui) Sic etiam Oxx. omnes [B], ut non dubitem, quin idem in reliquis fuerit, etsi neque in ed. ulla praeter R invenio neque ab editore annotatum quoquam. *Eloqui* ad verborum delectum pertinet, *loqui* magis ad omne sermonis argumentum.

Cap. XV, 48. *velint ii, qui* Est ab Erl. (hü) et Spir. (hi, [B hij]); cfr. V, 93: *cum tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se cet.*; eodem modo positum pronomen deteriores libri et editiones excluserant V, 80.

omnia referantur neque — dicant) Durissimus transitus a passiva sententia ad activam in brevissima oratione et verbis particula coniunctis, quem non satis excusant (hoc est. a Cicerone commissum probant) loci a Wopkensio collecti (Lectt. Tull. p. 61), Tusc. II, 37, III, 71 (de IV, 21 dubito), N. D. III, 26, nec ea sententiae infinitae passivae et infinitivi activi coniunctio, de quo ad § 21 dictum est. Non sine causa igitur Th. Benteleio in mentem venit *referant* scribere.

voce inani sonare) Sic etiam Spir. [B]; (de Marso aut Gzius errat aut Hertelius). Recte Davisius comparat Tusc. V, 73: *inanes sonos fundere*; sed propius erat, quod Cicero in ipsa interpretatione Epicuri verborum ex libro *περὶ τέλους* posuit Tusc. III, 42: *voces inanes fundere*. Hic unam honestatis vocem significat. Quod Davisio in mentem venit, *voces inanes sonare*, totum poëtarum est. De *nec videre* dictum ad I, 30.

sub hanc vocem honestatis) Quod editum hactenus est, *sub hac voce, vere correxit Wesenbergius meus*. Veteres aut *subicere aliquid rei* aut *sub rem* dixerunt, *sub re* non magis

vocem honestatis quae sit subicien dasententia. Ut enim

dixisse videntur, obstante motus notione, quam *sub oculis cadere, sub potestate, sub ictu venire, sub muris mittere*, similia. Dativum nunc omittimus. Accusativi praepositioni additi ex aliis scriptoribus exempla haec sunt, partim a lexicographis sumpta: Varr. L. L. X p. 160 Bip., R. R. II, 1, 20 et 2, 11, III, 16, 35, Corn. Pelop. 3 (*sub pulvinum*, quod Plinio H. N. XXVI, 111 et Senecae de Benef. II, 10, 1 est *pulvino*), Colum. VI, 2, 6, Rhet. ad Herenn. II, 50 (*sub potestatem subicere*; Cic. Off. II, 22: *potestati subicere*), IV, 3 et 12 (*sub hostilem libidinem subicere*, quod in orat. pro domo 106 est *libidini*) et 60. Apud hunc ipsum rhetoricorum scriptorem III, 7 editur: *quae subiciuntur sub vocabulo recti*, sed tres codd. apud Oudendorpium habent *vocabulum*; ubi ablativus auctoritatem habeat, unum novi locum, in codd. Quintiliani VIII, 6, 19: *signandis rebus ac sub oculis subiciendis*; atqui idem Quintilianus et (IX, 1, 27) e Cicerone posuit *sub aspectum paene subiectio*, et ipse paululum declinans dixit (IX, 2, 40): *illa vero (ut ait Cicero) sub oculos subiectio*. Iam Ciceroni ter relictus est sine controversia accusativus, quod eripi nisi aperta vi non poterat. primum Tusc. V, 2: *virtus subiecta sub varios incertosque casus*, ubi, si unquam locus esset ablativo, positus esset; nam cum *subiecta* sit *exposita et obnoxia*, motus significatio obscurari videtur; deinde Acad. II, 74: *quae sub eos (sensus) subiecta sunt* (quod I, 31 et Finn. V, 36 est: *subiectus sensibus*); tum de Invent. I, 98: *res — unum sub aspectum subiciuntur*. Nec a quoquam attentatum est, quod III de Orat. 202 legitur: *sub aspectum paene subiectio*. [Add. de R. P. I, 25.] Ter contra optimos codices partim recentiores et imperiti scribae, partim editores ablativum substituerunt, Tusc. IV, 16, ubi in cod. Par., Gud. 1 et ceteris bonis (addo Pithoeanum perbonum a M. Gudio collatum) est: *Sub metum autem subiecta sunt pigritia, pudor cet.*, in pessimis *metu*, et ibd. 19, ubi legitur: *quae autem subiecta sunt sub metum*, eodem codicum dissensu, et Topic. 58, ubi tres optimi Orellii codd. (in editione minore) et Erfurtensis habent: *quod sub eam vim subiectum est*; deteriores aut *sub ea vi* aut solum *sub ea*. Iam perspecto in his locis et Ciceronis more et librariorum errore, nemo prudens dubitabit pro Quinct. 49 et pro domo 52 (quarum orationum quales codices et quomodo collati sint, notum est) cum Wesenbergio lineolae adiectione *sub praeconem* facere pro eo, quod editur, *sub praecone*; nec a ceteris locis hunc, a quo digressi sumus, seiunget. Apud Vergilium Georg. II, 19 (*laurus Parva sub*

consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum. Quod, inquit, quamquam voluptatibus quibusdam est saepe iucundius, tamen expetitur propter voluptatem. 49. Videsne, quam sit magna dissensio? Philosophus nobilis, a quo non solum Graecia et 5 Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non sit in voluptate, negat se intellegere, nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudetur. Ego autem hoc etiam turpe esse saepe iudico et, si quando turpe non sit, tum esse non turpe, cum id a multitudine 10

3 *dam* (pro quibusdam) E 5. *philosophus nobis hijs a* E 7. *quod E id non est omnes*, Or. 8. *laudatur* (L.)CROr. 9. *esse om.* E 10. *tamen esse non* R *tum non esse non* MOr. *tamen non esse non* LPC

ingenti matris se subicit umbra) absolute dicitur *se subicere*, id est, *surgere, crescere, extollere sese* (ut *subicere aliquem in equum*), *sub umbra* per se adiungitur, ut sit: *tecta matris umbra*. Recte iam Servius. [Non minus pravum est apud Varr. L.L. X p. 163 Bip. *succedere sub casuum ratione*; recte scribitur IX p. 143: *quae sub mensuram ac pondera potius quam sub numerum succedunt.*]

Ut enim consuetudo loquitur) Ut solet Epicurus, e communi vulgi notione et usu vocis cotidiano argumentum ducit. [De orationis rectae forma retenta vid. ad I, 30.]

49. *si id non sit — laudetur*) Inde a Cratandro, exceptis Manutio et Lambino, edebatur: *si id non est — laudetur*. Gzius tamquam e Spir. et Erl. revocavit, quod in antiquis editionibus (etiam Marsi) fuerat quodque illi tenuerant, *laudatur*. De codd., ut ex Erl. [B] patet, erravit, huc transferens, quod paulo post (ante *a multis*) scriptum erat; illi coniunctivum cum ceteris tuentur. Atque is adeo necessarius est in hac alienae sententiae, a qua Cicero longissime abhorret, per obliquam orationem significatione, ut non dubitarim etiam *sit pro est* reponere. Nam quod Gzius magno cum strepitu docet, particulis *nisi forte* indicativum subici solere, ne pueri quidem tolerabiliter instituti ignorant, id ad coniunctivum ob aliam causam obliquae orationis positum nihil pertinere; hic tamen verbum omnino non illis particulis subicitur.

et, si quando turpe non sit cet.) Sententia nunc et aperta et recta: Si quando id, quod vulgo laudatur, turpe non est, id tum accidit, cum vulgus id laudat, quod sua natura rectum est (ut turpitudinem removeat non multitudinis vox, sed

laudetur, quod sit ipsum per se rectum atque laudabile; tamen non ob eam causam illud dici esse honestum, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent

1. *quod si sit ipsum* LPMCROr. *perfectum* (pro *per se rectum*) LMCR
2. *non ob eam causam tamen* [A]LPMCROr. *honestum esse* ELPMCROr.
3. *laudatur* E *si* (pro *sed*) L

rei veritas); et tamen tum nomen honesti valebit non propter multitudinis laudem, sed propter illam ipsam naturam. Scripturam autem partim Pal. 1 praestat, e quo et Pal. 4 annotatum est *tum esse pro tum non esse*, partim Erl. [et B]; nam pleniora testimonia hominum socordia nobis subtraxit, cum Gruterus unum illud, ceteri nihil annotarint de optimis codicibus. Videat mihi iam aliquis, quomodo haec in malis codd. et in editionibus lacerata sint: *et, si quando turpe non sit, tamen (tum Gzcius ex Erl., Spir., Bas., Mead., χρψ) non esse non turpe, cum id a multitudine laudetur. Quod si sit ipsum per se rectum* (sic cum Erl. Pall. 1 et 3, Spir., mg. Crat., cod. Scal., ex editoribus primus Manutius; deteriores ceterorum, ut nostri, *perfectum*) *atque laudabile. non ob eam causam tamen illud dici honestum esse* cet. Nihil potest perversius dici, quam Ciceronem aut Stoicos putasse, id, quod turpe non esset (*si quando non sit turpe*), tamen semper turpe esse (nam id est: *non esse non turpe*), cum a multitudine laudaretur. Itaque sic interpretabantur, qui *tamen* retinebant, quasi esset: *non ideo esse non turpe*; atqui hoc *ideo*. in quo caput erat sententiae, qui omitti poterat? deinde cogebantur pro *cum* scribere aut *quod* (Dav.) aut *quia* (Brem.). Gzcius autem et Orellius, *tum* scribentes, *tum non* videntur ita accepisse, quasi esset *non tum*, (*nicht eben dann, wenn*); etsi Gzcius quam sententiam subiceret, non dixit, de librariorum confusionibus disserens, et fortasse nullam subiecit. Et tamen inepta esset sententia; nam si quando, *quod* laudaretur a populo, non turpe esset, esset sane etiam, *cum* laudaretur. Sed cur haec exagitamus veritate inventa? Illud quaeri potest, satisne vincita oratio sit in illo transitu: *tamen non ob eam causam* cet. Mihi non videtur et, geminatis duabus litteris, scribendum iudico: *laudabile, et tamen non* cet. [Atque ob eam ipsam causam ordinem eum verborum, qui est in Erl. et B, magis probo. Sed utrumcumque ordo tenetur, apparet, orationem subsistere post *laudabile* et a novo initio ordiri nec posse sic continuari: *tum esse non turpe, cum — laudabile, non ob eam causam tamen*, quod fit errore apud Baiterum et in maiore et in minore editione.]

id homines vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile. Itaque idem natura victus, cui obsisti non potest, dicit alio loco id, quod a te etiam paulo ante dictum est, non posse iucunde vivi, nisi etiam honeste. 50. Quid nunc honeste dicit? idemne, quod iucunde? 5 Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur? An, nisi populari fama? Sine ea igitur iucunde negat

1. *pulch. sua tamen* LPMCR 2. *ita idemque* E 3. *quid* E *ante paulo* E 4. *etiam* om. Or. 5. *dicitur* C 6. *ego ita* E *non posse ita* L 7. *negat iucunde* L

sua tamen pulchritudine) Hunc ordinem Crat., Vict., Grut., ut nunc apparet, e bonis codd. sumpserunt. Vett. edd., Bas., ut nostri deteriores; de ceteris tacetur.

Itaque idem cet.) Vid. I, 57 et quae ad I, 42 dicta sunt. *nisi etiam honeste*) Omittunt *etiam* aliquot veteres edd. (Venetae, Ascens., Crat., Vict.), non antiquissimae, nec codex ullus praeter Ox. E; (Gud. 1 et Bas. *et*, tralaticio errore). Non additur postea, nec addebatur in libro I, nec tamen ulla causa est, cur eiciatur.

50. *dicit*) *Dicitur* una et altera vetus editio (Ven. 1480, Iunt.), tum Ern., Gzius tacite, contra codd. omnes, saltem Oxx.

non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur) Recte Cicero negat, honesti notionem in Epicuri disciplina ullam certam et suam vim habere, et tamen in hac sententia habere debere ait, ut aliquid dictum sit. Sed si in Epicuri formula *honeste* intellegitur *iucunde*, hoc in eius loco substituto efficitur: *non potest iucunde vivi nisi iucunde*. Hoc sensit Pearcius, ut hominem ad rem et disputationem attendentem nec hebetem par erat, sed sic scribi etiam volebat, id, quod per se rectum esset, a vera Ciceronis scriptura non seiungens. Gzius omnia optime habere docet. Ego hoc loco et multis aliis, si eligendi necessitas esset, malle non inscite errare quam, cum nihil intellegerem, superstitione et casu veros apices relinquere.

An, nisi populari fama?) Altera tentatur interpretatio; respondere igitur hoc debebat illi: *idemne quod iucunde?* hac fere forma: *an populari fama?* (*An cum p. fama?* coiciebat Davisius.) Sed deceptus Cicero interiectae sententia forma (cui cum Bremio interrogandi signum dedi, cum ἀποφαντικῶς scriberetur) sic scripsit, tamquam supra posuisset: *Quid nunc nisi honeste dicit? Idemne quod nisi iucunde?* Est autem *populari fama vivere* ita vivere, ut ad eam agendi consilia dirigas.

negat posse se vivere) In codicum scriptura (*posse vivere*)

posse *se* vivere? Quid turpius quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intellegit honestum? Certe nihil, nisi quod possit ipsum propter se iure laudari. Nam si propter voluptatem, quae est
 5 ista laus, quae possit e macello peti? Non is vir est, ut, cum honestatem eo loco habeat, ut sine ea iucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat et sine eo neget iucunde vivi posse, aut quidquam aliud honestum intellegat, nisi quod sit rectum ipsumque per se,
 10 sua vi, sua sponte, sua natura laudabile.

XVI. 51. Itaque, Torquate, cum diceres, clamare Epicurum, non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare. Tanta
 15 vis inerat in verbis propter earum rerum, quae significantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres, ut nos intuens quasi testificarere, laudari honestatem et iustitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat iis verbis uti, quibus si philosophi non uterentur, phi-

1. *posse vivere* omnes, *posse vivi* Or. 2 *pend. serm.* E 4, *quem est* E 5. *petitur* E *est et* E 7. *honestum propter quod populare sic* E 8. *iucunde neget* LPMCROr. [*iocunde* A] *posse vivi* MCR 9. *ipsum quod per* PMCR *propter se* L 10. *sua nat., sua sponte* EOr. *sua natura sit* sponte PMCR s. n. sp. sit L 13. *tum* E 16. *testificari* E *testificare* [A¹]L 17. *dicebat* [A¹]E 18. *his* [A]LMCROr.

quemquam audire, quod Bremius volebat, sermonis ratio non minus vetat, quam (de quo olim Op. Acad. I p. 50 ad Iuven. III, 93 scripsi), cum sic interrogetur: *An melior est?* audire *quisquam*. Itaque aut *negat posse* pro *negat posse se* accipi debet aut [quod nunc cum Baitero feci] *se* addi. Et tamen Cicero tam saepe alteram formam (*vivi*) et ante et post servavit, ut credi vix possit, hoc uno loco eum ab ea discessisse. [Cum univ-erse dicitur, etiam Epicurus comprehenditur, et omnino vita plene iucunda in solo sapiente erat] Itaque probabile est, quod post Lambinum et Th. Bentleium alii ediderant, *posse vivi*. Eodem errore in Tusc. III, 49 aliquot codices habent: *Negat Epicurus iucunde posse vivere*, ubi meliores tenent *vivi* (et adiungitur *nisi cum virtute vivatur*).

ipsunque — *sua sponte* Sic etiam Pal. 1 et Spir. (Vict. cod. saltem *sua sponte*); restituit Gruterus; ceteri codd., ut nostri deteriores. Ordinem etiam verborum e Pal. 1 Gruterus sumpsit, [quem nunc secutus sum. B ut Erl.].

Cap. XVI, 51. *vis verbis uti, quibus*) Non recte Orellius

losophia omnino non egeremus. Istorum enim verborum amore, quae perraro appellantur ab Epicuro, sapientiae, fortitudinis, iustitiae, temperantiae, praestantissimis ingeniis homines se ad philosophiae studium contulerunt. 52. Oculorum, inquit Plato, est in nobis sensus acerrimus, quibus 5 sapientiam non cernimus; quam illa ardentis amores excitaret sui! Cur tandem? an quod ita callida est, ut optime possit architectari voluptates? Cur iustitia laudatur? aut unde est hoc contritum vetustate proverbium: quicum in tenebris? Hoc, dictum in una re, latissime patet, ut 10

2. appellantur om. L 4. sapientiae stud. L 5. [acerrimis A¹] 7. sui, si videretur! Cur LPMCRor. an — voluptates Nonius p. 70 (ita classidas ut) quod (pro ut) L (aut quo, ambiguo compendio) 9. an verum (pro aut unde) P (ad verum mg non) MCR an vero L 10. Post tenebris add. mices LC hoc om. L dicunt MCR

haec sic distraxit: *his verbis uti! quibus — non egeremus.* Definitur enim verborum genus adiuncta proxime sententia relativa, quae Latino more sic implicatur, ut relativum in protasi periodi sit, (iis verbis, quae ex eo erant genere, ut, si iis cet.), quemadmodum (si exempla ascribenda sunt) I, 26 (*quas qui*) et 60, III, 9 et V, 76. [Gr. Lat. § 445.]

52. *inquit Plato*) in Phaedro p. 250 D: Ὀψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ἣ φρόνησις οὐχ ὁράται· δεινὸς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργῆς εἰδωλὸν παρεῖχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Eadem Cicero vertit de Off. I, 15, ubi paulo negligentius ab honesti verbo et notione orditur, quam ipse tractabat, in sapientiae, quam Plato nominarat, desinit. [Hoc loco condicionem (*si cerneretur*), quae satis intellegitur ex praecedentibus, Ciceronem omisisse, apparet ex AB^Erl.; itaque nunc, cognito testimonio codd. A et B (nam Grut. et Gzuius tacuerant), sustuli, quod deteriores addunt: *si videretur*, pro quo Cicero hic saltem post non cernimus posuisset *si cerneretur*.] Verbi *videri* pro eo, quod est *cerni*, positi exempla. Otto ad h. l. colligens, illo quoque usus est. quod omnes editiones inquinat de R. P. I, 31: *haec, quae videntur ante oculos, esse magis* (scr. *ante oculos esse, magis*), *putem quaerenda.*

quicum in tenebris) *Mices* addunt etiam ψ et tres Gzii veteresque fere editiones, brevem rei notae significationem explentes. Non erat in mg. Crat. nec in cod. Mor. De ipso digitis micandi lusu et proverbio inde nato ad significandam alicuius fidem expositum est ab enarratoribus librorum de Off. ad III, 77. Paulo ante *aut unde* confirmant mg. Crat. et

in omnibus factis re, non teste moveamur. 53. Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi conscientia improbos excruciami, tum etiam poenae timore, qua aut afficiantur aut semper sint in metu ne afficiantur aliquando.

5 Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipse se cruciet omniaque formidet, sed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quomodo

2. cum animi consc. MCR cum consc L 3. tum enim E qua ut [A¹]E afficiuntur LPMCR 4. sunt LPMR sit C 5. omnem (pro oportet) E compend. obscuro imbecilli E 6. ultum E quidquam E 8. versatum E excogitare E quo (pro quomodo) LPMCRor.

cod. Vict. Nam edebatur tum, ut est in deterioribus (Oxx. $\chi\psi$, Gzii recentioribus; E an non, ξ an non verum).

53. animi conscientia) Ita, ut Gzius edidit, etiam [AB] Spir. et Bas. et ed. Crat. Sic tamen fere tum loquimur, cum in priore membro nondum simul alterius expectatio praesumitur, quod hic paene fieri debuisse videtur, quoniam poenae timor vel praecipuum momentum faciebat. [*Tum* sic posito, non praecedente cum, addi etiam de N. D. I, 43, monuit Alanus; nam dubitaveram. Add. Legg. I, 35] De re vid. I, 50 et 51.

afficiantur — sint) Coniunctivum in reddenda Torquati sententia necessarium confirmant etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Restituit Ern. [B quoque imbecilli; v. ad V, 71.]

fingi non bonum illum virum) Pravissime vulgo distinguunt: fingi, non bonum illum virum. Itaque haerebat Lambinus in pronomine illum, recte hactenus requirens: non bonum virum (fingi oportet). Atqui timidus fingi poterat improbus, vir bonus fingi non poterat. Hoc dicitur: ille, de quo loquimur, vir non bonus (improbus) non debet fingi timidus.

quomodo occulte) Quo etiam aliorum aliquot, velut $\chi\psi$, Gud. uterque, Bas. (et sine dubio plures); correctum iam est in vet. edd., ut in Ascens., Crat. Id arripuit Gzius, ignorans ortum esse ex compendio male intellecto, in quo in his libris saepe peccatum est; vid. praeter huius libri § 60 et 97 var. script. et annott. ad III, 37 et 67 (ubi plerique quod habent, etiam Oxx. EU $\xi\psi$), IV, 26, 33, 50, 73, V, 77. Non quaeritur de instrumento fallendi, sed de modo. Gzius suo more comparat nescio quem locum ex epistulis ad Atticum (nam in numero erratum est), ubi legatur: excogita, quo rectius ista curentur. Quod quidam quo pro quomodo dici putant, contra omnem analogiam et usum nituntur duobus Ovidii locis (A. A. I, 285 et 745), quorum utroque scribendum est qua.

occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat. 54. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui, cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem

2. [Lucio Tubulo A] Lucullo C B. Tubulo R inter sicar. quaest L

54. de L. Tubulo) De homine sceleratissimo, qui praetor a. 142 a. Ch. fuit, quae apud Ciceronem traduntur, collecta sunt in indice Orelliano (v. L. Hostilius). Idem IV, 77 et V, 62 nominatur. P. Scaevola pater est, qui postea pontifex maximus fuit. Ordinariam de sicariis quaestionem iam tum fuisse et suum praetorem habuisse, aliunde non constat. Quod tribunus fert ad plebem, ut extra ordinem quaeratur, eaque quaeri iubet senatuique permittit, ut is ei quaestioni praeficiat, quem velit, ea illius aetatis legitima consuetudo fuit in iis rebus, quarum aut ordinarium iudicium nullum erat aut id parum sufficere putabatur, nisi quod etiam a consule senatus auctoritate ferri ad populum eiusmodi lex poterat. Vid. Liv. IV, 50 et 51, XXXVIII, 54, XLII, 21. Atque eodem modo rem actam esse, quotiens Livius tantum quaestionem a senatu decretam alicui narrat, populum plebemve extra ordinem quaeri iussisse non addit. ostenderem contra Dukerum (ad Liv. XXXIX, 14, 6) et Dirksenium (Civilist. Abhandl. I, n. 2), si eiusmodi disputationi hic locus esset. Quod autem extra ordinem quaesitum est, cum sub repetundarum quaestionem, quae iam tum erat, hoc genus captae pecuniae cadat, Klenzius (Prolegg. ad leg. Servil. p. XIII) eam putat causam esse, quod iniuria facta fuerit civibus, repetundarum autem accusatio tantum in eos institui potuerit, qui socios vexassent. In quo paulo plus, quam debuit, vir consultissimus e locis quibusdam Ciceronis efficere videtur. Et poterant aliae esse causae, cur prima lex de repetundis parum apta esset ad tam foeda scelera in ipsa urbe commissa perseguenda. [Parum placent, quae Zumptius in comment. de legg. repet. in scriptis Acad. Berol. 1845 p. 11 disputavit.]

cum praetor — exercuisset —, cepit) immo, cum exerceret, ut recte animadvertit Ernestius, in tempore haerens, non in modo verbi; qui poterat enim? Sed Cicero negligentia quadam, cum cogitaret de proximo anno et Scaevolae lege (quasi hoc diceretur: cum exercuisset et — cepisset, legem Scaevola tulit), plusquamperfectum posuit. Similis ratio est in Cat. 41: Haec cum C. Pontio — locutum Archytam, Nearchus Tarentinus se a maioribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermone interfuisset Plato. Rectum erat: interesset, sed ad dicebat rettulit. [Eodem modo Act. I in Verr. 23 dicitur cum ipse

iudicandam, ut anno proximo P. Scaevola tribunus plebis ferret ad plebem, vellentne de ea re quaeri. Quo plebiscito decreta a senatu est consuli quaestio Cn. Caepioni; profectus in exilium Tubulus statim nec respondere ausus; 5 erat enim res aperta.

XVII. Non igitur de improbo, sed *de callido improbo*

1. [tr. pl. A] 2. *ferrent* E *velletne* L *que* E 3 *consuli est* L *Scipioni omnes excepto* [A](P) 4. *ne* C *ausus est* R 5. *apta* LC 6. *de post sed om. omnes callide* LCO.

praeturam petisset pro peteret. Cfr. Verr. II, 74: *fuisset* et IV, 147: *convenisset.* Similiter Livius scripsit XXXVIII, 58, 9: *ut, quo die — L. Scipio Antiochum devicisset, aeger L. Scipio abesset,* et XLII, 33, 3: *ne inferiores iis ordines, quam quos, cum militassent, habuissent, attribuerentur.* Propius paene ad hunc Ciceronis locum accedit, quod XXXII, 26, 2 scribitur: *cum duos exercitus in provincia habuisset, — totum prope annum — consumpsit.* Cfr. XXVII, 6, 8.]

quo plebiscito) quod de hac re effectum erat accepta Scaevolae rogatione; cfr. Brut. 106: *quam legem* et pro Cael. 70: *quae lex*; vid. ad § 66. Quod Gzjus dirimit (*quo plebiscito*) et enarrat a *plebe*, nemo sic locutus est.

Cn. Caepioni) Certam per se Manutii emendationem confirmarunt Pal. 1 et codd. Mor. et Scal.; idem Pal. 1 verum nomen tenet III, 8 priore loco; nam altero habet etiam Erl. *nec respondere ausus*) Blanditur additum in R *est*; nam plebiscito effectum est, ut quaestio decerneretur; tum quid secutum sit, per se narratur. ut minus commode *est* superius ad haec pertineat; omittere autem *est* in narrando Cicero non solet. De *est* post syllabam *us* omissio vid. Opusc. Acad. I p. 448. [*Tubulus est statim* Baiterus in ed. min.]

Cap. XVII. *sed de callido improbo*) Praepositionem addidit Dav. ex Parr. 1, 2, habebantque Oxx. EUË, sed quod Gzjus in omnibus suis adesse dicit, redarguitur in Erl. [nec AB habent]. Verum facile excidere potuit et necessaria est. Deinde *callide* fere edebatur ante Gruterum; is ex omnibus Pall. *callido*; *callide* revocavit Dav., utens testimonio veteris editionis et „aliorum plurium“, nec Oxx. *callido* annotarunt nisi ex Ë. Gzjus *callide* in tribus potioribus esse dicens rursus fallitur de Erl. et sine dubio de ceteris. [AB ut Erl.] In hac coniunctione *improbus* pro substantivo alterum adiectivum asciscere potuisse videtur, etsi paulo aliter dicitur *nobilis indoctus, dives avarus, insipiens fortunatus* et similia, quod

quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit, nec vero omnia timente, sed primum qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur; quid est enim aliud esse verutum? 55. Memini me adesse P. Sextilio Rufo, cum is rem ad

1. *qualisque P.* E [fodere A] 2. *timentem omnes* 5. *abest om.* P et (pro etiam) E dolore E 6. [improbo A] enim est MCR 7. *adesse me L* [fuso A] ad amicos rem (P)COR.

hoc loco ea significatur qualitas, quae ad ipsam formam improbitatis exercendae pertinet.

Q. Pompeius) Post consulatum (a. 141 a. Chr.) in Hispania bellum contra Numantinos gerens pacem et foedus facere coactus, cum successor ei venisset, negavit pacem factam esse, posteaque, cum lex de eo Numantinis dedendo ferretur, precibus periculum effugit; vid. Freinshem. Supplem. Liv. LIV. 28, 29, 34, Beierus ad Cic. Off. III, 109, p. 391, qui tamen deceptus verbis in eadem causa (vid. ad libr. I, 49) non recte putat, Pompeium simul cum C. Mancino, quod eius foederis sponsor fuisset, in deditionis periculum adductum esse. Add. de R. P. III. 28. Ceterum, ut res ab Appiano narratur, non tam calliditas in infitiando foedere apparet quam impudentia.

timente) Lambinus correxit; nam codd. etiam aliorum *timentem*. [Quod adverbio *primum* in partitione respondere debebat, ambagibus obscuratum emergit aliquatenus § 57: *deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim cet.*] Mox *improbo facto* [A et] mg. Crat. et El. 2, pro quo alterum a librario substitutum esse minime probabile est.

55. *rem ad amicos ita deferret*) Sic etiam Spir. [B] et Gud. 2 et ed. Marsi; ceteri tacent; sed patet e nostris LMR, eum codicem, e quo deteriores ducti sunt, non discrepasse a meliorum capite, ut haec tollatur causa vocis *rem* in suspicionem vocandae, quam Gzius delevit. Restat altera, quod alibi hae voces *rem deferre* non, ut hic, pro una deferendi notione poni videntur, sed ita, ut *rei* nomen referatur ad id, quod antea commemoratum et significatum sit (*die Sache*), velut III Off. 112: *rem ad populum detulit* (quae ante narrata est) et permultis locis. Unus tamen locus hunc tuetur, in Verrem I, 64: *Is ad eum rem istam defert, Philodamum esse quendam cet.*, ubi *rem istam defert* simili modo atque hic *rem*

amicos ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo, cuius in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat; poterat autem impune; quis enim redargueret? Nemo
5 nostrum credebat, eratque veri similis, hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam

1. *herende* E *Fabio* [A]EMCR [sed infra AE *Fadiae*, *Fadius*]
3. *filium* P *factum* Sext. E 4. [redarguet A¹] 5. *enim* (pro nostrum) C
negabat PMCR *hanc* E 6. *id* om. E 7. *rogasse* R

ita dici videtur; [sed ineptum *iste* pronomen, recteque Pluygersius (Mnemosyn. XI, p. 152) *ita* scribi voluisse videtur].

Q. *Fadio*) „Mss. nostri hic omnes servant *Fabio*, sed infra tamen plerique filium vocant *Fadium*.“ Grut. Oxx. hic *Fabio*, infra Uχψ *filiae*, Eξ *filio*; mg. Crat. et Gzii omnes *Fadiae*, nisi quod Gud. 2 *Fatidiae*. *Fadius*, quod lege Voconia vetabatur mulierem, etiam filiam et unicam, testamento heredem instituere, usus erat ea arte, quae tum praeter alias ad evitandam legem eam inventa erat, ut fiduciarium heredem institueret, qui filiae bona redderet, idque eum a se rogatum, scriptum reliquerat. Cogi Sextilius non poterat. Quae fuerit causa, cur *Fadius* hereditatem sine testamento ad filiam pervenire nollet aut id efficere non posset, quod nec hac lege nec aliis univere vetabatur, e Ciceronis narratione non apparet nec ad eam intellegendam quaeri opus est. Et magna in hac parte legis Voconiae, cum eius argumentum cum legitimarum hereditatum iure comparatur, obscuritas est etiam post Savinii et Hasii disputationes. (Vid. Rein. Röm. Privatrecht p. 367 sqq. quosque appellat Walter, Gesch. d. röm. Rechts § 639.)

credebat) Sic (praeter Pal. 1 et Erl.) Spir. [B], mg. Crat., codd. Mor. et Scal., El. 2, Eξ. Restituit Davisius.

Addebat, se in legem Voconiam iuratum) Quando ea iuris iurandi religione Sextilius astrictus sit, cuius calumnia tum usus est, interpretes non quaerunt. Equidem nihil reperio, nisi Sextilium magistratum gessisse dicamus et tum communi more in leges iurasse; eo iure iurando etiam Voconiam ceterisque singulas comprehensas esse. Nam singularis eiusmodi sanctio, qualem Appuleius agrariae legi adiecit (Appian. Civ. I, 29, Plut. Mar. 29), C. Caesar suae de agro Campano (vid. Dio Cass. XXXVIII, 7, Plut. Cat. Min. 32, App. Civ. II, 12, Cic. ad Att. II, 18, 2), et cuius exemplum est in frag-

iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adulescentes, sed multi amplissimi viri, quorum nemo censuit plus Fadiae dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum 5 sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et

2 *sed et multi LR sed etiam multi PMCOR.* 3. *plus ea die L plus filiae MCR*

mento legis apud Hauboldum Monum. Legal. p. 74 [Momms. Corp. Inscr. Lat. n. 197 p. 45]. etiamsi legi Voconiae addita fuisset, cuius rei in lege factionum certaminibus non agitata causa nulla erat, tamen vix ad posteritatem ea ita propagata esset, ut a communi iure iurando seiungeretur.

sed multi) Edebatur *sed etiam* (et a Manutio ad Gzium, qui *etiam* revocavit ex tribus suis, Oxx. Eξχ). Cedendum fuit meliori auctoritati [etiam A et B].

plus, quam posset ad eam lege Voconia pervenire) Perizonius (de lege Voconia) et post eum alii hoc intellexerunt de certa quadam summa, quam lege Voconia licuerit feminae relinquere. Recentiores, maximeque Savinius (in scriptis Academiae Berol. a. 1821 p. 229), recte disputant, omnino sublatas feminarum hereditates ex eorum testamentis, qui lege ea tenerentur. Et sane, etiamsi lege Fadio licuisset filiam ex aliqua parte heredem testamento relinquere, id hoc testamento non fecerat, quo heredem unum Sextilium scripserat, rogatum, ut ad filiam omnia pervenirent. Sextilius igitur ex testamento aut omnia tradere debebat aut nihil dare. Itaque Savinius verba Ciceronis sic intellegit, ut putet legem Voconiam universe servari iuberi cum eiusmodi quadam verborum moderatione, ut quasi incertum relinquatur, possitne aliquid ad Fadium pervenire, etsi certum fuerit, nihil pervenire posse. Nescio tamen, an id Cicero his verbis significare non potuerit; et occurrit praeterea aliud. Praeterita enim erat Fadia illo testamento, quod in filia praetorio iure non licebat. Itaque Fadia in dimidium Sextilio accrescere videtur debuisse, nisi quid impedimenti nobis ignoti fuerit. Ea pars hactenus dici poterat lege Voconia ad eam pervenire, quod, cum testamentum legis et iuris iurandi religione Sextilius tueretur, tamen, lege non prohibente, filiae debebatur. Huiusmodi aliquid significasse mihi Cicero videtur; sed timide haec attingo, qui iuris nodos et aenigmata non norim. [Nunc potius puto Fadium, etsi Sextilium rogasset, ut omnia ad filiam perve-

commodis anteponerent, nummum nullum attigisset. Num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus, contraque illa hereditate dives ob eamque rem laetus. Magni enim aestimabat pecuniam non modo
 5 non contra leges, sed etiam legibus partam; quae quidem vel cum periculo est quaerenda vobis; est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum. 56. Ut igitur illis, qui, recta et honesta quae sunt, ea statuunt per se expedienda, adeunda sunt saepe pericula decoris honestatisque
 10 causa, sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates. Si magna res, magna hereditas agetur, cum pecunia voluptates pa-

1. *ne nummum quidem unum attig.* LP (ad nummum in mg. numerum nullum) MCROr. *nam E* 2. *eum om* LMCR 3. *ob eam rem E* 4. *aestimabat L* 5. *non modo contra LPMR paratam L* 8. *que (pro qui) E eaque statuunt R* 9. [sunt ceu (correctum, ut videtur, ex seu) pericula Δ] sunt quaevis per. LPMCROr. 12. *ad agetur P mg. adietur [periantur Δ¹]*

nirent, tamen aperte, ne filiam praeterisse videretur, ei legasse, quantum lege Voconia liceret, quae vetabat, ne plus omnino legaretur, quam heres caperet; eo legato amicos stari iussisse.]

nummum nullum) Sic praeter Erl. [AB.] mg. Crat. et cod. Viet., id est, optimi, et sic loquitur Cicero; in Verr. II, 60: *Debebat Epicrates nummum nemini*; pro Font. 1: *Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur*; pro Flacco 47: *Neminem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. Edebatur: ne nummum quidem unum, nec quidquam annotatum ante Gzium est; debebat saltem dici ne unum quidem nummum. Quod Orellius in formulis et inscriptionibus saepe nummum unum pro minima summa dici scribit, fallitur; dicitur nummo aut nummo sestertio addici et similia. Gzius in Spir. ait esse ne nummum ullum, in Bas. ne numerum ullum, in Gud. 1 ne minimum quidem unum. Mox pronomen eum omittunt etiam alii deteriores, Uχ, Gud. 2. ed. Marsi (errat Gzius).*

56. *saepè*) [Ceu (seu) in Pal. 1 Gruterus ait esse „subductum lineola tamquam superfluum“. Cum quaevis nullam haberet nisi deteriorum auctoritatem, posui nunc, quod in Erl. et B repertum reprehendi nequit.]

Si magna res cet.) Haec sic distinguebantur et scribebantur: *ut adipiscantur magnas voluptates: si magna res, magna hereditas agetur, cum pecunia voluptates pariantur plurimae: idemque erit Epicuro faciendum cet.*, in qua sententiarum distinctione

riantur plurimae, idem erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum! Ad honestatem enim illum omnem conatum suum referebat, non ad voluptatem. 5 Sic vester sapiens, magno aliquo emolumento commotus, † cum causa, si opus erit, dimicabit. 57. Occultum facinus

1. *idemque* omnes, Or. *nescio* (pro *vestro*) E *viro* C 5 *ille* MCRor. 6. *vir* (pro *vester*) C *magna aliquo elemento* E *commotus animi causa* PCor., hic cum nota mendi 7. *opus fuerit* LPMCRor.

primum comparationis concinnitas, in qua illis: *decoris honestatisque causa* respondent haec: *ut adipiscantur magnas voluptates*, plane evertitur, adiuncta hac appendicula *si magna cet.* Deinde haec ipsa plane orationis et sententiae progressum turbat; cum enim recte universe dictum esset, voluptatum causa pericula aequanda esse, haec adiungitur condicio, si pecunia agatur, quasi alioquin voluptas petenda non sit, et causa affertur, quod pecunia voluptates pariantur, quasi ante praecipuum sit, pecuniam cum periculo quaerendam esse. Tum in altera sententia apertissime imperfecta est comparatio Scipionis et Epicuri; quod enim Scipioni magna proposita gloria faciendum erat, idem Epicuro faciendum esse dici debet non universe, sed proposita magna aliqua voluptate aut utilitate. Haec vitia sic tolluntur ea sententiarum coniunctione, quam iam Manutius et Lambinus taciti secuti erant, omniaque sic recta fiunt, ut dubitari nequeat. Ceterum antiquus est error, quoniam *idemque*, quod ex eo natum est, iam in nostrorum codicum principe fuit. Unus Bas., casu an emendatione, *idem*; nam de EU silentio confidi non potest.

Itaque quantum cet.) Iam explicat Cicero, quid alter fecerit gloriae causa (hac sententia: itaque, cum illa esset ei gloria proposita, cet.), quid alteri voluptatis causa faciendum sit. Exposui haec, quia animadverti dubitatum esse. El. 1 *periculorum*, quod Davisius et Bremius probabant, ed. Vict. *periculi*. Cicero omnia uno periculo comprehendit.

illum omnem conatum) Sic Pall. omnes, [B.] Gziani, excepto Gud. 1; recepit Gruterus; Dav. e vet. edd. et codd. quinque revocavit *ille*. Non Scipio aliis contrarius ponitur, sed ostenditur, consentaneum ei fuisse tantum periculum adire.

cum causa) Sic, ut multi ediderunt, Pall. omnes, [B.] Davisiani, Oxx., idemque in suis Gzius esse tradit (Gud. 2 *cum tam*) praeter Bas. et Gud. 1. Sed cum ipsa causa indicata sit (*magno aliquo emolumento commotus*), universe dicere,

esse potuerit; gaudebit; deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exilium, ad ipsum etiam dolorem. Quem quidem vos, cum improbis poenam proponitis, impetibilem facitis, cum
5 sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.

1. contemnit L 3. quam E 4. impatibilem LMCROr. 5. multis E

cum causa, hoc est, non sine causa (II de Orat. 247, in Verr. I, 21, ad Qu. Fr. I, 2, 6) dimicaturum sapientem Epicureum, perversum est; nec, cum causa an sine causa, sed quid omnino paratus sit facere, quaeritur. Nam Otto, qui *cum causa dimicare* putat esse: *mit einem gerichtlichen Verfahren hadern* (quod quid sit, non magis intellegitur; itaque enarrat: *in iudicio*), refutatione indignus est, qui neque, quid *cum causa*, neque, quid *dimicare* sit, norit. Ex compendio vocis *cum* (vid. ad 53, cfr. Leid. V, 35) natum videtur *animi*, quod post alios Gzius edidit, confirmatum a mg. Crat. et cod. Vict., Bas. et Gud. 1 [dissentiente A et cum Erl. B], defensum a Matthiaeo, qui putat esse *voluptatis causa*. Atqui *animi causa*, quod pridem Dav. docuit, is aliquid facere dicitur, qui nulla necessitate, temporis fallendi et quasi lusus causa aliquid facit (*einer Laune wegen, zum Zeitvertreib*), quod ab eo, qui magno emolumento commotus pericula adit voluptatem petens, remotissimum est. Tum verba *si opus erit* declarant, quod Otto sensit, dictum aliquid esse, quod ad magnitudinem dimicationis pertineret; ad nudum illud *dimicabit* referri non possunt, quod ipsum nimis infinite ponitur, non significato certaminis genere. Accedunt proxima, quae non dimicationem aliquam omnino nominatam ostendunt. sed in qua facinus sit et poenae timor. Itaque ne illud quidem rectum erit, si quis post *cum* immanis bestiae nomen positum putarit. Mihi Cicero scripsisse videtur: *cum amico* [*cum amica?*], *si opus erit, dimicabit*; et puto post *cum* obscurari potuisse similitudine ductuum prioris vocis litteras et ex reliquis effici compendium vocis *causa* (*cã*). Vellem tamen propius ad codd. coniectura accederet. [M. Hauptius (ind. lect. Berol. hib. 1867) scribi vult *cum Medusa*, nimis, opinor, poetica imagine; nec in ea dimicatione facinus erat occultandum. Quod nuper fuit, qui scribi vellet *de capite*, inepta prorsus est iudicialis periculi, in quo nullum erat facinus, significatio.] Mox *potuerit* futurum exactum est, ne quis cum Th. Bentleio *poterit* requirat, coniunctivum damnans. [*Si opus erit* ABerl.]

57. *impatibilem*) *Patibilem* dolorem Cicero dixit Tusc. IV, 51; alio modo naturam *patibilem* N. D. III, 29, quae pati possit. Vocalis mutatio etsi non fit in *impatiens*, tamen et

XVIII. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam praepotentem, ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono, ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda; esse enim quam vellet iniquus poterat impune. Quam 5

1. eum quid E improbe aliquid MR 4. vester E 5. quam vellet iniquus iustus [A]P quamvis vellet iustus iniquus LMR quamvis vellet iniquus iniustus C

reliqua analogia et codd. (tribus Gzii) et aliorum scriptorum usu defenditur. Mox. *improbe aliquid* etiam Gud. uterque, Bas., ed. Crat. et aliae quaedam.

Cap. XVIII. *uti suo bono*) Potentiam significari putant, quae primum mire *bonum* appellatur in hac disputatione et *suum*, tamquam proprium; deinde omnia turbat particula *tamen*; nam hoc ipso aptius fit Crassi exemplum, si etiam usus potentia dicitur. Itaque Gzius, mirus significationum artifex, *tamen* vult esse *quidem* (cfr. ad § 31); Otto autem scripsit: *qui tam solebat*. Sed nihil artificii opus; Crassum Cicero, etsi esset praepotens, tamen non potentia, sed suo bono, id est, quod eius proprium esset et quod is, ceteris omissis, sequeretur. pecunia, uti solitum dicit ad ea, quae vellet, efficienda. Sic recte *bonum* et acerbe, tamquam ex Crassi sententia, dicitur.

esse enim quam vellet iniquus) Sic primus Orellius edidit. *Quam vellet* omnes boni codd., Pal. 1, Spir. [B], Gifanii (in Burmanni Syll. Epist. II p. 308), El. (sine dubio 2), Gud. 2; deteriores (Davisiani, Oxx.) *quamvis*, in quo pueriliter errat Gzius, pro eo, quod est: *possum esse quamvis* aut *quam volo iniustus* (tirones exempla reperient apud Ramshorn. p. 885 ed. 2 et in lexicis), Latine dici putans: *quamvis velim esse iniustus*, *possum*, et librariorum increpans, qui id ignorarint. Tum *iniquus* praeter Erl. etiam Spir. [B] et cod. Gifanii. Sed Pal. 1 *iniquus iustus*, itemque El. 2, cod. I. Fr. Gronovii (qui mire defendebat Observ. III, 10) et Guelferb. Bremii (Gud. 2); Scaliger ascriptum habebat libro suo: *Est enim. quam vellet, iniquus: iustus poterat impune; ex ceteris nihil annotatur ad vulgarem scripturam: iustus, iniquus, nisi quod Bas. iniustus vellet iniquus. Ox.χ iniquus iniustus*. Emendator non satis scitus, cum incidisset in eam scripturam, quae est in Pal. 1, transponendo et corrigendo formam aliquam periodi effecit: *esse enim quamvis vellet iustus, iniquus poterat impune*, cui, grammaticam non nimis curans, hanc subiciebat sententiam: *quamquam enim mavult esse iustus, poterat tamen cet.* Sed hic Pal. 1 cum vestigiis deteriorum codicum

multa vero iniuste fieri possunt, quae nemo possit reprehendere! 58. Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit, quid facies? Tu
 5 quidem reddes; ipse Epicurus fortasse redderet; ut Sex. Peducaeus, Sex. F., is, qui hunc nostrum reliquit effigiem et humanitatis et probitatis suae filium, cum doctus, tum omnium vir optimus et iustissimus, cum sciret nemo eum rogatum a C. Plotio, equite Romano splendido, Nursino,
 10 ultro ad mulierem venit eique nihil opinanti viri mandatum exposuit hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero, quoniam idem tu certe fecisses, nonne intellegas, eo ma-

3. filiae suae E 4. Fabius MCR fidus P quod E 5. [Sextus plene A] 7. tum doctus PMCROr. cum omnium E 9. Gaio [A]E [mirsino A¹] Nursio C 12. recte C fecisse E intelligis LMR om. C

consensus suspectam facit vocem *iniquus*, quae ipsa lenior est quam pro re nec recte posita videtur; nam certis hominibus in certis causis iniquus aliquis est, tota vitae ratione *iniustus*. Atque ego prorsus puto in arch. cod. fuisse *iniquus iustus*, id autem errore ortum esse ex *iniustus*, scribendumque: *esse enim quam vellet iniustus poterat impune*. Etiam Manutius e suo cod. protulit probavitque: *esse enim quamvis iniustus poterat impune reprehendere*) *Deprehendere* malebat Davisius. Nihil opus; quae enim nemini nota esse possunt, cuiusmodi exempla subiciuntur, a nullo reprehenduntur, etsi reprehendi merentur.

58. *quid facies?* — *reddes*) Offendit Davisium et Ernestium exemplum sic positum, tamquam eiusmodi aliquid fieri aliquando possit. Itaque corrigebant: *faceres* — *redderes*. Debebant igitur, ut Bremius vidit, ante scribere non solum: *ut — redderes* (quod volebat Ernestius), sed, sine quo hoc soloecum est, *rogasset* — *scripsisset* — *dixisset*.

Sex. Peducaeus) is, quem praetorem Cicero habuit in quaestura Siciliensi. Filium cum Attico et Cicerone coniunctissimum fuisse, apparet ex eis, quae in onomastico Orelliano collecta sunt. Mox *tum doctus* omnes editiones, nec de codd. quidquam notatum. [Sed cum AB.] Vid. ad I, 34.

nonne intellegas) Aliorum quoque deteriores aliquot (apud Davisium sex, Oxx. $\Upsilon\chi\psi$) *intellegis*, quod secuti sunt Manutii, Lambinus, Davisius, Ernestius, Bremius, qui etiam propter sententiam pendentem *annon* poni volebat. Locos, ubi dicatur *quaero*, *nonne*, malo a Schellero (v. *nonne*) peti quam ex his

iorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui omnia ad vestrum commodum et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non voluptatem vos, sed officium sequi, plusque rectam naturam quam rationem pravam valere? 59. Si scieris, inquit Carneades, 5 aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne assidat. Sed impunitè tamen; scisse enim te quis coarguere possit?

2. et ipsi ut E 4 plus quam rectam EC 6. aliquem om. PMCR 7. super ea L emolumentum factura LMCROr. (emolum tibi L) 8. monueris eum ne E assideat LMCROr. Ad sed mg. P: sed impunitè tamen. fecisse enim q. c. p. 9. impune Or. tamen id te (te id L) constat fecisse quis enim coarguere LPMCR

commentariis; ad III, 13 Bremius huius suae dubitationis oblitus erat. Verum confirmant etiam Spir. [B] et Bas.

59. aliquem imprudentem) Sic iam Lambinus et e Pall. 1, 3 Gruterus, tum quattuor Gzii; Cratander imprudentem aliquem; omittitur aliquem in ceteris Pall., Uχψ.

emolumentum futura) Sic summo consensu meliores codices, etiam Spir. [B], El. (2), mg. Crat., codd. Morel. et Vict., ediderantque Victorius, Gruterus, Davisius. Dixit Livius [I, 45, 4: cornua — monumentum fuere ei miraculo et] III, 38, 4: discordiam impedimentum dilectui fore; nam quod Dav. ex XXII, 22, 7 citat: id agebat, ut quam maximum emolumentum novis sociis foret, propter adiectivum additum nonnihil diversum est; (magis etiam XXXII, 28, 4: maius bello impedimentum fuisset). De Cicerone fidem non faciunt Lucretius (III, 898) aut Vergilius (Ecl. III, 101) aut Curtius (VIII, 14, 26). (Ad Att. VII, 2, 6 dedecus est nostrum prorsus alius est generis.) Eξ et Lamb.: emolumento; sed, exceptis certis vocabulis (ut primum et primo), raro un pro o scriptum est. saepius contra. Quod in vulgaribus libris legitur (Gruteri, Davisii tribus, etsi de uno fallitur, Oxx. Uχψ, Gzianis ceteris), praeterquam quod auctoritatem non habet, ab usu abhorret. Aliud enim longe est lucrum, detrimentum facere (ipsum), quod Gzius comparat, aliud emolumentum alteri facere, id est, afferre.

ne assidat) Neglegenter et ediderunt omnes assideat (νάθηται pro καθήηται) et codices meliores ii, qui habuerunt, non inspexerunt. [Recte etiam B.] Idem mendum erat III, 9, ubi Gzius e Lambini codicibus profert residamus, sui Erl. (et sine dubio Spir.) obliviscitur. mendum relinquit.

impunitè tamen) Sic [AB.] cod. Gron., Dav. e tribus, Oxx.

Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris
5 sunt dicta a Laelio.

XIX. 60. Transfer idem ad modestiam vel temperantiam, quae est moderatio cupiditatum rationi obediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? an est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiamsi
10 nulla comitetur infamia? Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt, sangvinem pro patria

4. *sed de* (pro *deque*) LMCR *neque his rebus sed de his rebus* P
6 *molestiam* E Post *vel add. cupiditatum* E 7. *mod. est* MCR *cupiditatum* om E 8. *ego* E 9. *flagitiosum per se ipsum* P 11. *proprium* (pro *pro patria*) L

Uχψ, Gzii omnes, id est, opinor, exceptis Eξ, omnes omnino. Cessi cum Dav. et Gzio auctoritati, etsi miror, cur hoc uno loco Cicero hac forma usus sit, qua praeter eum unus, qui supersit, Matius (ad Fam. XI, 28, 3). Tum eadem, quae nostros libros deteriores, interpolatio aliorum quoque inquinavit (Oxx. Uχψ, Gzianos); primus sustulit Gruterus, Pall. 1 et 3 sequens; accedit Spir. [B].

deque his rebus) Sic etiam Spir. [B], restitueratque Gruterus tacite (e Pal. 1). Originem mendii deteriorum codicum (Oxx. omnium, Gzianorum ceterorum) P noster ostendit. Ex *deque* factum *neque*; correctum *sed de*. In libro tertio de R. P. cum Philus eam Carneadis disputationem, qua iustitia evertetur et natura nulla esse, utilitate tota niti ostendebatur, exposuisset, respondisse Laelium pro iustitia, notum est.

Cap. XIX, 60. *vel temperantiam*) Suspiciosum non tam, quod Gud. 2 haec omittit, quam quod Erl. et Spir. [B] habent *vel cupiditatum temp.* Sed eidem mox (de Spir. ex Erl. [et B] coicio; Gzios de utroque tacuit) omittunt *cupiditatum* in definitione, ubi abesse nullo modo potest; itaque patet, transpositionem factam esse. Rarius unum *vel* a Cicerone ponitur, ubi sine correctione aliud nomen tantum adiungitur, nec tamen numquam; II N. D. 41: *in ardore caelesti, qui aether vel caelum nominatur.* [Alia Freundius in v. *vel.*]

sangvinem profundunt) Et *sangvinem* El. 2 et Guelf. apud Bremium (ξ *et pro patr. sangv. fundunt*); asyndeton celeris et concitatae orationis rei declarandae aptissimum est.

profundunt, an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum, si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse an meam, cum ego dicerem, nihil eum fecisse sua causa omniaque rei publicae, tu contra, nihil nisi sua? Si vero id etiam explanare velles apertiusque diceres, nihil eum fecisse nisi voluptatis causa, quomodo eum tandem laturum fuisse existimas? 61. Esto: fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas utilitates (malo enim

1. *ardore impetuque* L 3. *libentius orationem* L 4. *eum nihil* LCR
6. *si enim id* R *apertius* (om. *que*) LPMR *aptius* C 7. *quo* (om. *modo*) C 8. *existimes* PMCRor. 9. *voluptates* E

Imperiosum illum) Quamquam iam pater T. Torquati, L. Manlius, Imperiosi cognomen habet apud Liv. VII, 3 et 4 et Senec. de Benef. III, 37 et in fastis Capitolinis, idemque Torquati fratri natu maiori Cn. in fastis Capit. et apud Diod. Sic. XVI, 15 datur, ut manifestum sit, non a Torquato partum, sed hereditate acceptum esse, non potest tamen dubitari, quin Cicero hic sive communi quodam errore sive suo id cognomen Torquati illius proprium et ab eo partum severitate illa putarit; neque enim alioqui satis hic virum significasset. Atque in eundem errorem incidit Livius IV, 29, qui VII, 4 rectius a patre partum cognomen tradit; nam avus *Vulso Capitolinus*, patruus *Capitolinus* in fastis scribuntur, neuter Imperiosus. Itaque non Torquatus Imperiosus, sed *Imperiossus* (quod prius erat) *Torquatus* in fastis Capit. scribitur. Accidisse idem in Capitolinorum vetusto cognomine, notum est, ut eius origo a re illustri falso repeteretur.

apertiusque) Sic Grut. e Pal. 1 et recentiores, Dav. et Gzius tacite. Oxx. EU $\chi\psi$, ut olim edebatur: *velles apertius, dices*.

existimas) Sic [ut AB] iam Crat., Lamb., tum e suis quattuor (Ox. ξ) Gzius; sed stulte excusat tamquam inversum, quod unum verum est. Itaque Orellius ad soloecismum rediit, condicionalem coniunctivum esse putans (*si diceres — existimes!*) nec duas formas diversissimas et notissimas distingvens, cum aut quaeratur, quid certa condicione aliquis futurum fuisse iudicet (*quid existimas futurum fuisse, si*), aut, quid certa condicione iudicaturus fuerit (*quid existimares, si*). Simile in interrogando mendum tollendum erit § 76; cfr. V, 89. [Hic 74 A *existimes*.]

61. *malo enim dicere*) Non sine causa in hac duarum appellationum comparatione Davisius offendit, Bremiusque scri-

dicere quam voluptates, in tanto praesertim viro); num etiam eius collega P. Decius, princeps in ea familia consularis, cum se devoverat et equo admissio in mediam aciem

2. et collega eius E 3. devoveret omnes, Or.

bendum suspicatus est: *malo enim ita* [Klotzius sic] *dicere* [ut scribitur ad Att. XIII, 42, 1; sed tamen ad Fam. III, 10, 1: *pro tua dignitate; malo enim dicere quam pro salute.* Cfr. Liv. IX. 43. 23].

eius collega) Altero ordine etiam Spir. [B]; Gud. 2 et Bas. omittunt *eius*.

cum se devoverat et — irruebat) Correxerit certissimum mendum. quomodo Davisius corrigendum viderat. Longum est nunc omnia excutere, quae de diversorum modorum coniunctione magnam partem a viris a grammatica subtilitate alienis ita disputata sunt, ut omnia confunderentur, velut a Drakenb. ad Liv. XXX, 44, 10 et XLI, 24, 5. [Quid de Alscheffskio ad Liv. IV, 19 dicam?] Breve igitur faciam. Quaeritur, num duo verba copulative coniuncta eidem coniunctioni, quae propter ipsam copulationem necessario eandem principalem vim retineat, diverso modo subici possint. Id ab eo poeta, qui duritiam non fugeret, versus causa fieri poterat in tali structura, in qua sive omnino Latina certae aetatis oratio sive poetarum libertas utrumque modum coniunctioni nullo, quod sentiretur, discrimine subiceret. Itaque Propertius, poeta oratione durissimus, cum poetae ex antiquiore sermone licentiam indicativi in interrogatione pendentis ponendi retinerent, qua tamen Vergilius et Horatius raro utuntur. non raro sive pronomini interrogativo pendenti sive particulae et indicativum et coniunctivum subiecit, cuius rei exempla Lachmannus collegit (in priore edit.) p. 9, [idemque IV (V), 4, 10 dixit: *cum quateret — atque stabant*]. Aliorum poetarum pauca sunt. Prosae orationis scriptores numquam id fecerunt. Nam in uno Livii loco, quem Handius (Turs. II p. 486) citat. IV. 13, 10: *Quae postquam sunt audita et undique primores patrum et prioris anni consules increparent, quod eas largitiones — passi essent fieri, et novos consules, quod expectassent — tum T. Quinctius, aperte sententia et Livii usus postulabat: Quae postquam sunt audita, cum undique cet.; [sed recte M. Hauptius scribendum vidit, ut est in codd. recce.: — audita, undique — increpare, quod — Tum Quinctius cet.]. In hoc autem Ciceronis loco una est et simplex temporis significatio (eo momento, quo se devoverat iam et irruebat cet.). Nam quod Handius (l. c.) in *devoveret* voti et voluntatis significationem inesse putat, in altero rem effectam intellegi, Gzium sequens, non erat illud,*

Latinorum irruerat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Ubi ut eam caperet aut quando, cum sciret confestim esse

1. *proruēbat* L 2. [*ubi aut A²*] *nam ubi* (pro *ubi ut*) LMCROr.
nisi ut P ut ea E

ut mox dicam, votum, sed res facta. Et quis ignorat hoc ipsum, in eo esse, ut aliquid fiat, addito *cum*, minime coniunctivo significari, sed inesse in ipsa imperfecti notione apud Latinos? Accedit ad modi perversitatem temporis. Neque enim, quod Gzuius et Handius ceterique putant, tum demum devovebat se, nec devotio erat in morte, sed, ut Davisius e Liv. VIII, 9 intellexit, erat iam devotus pontificis carmine et sollemni ritu; neque aliter Ciceronem loqui aut notio animi aut usus sinebat. Non nescio, nuper in Ciceronis oratione pro Rosc. Amer. 64 editum esse et defensum: *cum neque servus quisquam reperiebatur neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id aetatis autem duo filii — dicerent*, indicativo etiam post *cum* in manifesta causae significatione posito; probatum etiam, quod mendosum esse ostenderam, ibd. 81: *qui non modo Romae non fuit, sed omnino — nesciret*. Sed ad me nihil illas soloecismorum defensiones pertinere puto. [Pro Quinct. 60 suam habet rationem propter interiecta post *debeatur* illa: *et si maxime deberetur*. Varronis locus Muellerus ad L. L. VI, 82 (p. 73 Bip.), praeter illum ipsum, alio genere vitiosum (*qui habent, qui non habeant*), alios tres collegit admodum infirmos, si quis codicum in illo opere condicionem considerat. Illud prorsus miror, memorabile videri Muellero, *i* et *u* (*ierunt*) semel a librario permutata esse.] Id hic locus non permittit, ut de modo verbi in iis sententiis cum levi significationis inclinatione variato dicam, quae repetita coniunctione aut alio modo ex aequo ponantur, ut Liv. XXXVIII, 36, 4 (*quod tenebrae abortae fuerant — quod pluisset*), etiam in *cum* temporali bis posit. [Cfr. ann. ad IV, 43. De artificio perverse excogitato, out post *cum se devoveret* interiecta putetur per et parenthesis et ea verba sic intellegantur: *et tamen in certam mortem ruēbat* (quasi id notabile sit in eo, qui se devoverit), non puto dicendum. Baiterus in ed. minore verba *se devoveret* et uncis saepsit, devotionis mentionem non minus ab hoc loco alienam iudicans quam a persimili, Tusc. II, 59. Video, ibi non additam esse; quid sit alieni, non video, et quaero, quod soleo, quis haec illo loco interpositurus et cum reliqua oratione coniuncturus fuerit.]

Ubi ut eam caperet) Sic etiam Pal. 1, Eξ et sine dubio Spir. [B]. Sed Gzuius maluit scribas, ut solet, increpare quam,

moriendum, eamque mortem ardentiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem petendam putat? Quod quidem eius

quid scripsissent, indicare; (Parr. 1, 3 Dav. Guelf. Bremii: nisi ut). Propria non minus Latinorum quam Graecorum, quamquam apud illos rarior, haec est figura, qua per *ut* interrogatur, cum de consilio rei interrogant aut simpliciter, ut III N. D. 74: *Sessum it praetor; quid ut iudicetur?* et pro Sest. 84: *Homines, inquit, emisti, coëgisti, parasti. Quid uti faceret?* et apud Terentium Eun. III, 5, 25: *Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?* aut sic, ut aut sine consilio factum aliquid reprehendant, aut (quod h. l. fit), cum consilium probabile nullum fuerit, factum negent. Cic. pro Font. 32: *Vos tamen cum Gallis iurare malitis? quid ut secuti videamini?* pro Tull. 55: *Illi oppugnatum venturi erant? quo consilio? — Ut occiderent. — Quam ob causam? quid ut proficerent?* [Verr. III, 191: *quo ex loco ne portarent?*] Liv. IV, 49, 15: *Incipite deinde mirari, cur pauci iam vestram suscipiant causam. Quid ut a vobis sperent?* Idem XL, 14, 4: *Hoc ego lustratus sacro parricidium volutabam in animo; ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* Ibi Gronovius tertium Livii locum ascripsit, XLIV, 39, 5: *Sine ulla sede vagi dimicassetus; ut quo nos victores reciperemus?* et Plinii ex H. N. XIII, 22: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi, quod monstrasse M. Othonem Neroni principi ferunt; quaeso, ut qualiter sentiretur iuaretque, ab ea parte corporis?* Addo eiusdem Plinii libr. XXXIII, 145: *Claudii principatu servus eius Drusillanus Rotundus quingenariam lancem habuit et comites eius octo DCCCL librarum; quaeso, ut quam multi eas conservi eius inferrent aut quibus cenantibus?* [Senec. Rh. p. 154 Burs.] Ipsum Graecorum *ἵνα τί*; (vid. Matth. Gramm. Graec. § 620) Cicero expressit ad Attic. VII, 7, 7: *Ut quid? si victus eris, proscribare; si viceris, tamen servias?* [pro Quinct. 44: *ut quid praeterea?* Martial. III, 77, 10.] Itaque quod h. l. dixit, prorsus his Graecis respondet: *ἵνα ποῦ ἀντιῆς ἀπέλασεν*; (de indicativo, ne quis miretur, vid. Matth. § 519, [Synt. mea Gr. 131 b n. 3]). Restat eam relatum ad plurale voluptatibus, in quo cum offendisset Davisius, Bremius praeter eiusmodi exempla, de quibus ad § 22 dictum est, quae non plane eiusdem generis sunt, unum opposuit incertae aut potius malae fidei e § 63. Sed alibi etiam Cicero sic scripsit, ut, cum pluralem numerum substantivi de singulis rebus posuisset, pronomen singulare subiceret ad generis notionem relatum. Apertissimum hoc est in Acad. II, 22, de quo loco dixi adulescens in Emendati. Cicer. p. 139: *Ars non ex una, sed ex multis animi perceptionibus constat; quam si subtraxeris, qui distingves artificem ab*

factum nisi esset iure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius, neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens consul cecidisset in proelio seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. 62. Contineo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est, Leonidas, 5 Epaminondas, tres aliqui aut quattuor; ego si nostros colligere coepero, perficiam illud quidem, ut se virtuti tradat constringendam voluptas; sed dies me deficiet, et, ut A. Varius, qui est habitus iudex durior, dicere consessori solebat, cum, datis testibus, alii tamen citarentur: „Aut hoc 10 testium satis est aut nescio, quid satis sit“, sic a me satis

1. *iure esset* E 2. [consolatu A] *consulato* E [pirro A] 3. *bello* E e om. E 5. [modo cum A'] 7. *quid est* (pro *quidem*) E 8. *constringenda* P mg. et om. E [Aulus A] 9. *habitus est* E *durior* om. C *confessori* ELM *concessori* C 10. *sciscitarentur* P, mg. *citarentur* 11. *sit* om. E

inscio? Durissime dixit I de Divinat. 72: *Ea genera divinandi non naturalia, sed artificiosa dicuntur; in quo (genere) haruspices, augures coniectoresque numerantur.* [Liv. II, 60, 2: *praedae actae. Ea omnis militi data est.*] Contra a genere sic nominato, ut de singulis iam cogitaretur, transiit ad singula pronomine plurali significanda I de Legg. 40: *Nemo tam audax unquam fuit, quin — defensionem facinoris a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii cet.* [Cfr. ad V, 94.] Eodem modo defenditur inde a Wopkensio codicum scriptura in Tusc. IV, 65.

neque porro ex eo natus) Cicero his et Tusc. I, 89 famam falsam secutus est, quae unde oriri potuerit, ostendit Zonaras Ann. VIII, 5; iactatum enim sermonibus fuerat ante proelium, Decium id facturum. Pridem rem recte exposuerunt F. Fabricius (ad Tusc. locum) et Freinshemius. Ego antequam a Deciis discedo, addam, in Paradox. 12, ubi codices (cfr. cum Guelf. Oxx. σψ) habent: *Quae vis patrem Decium, quae filium devotavit, immisit in armatas hostium copias*, in Plautino et Attiano verbo et in asyndeto inaudito satis manifesta vestigia esse verae scripturae, quam Oudendorpius e bonis codd. protulit: *devota vita immisit.* Et tamen interpolata putatur.

62. *tres aliqui*) Gud. 1 *reliqui*, ψ *alii* (idem ed. Crat., in mg. *aliqui*). Numerus non definitus significatur; vid. lexica. Graeci: τρεῖς τινες. A. Varius hoc uno loco nominatur.

satis datum est testium) Sic Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., codd. Morr. et Scal., ediditque Gruterus; Lambinus *testium est datum.* Ceteri codd., ut nostri deteriores.

datum est testium. Quid enim? te ipsum, dignissimum maioribus tuis, voluptasne induxit, ut adulescentulus eriperes P. Sullae consulatum? Quem cum ad patrem tuum rettulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul vel
 5 civis cum semper, tum post consulatum fuit! Quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius quam ipsis nobis consuluerimus. 63. At quam pulchre dicere videbare,

1 *testium est dictum* LPMCR 4. *retulisses* [A]E 5. *eum semper cum post E tum semper M est semper P*

Quid enim? te ipsum cet.) Vid. argumentum libri primi. Damnato Sulla consulatum accepit Torquatus pater, non legis aliquo praemio, sed in locum vacuum creatus. (Cfr. pro Sulla 49 et 50; eodem modo intellegendum, quod dicitur pro Plancio 79, quo loco non satisfacit mihi vir doctissimus Wunderus.)

qualis ille vel consul vel civis — post consulatum) Significat, ut opinor, Torquati (*fortissimi consulis*, pro Sulla 30, in Pis. 78) vigilantiam in periculis rei publicae domesticis; nam in eius annum incidit prior Catilinae cum Pisone coniuratio; (vid. pro Sulla 11 sqq., Sallust. Cat. 18 et 19, Ascon. ad or. in T. C. p. 110 et 117, Dio Cass. XXXVI, 44, Liv. epit. 101, Sveton. Inl. 9); alia res illustris ab eo gesta non commemoratur. Eum tamen annum fuisse, qui firmis consulibus egeret, ostendit etiam lex Papia de peregrinis urbe pellendis lata et quae de leg. agr. II, 44 significantur. Post Torquatus Ciceronis consulis consiliorum particeps fuit (pro Sulla 34) eumque periclitantem postea adiuvare conatus est (in Pison. 77 et 78). Macedoniae administratio et supplicatio ob res ibi gestas decreta minus huc pertinet (in Pis. 44). In proximis Catilinae coniurationem oppressam et exilium Ciceronis significari manifestum est.

consuluerimus) Ox. ξ, Gud. 1 *consuleremus*. De hoc genere perfecti post *ut*, de quo Otto post Kruegerum (in secundo fasc. Quaestionum gramm.) suo more excursum scripsit, exposuit et exempla collegit Putschius in Iahnii Annalium supplementis vol. I p. 66 sqq. Eo posito posterior res minus arcte cum priore connectitur nec simpliciter eodem tempore includitur, sed seorsum distinctius concipitur. Velut hoc loco non tam, animo iam ad praeteritum tempus translato et in eo manente, genus et natura rerum gestarum ex consecutione iis adiuncta ostenditur. quam, animo ad praesens tempus revocato, iterum perfecti temporis verbo significatur. quales postea exitus illae res habuerint. Apud historicos, Cornelium maxime. in hoc genere simplicitas quaedam antiqua est, non

cum ex altera parte ponebas cumulatam aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti nec futuro dolore, ex altera autem, cruciatibus maximis toto corpore, nulla nec adiuncta nec sperata voluptate, et quaerebas, quis aut hoc miserior aut superiore illo beator; deinde con- 5 cludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem!

XX. L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus, quem memi- nisse tu non potes; is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cu- 10 pidus voluptatum et eius generis intellegens et copiosus; ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacri-

1. *aliquem cumulatam* E 3. *maximis cruciatibus* R 4 [*adiuncto* A¹] *nec semota* L *nec separata* R 5. *miseriorum -- beatorum* E *beator foret*; *deinde* LMCROr. *aut superior illo beatorve foret* P; mg. *aut superiore illo beator* 8. [*Lucius* A] *Lanuvinius* E *Lavinus* C *Lavinus* L 10. *voluptas posset inveniri* E 11. *cuius generis eius* LP *cuiusvis generis eius* MCOr. *cuiusvis eius generis* R 12. *patria et sacrificia* Or.

abhorrens ab antiquiorum scriptorum et Danorum et Germanorum similitudine. [Gr. Lat. § 382 n. 4.]

63. *aut superiore illo beator*) [Quod addebatur *foret*, unius Erl. testimonio in suspicionem adducere ausus non eram. Nunc, cum ex A et B appareat, id deteriorum additamentum esse, cum Baitero sustuli, eo magis, quod apud Ciceronem *foret* pro *esset* reperiri non videtur nisi ep. ad Att. VII, 21, 2.]

Cap. XX. L. Thorius Balbus) homo prorsus nobis ignotus. Extat tamen L. Thorii Balbi denarius argenteus cum imagine Iunonis Sospitae.

et eius generis intellegens) [Edebatur: *et cuiusvis generis eius int.*, tacebaturque de codd., nisi quod Eξ omittere *cuiusvis* notatum erat.] Gzius: „Turbant“ inquit „scripti in *cuiusvis*, sed ut hac in voce ubique solent“. Sic is solet nugari, non rem suam agere. Eo flagitiosior neglegentia, quod haerere debebat in *eius* ad *voluptatum* relato, qui transitus hic non excusatur iis, quae ad § 61 dixi, quod nec ulla eius causa est et in simplici continuatione et copulatione fit. [Antea cum unius Erl. scripturam nossem, edideram: *et cuiusvis generis [eius] int.* Nunc cognito consensui codd. meliorum (AB) parui cum Baitero. *Id genus* significat omnia, quae ad voluptates pertinent.]

illa plurima — sacrificia et fana) e quibus notissimum Iunonis Sospitae templum. Prave Gzius ex ed. Marsi: *et sacrificia et fana*, tamquam duas res separatim intellegi Cicero

facia et fana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus. 64. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valetudinis; utebatur iis exercitationibus, ut ad 5 cenam et sitiens et esuriens veniret, eo cibo, qui et sva-vissimus esset et idem facillimus ad concoquendum, vino et ad voluptatem et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intellegere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor; qui si adesset, nec molliter ferret et

4. *ratione omnes [valetudinis A] his [A](LM)COR.* 5. [*cenam A] scenam E et esuriens et sitiens LPMCROr.* 6. *coquendum EC* 9. *enim (pro omnis) MR enim omnis C*

velit et in eo momenti aliquid esse, quod utrumque ille contempserit. Vitiosa haec particulae geminatio, quam etiam ad I, 22 reprehendi (et olim in Verr. IV, 51), saepius expellenda erit, ut h. libr. 84 (*et tuebere et munies*), IV, 7 (*et Zeno et qui ab eo sunt*, quasi non una schola significetur), IV, 43 (*et ad naturam accommodata et per se assumenda*), V, 15 (*et vitae via conformatioque omnium officiorum*); hos duos postremos locos idem Gzius corruperat.

64. *ad concoquendum*) Erl. [et B] triumque Oxx. scripturam nihil nisi mendum puto, qui cum Spaldingio (ad Quint. VIII, 4, 16) numquam *coquere cibum* pro *concoquere* dictum credam. Neque enim verbum in eo ipso substantivo, in quo certam significationem haberet, transferri alio potuit. Itaque etiam N. D. II, 136 et 137 scribam *concoctus*. (*Scenam* etiam Spir. [B] et Bas.)

et ne noceret) id est, cum ea cautione, ne noceret. Recte tamen Wesenbergius monet, Ciceronem hac significatione alibi semper dicere *ut ne* (pro Rosc. Am. 55, in Verr. II, 73, ad Fam. XVI, 9, 3, de Off. II, 72, de Fato 29, ubi item, ut hic, non praecedit *ita*). Sed tamen simplex *ne* sic ponitur apud Terent. Heaut. IV, 5, 35. Caes. B. C. III, 56 (*tantum ne*, id est: *nur soweit, dass nicht*; alii tamen codices *uti ne*), Liv. XXII, 61, 5, [XXXI, 25, 6. XL, 15, 6], Tac. Ann. II, 29. (Haec quoque Wesenbergius collegit.) [Horatius *ita ne*, sic *ne* posuit Ep. I, 13, 12. A. P. 152, 227. De Quintiliano vid. Bonnellus. Ciceronianum exemplum non repertum est.]

nec molliter ferret) Patet esse. molli animo, ita ut succumberet, ipse *in dolore mollis*, ut dicitur I Off. 71. [Cfr. Sall. Iug. 82: *nimis molliter aegritudinem pati*. Senec. Ep. 99 init.] Tam facile haec significatio oritur ex communi utriusque vocis usu, ut, si quis nullam verborum coniunctionem Latinam ambiguam et ancipitem esse putet, potius dubitare debere videatur de con-

tamen medicis plus quam philosophis uteretur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. 65. Hunc vos beatum;

1. *quam phisicis* E 2. *una denique voluptatum conferta* E 3 *vero*
(*pro vos*) LPMCR

traria significatione aequo animo ferendi, quam secutus est Cicero Cat. 5. Sed non putabit, nisi qui Latinum sermonem aliquando in ore hominum fuisse obliviscetur. Nam Romanis quoque accidebat, ut, cum verbum aliquod amplae potestatis cum substantivo coniunctum ad duas partes trahi posset, interdum non unam sequerentur. Mentem *solutam somno* Cicero de Divin. I, 128 et 129 dixit, quae dormiret, ut Liv. V, 45, 3, imagine perspicua; at idem in Somnio Scip. extremo *somno solutum esse* dixit, qui experrectus esset, non minus apte. *Ponere barbam* Svetonio est *deponere*, eodemque modo Persium sat. III. 10 dixisse: *bicolor positis membrana capillis*, dubitantes vel verborum ordo admonere debuit; at Ovidius saepe (Metam. I, 477. Epist. IV, 77. A. Am. I. 306, III, 434) *capillos ponere* de iis comendis dixit. *Gratiam facere alicuius rei* et Livio (III, 56, 4) et Svetonio (Aug. 17) et aliis est remittere, non exigere, ut fiat aliquid aut aestimetur; eidem tamen Livio III, 41, 4 (*facta Valerio dicendi gratia*) et Svetonio (Aug. 38) significat: permittere, ut aliquid fiat. Quomodo ille, qui nuper nullam in sermone Latino ambiguitatem esse edixit, corruperit eos locos, in quibus Cicero *sine dubitatione* pro eo, quod est *sine dubio*, dixit, piget referre. [*Fugam facere* Livius VIII, 9, 12 dixit de iis, qui ipsi fugerent, XXI, 5, 16 de iis, qui alios in fugam coicerent; alterutro modo alii.] Cfr., quae Opusc. Acad. II p. 187 sqq. dixi de formula *est tanti*. *Et tamen cum nec ita coniungitur*, ut Balbus dicitur, etsi iam per se dolorem non molliter ferret, quem tolerabilem Epicurus esse docuisset, tamen, quatenus auxilio contra eum egeret, magis medicis usus fuisse, qui eum removerent, quam philosophis, qui consolarentur.

65. *Hunc vos beatum; ratio cet.*) Vos etiam Pal. 1, Spir., [B.] El. 2, mg. Crat., recepitque Davisius, Grutero svadente. Ellipsis est facillima, cum iudicandi notionem orationis cohaerentia subiciat, et expectabatur in contrario membro tale verbum, sed paulum deflexit oratio: *ego quem huic anteponam cet.* Tum *ratio* est etiam in [AB,] Spir. El. 2, mg. Crat., cod. Mor. Deinde *cogit*; at, divisivis verbis, primus scribendum vidit Th. Bentleius (nam edebatur, nulla sententia: *Hunc vero beatum oratio quidem vestra sic cogitat, ego cet.*), secutique sunt recentiores, nisi quod Ern., Gzius, Orellius at omiserunt. Recte ponitur in sententia con-

ratio quidem vestra sic cogit; at ego quem huic anteponam, non audeo dicere; dicet pro me ipsa virtus, nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere, quem quidem, cum sua voluntate, nulla vi coactus praeter fidem, quam
 5 dederat hosti, ex patria Carthaginem revertisset, tum ipsum, cum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorum fuisse quam potantem in rosa Thorium. Bella magna gesserat, bis consul fuerat, triumpharat, nec tamen sua illa superiora tam magna neque tam praeclara ducebat quam
 10 illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat; qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi

1. oratio LPMCR nostra E cogit: ego Or. (codd. cogitat ego) huic quem LPMCRor. 2. licet E 4. voluptate ECR propter C 5. [cartaginem A] eum ipsum [A]E 6. cum — fuisse transp. inter ducebat et quam C 7. esse E Thorius [A]E 8. is bis LMCR illa sua superiora E sua superiora illa MCRor. 9. nec tam C 10. [praeter A] 11. conceperat L

traria inducenda. Postremo quem huic [AB,] Gziani omnes praeter Gud. 2; ceteri editores ad huic quem nihil annotarant. Paulo post ex C propagatum ad Manutium multosque alios: nulla vi coactus, propter fidem; verum est in mg. Crat.

tum ipsum, cum) Etiam Pal. 1, Spir. [B], cod. Mor., Eξ eum ipsum (Gud. 2 cum), mendose; neque enim (quod Ottoni in mentem venit, qui etiam parenthesin nescio quam commemorat) ulla hic est causa aut ratio subiecti praegressi pronomine iterandi, et debebat esse sed eum. Scilicet nesciebat Otto ut alii, quid esset tum ipsum [quod tamen intellexerunt Ernestius, Schellerus, Ramshornius Gr. Lat. p. 523 ed. 2]; est autem eo ipso tempore, ut nunc ipsum (ad Att. VII, 3, 2, VIII, 9, 2, XII, 16 et 40). Idem ex non dubiis codicum vestigiis olim ego restitui Ciceroni de Orat. I, 123, II autem de Off. 60 Stuerenburgius ex optimis codd.: temporibus necessaria et tum ipsum (cum temporibus necessaria fit) — moderanda. Habent eandem scripturam codices (P, S, Ang.. Gud. apud Moserum) et postulat sententia in libro I de Divin. 118: Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis quaelcum sentiens. et tum ipsum, cum immolare velis, eatorum fieri mutatio potest. Incertam esse vulgarem de Reguli supplicii narrationem, quam Cicero sequitur, multi ostenderunt; vid. Beierus ad Off. III, 100, Niebuhrius in Hist. Rom. vol. III p. 705. Mox potare in rosa esse, rosis redimitum, exposuerunt Horatii enarratores ad Od. I, 5, 1; melius tamen generaliter intellegitur, rosis circumfusum; nam accubuisse etiam

perpetienti erat voluptarius. Non enim hilaritate nec lascivia nec risu aut ioco, comite levitatis, saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati. 66. Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata cives se ipsa interemit.

1. *voluntarius* [A]EPMCR [*enim in largitate A*'] et (pro nec) EOr.
2. *levitatis, sed saepe* LPMCROr. 4. *testata crimen* L *ipsam* ELPmCR
interfecit E

luxoriosos homines in rosa, satis docuit Gronovius ad Sen. de vit. beat. 11; (*iacere in rosa* Sen. Ep. 36, 9). [*Esse etiam B.*]

gesserat; bis Sic, ut Man. voluerat. Gruterus e Pal. 1; Gzui tacet, qui etiam Spir. [B] citare testem poterat.

sua illa superiora) Sic [A et] Manutius aliique quidam; ut Erl., etiam Spir. [B]; ut Orellius, antiquae edd. et Davisius e codd.

voluptarius) Sic iam Marsus, tum Manutius. Davisius et recentiores, necessario, non solum ut contrarium sit *miserabili*, sed quod hic non de voluntate subeundi casus agitur, sed de affectu, quo eum Regulus sustinuerit. Addit Davisius testimonium codicis CCC (ξ), quod Oxx. non annotant. Ceteri (Pall., Dav., Oxx., Gzii, [B]) retinent cod. archetypum mendum.

nec lascivia) Ut Erl., etiam Spir. [B] et Bas. Sed vid. ad I, 30; *risu aut ioco* propius coniunguntur. [Tum *set* ante *saepe* nunc omisi. AB Erl. secutus cum Baitero in ed. min. I. Muel-lerus II p. 14 recte laudat de Or. II, 250, Orat. 34. 1874.] Deinde Dav. et Ern. concinnitatem requisiverunt in adiectivo *tristes*; verum ea non in verbis requiretur, sed in sententia, si aut cum Ernestio *hilaris hilaritate* scripseris aut cum Davio *tristi firmitate*. Sententia haec est: Beati homines non semper ita sunt, ut in hilaritate et ioco sint, sed saepe in ipsa tristitia. quod efficitur constantia cet. In priore membro ablativi et (grammaticae) origineum et (ad sensum) etiam modum beatae vitae ostendunt; in altero modus significatur adiectivo, additur deinde fontis significatio.

66. *testata cives*) Deteriores quidam codd., non intellecto verbo, substituerunt, Maffei liber, ut L, *crimen* (Gud. 1 *orimen cives*), El. 1 et Scal. vetus (hunc miror) *vim*, Pal. 6 *eius vi*. Offendit etiam quosdam, quod *cives* testata dicatur, quae tamen in contionem non prodierit; sed per quattuor illos, quos Livius interfuisse narrat, totum populum testata est.

ipsa interemit) *Ipsa* Crat., Vict., Gron. (e cod. patris), deinceps ceteri tacite. Oxx. EUξ *ipsam*. In *interfecit* a se descivit Erl. [B]; nec enim dici a Cicerone *se interficere*, recte annotatur. [*Suapte interfectum manu* III de Orat. 10.]

Hic dolor populi Romani, duce et auctore Bruto, causa civitati libertatis fuit, ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir et pater eius consul est factus. Tenuis L. Verginius unusque de multis sexagesimo anno post liber-
5 tatem receptam virginem filiam sua manu occidit potius, quam ea Ap. Claudii libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur.

XXI. 67. Aut haec tibi, Torquate, sunt vituperanda aut patrociniū voluptatis repudiandum. Quod autem pa-
10 trociniū aut quae ista causa est voluptatis, quae nec testes ullos e claris viris nec laudatores poterit adhibere? Ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent, sic in vestris

3. factus est E [Lucius A] 4. Virg. (LPM)CROr. 5. suam [A]EPMC manu sua L [post pro potius A¹] 6. P. Claudii [A]EMCR tamen E summo in (PM)ROr. 9. voluptatis patrociniū L 12. animalium E [monimentis A] 13. Post in laboribus add. in periculis L 14. qui om. E

Hic dolor populi Romani) id est, hinc ortus, huius rei; vid. Ramshorn. p. 553 et 554 ed. 2, etsi is unum et alterum exemplum minus commodum admiscuit. Huius generis erat illud supra § 54 *quo plebiscito*, et I, 63: *ea scientia*. [Nam si Caesarem, Livium, Tacitum attingam, sit infinitum. Tantum h. l. animadvertendus genitivus additus, *populi Romani*.]

summo imperio) Sic etiam Pall. quattuor, apud Dav. duo, Oxx. praeter ψ (modo de eo recte taceatur), Gzii omnes, [B]. Non magna in hac re codicum auctoritas; sed potius dicitur *esse in imperio*; *in summo imperio esse* non legi. Praepositione addita magis significari divisum cum collegis imperium, quis credat Davasio? [Sed ablativus sine praepositione nullo exemplo ponitur. I. Muellerus II p. 14 *summo cum imperio* aut *cum summo imp.*, recte, ut opinor. 1874.]

Cap. XXI, 67. *laudatores*) A iudiciorum consuetudine hoc nomen tractatum est; vid. Verr. V, 57 et alibi. Excitantur testes (quoniam in eo fuerunt qui haerent) proprie, cum surgere iubentur et prodire (pro Rab. Post. 47, pro Balbo 41, ut alibi recitatores. lectores, rei), tum h. l. simili imagine, atque ab inferis excitari homines dicuntur.

qui voluptatis nomen audire non possent) Scire velim, de quo nemo verbum ullum fecit, unde hic sit coniunctivus (post illud: *consumpta est*) et ne *potuerint* quidem, sed condicionale tempus.

disputationibus historia muta est. Numquam audiui in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari, qui in ore sunt ceterorum philosophorum omnium. Nunc vero, quoniam haec nos etiam tractare coepimus, suppedabit nobis Atticus noster e the- 5

2. [*Ligurcum* — *Miltiadem A*] 3. *omnium philosophorum* [A]LPMCROR.
4. *nec vero MCR hinc vero L et E* 5. *suppeditabat EC noster om.*
LPMCR et (pro e) E ex LPMR de COR.

[Itaque, cum praeterea in Erl. omitteretur *qui ante voluptatis*, quod casu factum nunc A et B ostendunt, scribi volueram: *ubi voluptatis*, et enarrari: in quibus adeo nullam ipsius voluptatis copiam haberent, ut ne nomen quidem ad eos perveniret. Sed *nomen rei audire non posse dici* eos, qui propter rei odium nomen quoque respuant nec ad aures admittant, ostendit ipse Cicero II R. P. 52 (cfr. Orat. 25, Liv. XXXIII, 35, 3), diciturque eodem modo *videre non possum*, hoc est, aspectum non fero, aequo animo videre non possum (Cic. pro Sest. 106: *nemo vultum aspicere, nemo vocem audire poterat*, in Pis. 64, Liv. I, 26, 10, Senec. ad Helv. 9. 6, Plin. Epist. VI, 8, 7), aliaque similiter. Relinquitur, ut enarremus: qui, si nomen voluptatis audirent, aversaturi fuerunt. Imperfectum igitur condicionale noto usu pro plusquamperfecto ponitur (vid. ad V, 8, Gr. Lat. § 347 b not. 2). In proximis ordinem verborum tenui, qui in Erl. erat; B *philosophorum ceterorum omnium*, is quoque *omnium* extremo loco ponens. De ceteris tacetur.]

Nunc vero) Sic Pall. 1 et 3, Spir. [B], mg. Crat. apud Davisium Mead.; scribitur sic iam apud Marsum, tum inde a Victorio. Ceteri codd. Pall., Dav., Oxx., Gzii *nec vero* (U *nec quaero*). Mox etiam Gzius, cum a Gud. 1 et Bas. abesset, in ceteris scriberetur *et*, delevit, „prorsus ignorans, quo nomine h. l. ferri posset“. Necessaria est particula, cum Cicero significet, nunc Romanos quoque ea tractare coepisse. quae antea soli Graeci tractassent.

Atticus noster e thesauris) *Noster* Crat. primus in contextu habet, deinde Grut. e Pall. 1 et 3, [B]; Dav. tacet, Oxx. tantum in U omitti annotant, Gzius in Gud. 2. Tum *e thes.* [B] iam Crat. et Vict. dederant; Dav. ex quinque *ex th.* scripsit; *de thes.*, quod tenent Man. et Lamb., Oxx. ex uno § annotant, Gzius e Gud. utroque; de Spir. et Bas. res incerta. *Suppeditare aliquid ex locis* scribitur de Orat. II, 215, ad Att. VIII, 1, 2; quamquam quis dubitat? Ex Attici thesauris multa, quae ad historiam pertinerent, Ciceronem prompsisse, declarant epistulae.

sauris suis quos et quantos viros! 68. Nonne melius est de his aliquid quam tantis voluminibus de Themista loqui? Sint ista Graecorum; quamquam ab iis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus; sed tamen est aliquid, 5 quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnant Stoici cum Peripateticis. Alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit, alteri, plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona. Et certamen honestum et disputatio 10 splendida! Omnis est enim de virtutis dignitate contentio.

1. Post viros add. *habere testium sat est* LPMCR 2. iis R *Themistocle* LMCr *loquitur* E 3. his [A]EPMCO. illis L 10. est om. E

ut illud supra de Tubulo et Scaevola. Fortasse ipsum annum Attici significat (Corn. Nep. Att. 18, Hannib. 13, Cic. Orat. 120, Brut. 14, 19, 42, 72, ad Att. XII, 23, 2, Ascon. in Pisonianam p. 127 Hot.).

quos et quantos viros) Sic etiam Pall. 1, codd. Mor. et Scal., El. (2), Spir. [B]. Gud. 2. Ceteri eadem addunt, quae nostri deteriores; non intellexerat, qui interpolavit, formam orationis declarativae in exclamationem transeuntis. A multis damnata delevit Gzius. Quod autem iam diu ante Bremii coniecturam Manutius scripserat: *quot et quantos viros*, id etsi blandiri potest, quod et multitudo et magnitudo commode significari videtur, obstant tamen pro Quinct. 51, Div. in Caec. 40, Verr. III, 66, III de Legg. 20, I de Divin. 52: *qui vir et quantus*; add. Liv. IV, 2, 5, VI, 20, 5, Plin. Ep. V, 15, 5.

68. *de Themista*) Nomen feminae in Epicuri schola celebratae, Leontei uxoris, ad quam Epicurus scripserat (Diog. X, 5 et 25; cfr. Cic. in Pison. 63 et Menag. Hist. mulierum philos. § 69) conservarunt etiam Pal. 1, Scalig. et Gifanii codd., Spir. [B]. Restituerat iam Lambinus, cum in codd. reperisset *Themistio* (sic etiam Pall. quinque, Parr. tres, Eξ). *Tanta illa volumina nonnihil habent ex oratoria superlatione.*

Alteri negant — alteri) dicunt; vid. ad § 25. Mox, ubi scriptum est: *et certamen* cet., nescio plane, cur turbatum a nonnullis editoribus sit; nam et frequenter sic nominativus sine verbo ponitur, cum breviter de re commemorata indicatur (infra 97, V. 84, de Divin. II, 3, Lael. 67, pro Mur. 19, al.), et rectissime haec laus in duas partes distribuitur, rerum ipsarum, de quibus certetur, et disputationis, quae inde splendorem accipiat. Tum est post *omnis* omittitur etiam in duobus aliis Gzii [B].

At cum tuis cum disseras, multa sunt audienda etiam de obscenis voluptatibus. de quibus ab Epicuro saepissime dicitur. 69. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris; pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes sane commode 5 verbis depingere solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem; praesto esse virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut voluptati ministrarent, et eam 10 tantum ad aurem admonerent (si modo id pictura intellegi

1. *tu vis* E *cum desideras* E [*cum* in A subducta linea deletum et sec. m. superscriptum est *tu*.⁴] *quomodo disseras* L 2. *de ante quibus* om. [A]E *dici* E 3. *igitur* EC *crede sed si* C 6. *nobis* (pro *verbis*) L *pingere* LPMCR 8. *et habitu regali* C 9. *ac* (pro *ut*) E *ancillas* R 10. *ministraret* E 11. *tamen ad* R

cum disseras) Vereor, ne mendum hic haereat; neque enim coniunctivi ulla videtur ratio esse, [quoniam post *tuis* secunda persona in eadem sententia de incerto subiecto (Gr. Lat. § 370) accipi nequit, nisi forte in certo subiecto eadem tamen significatio est rei tantum fictae et cogitatae; sed tum *sint* sequi debebat]. Marsus et Ursinus *si disseras*. In Erl. et Spir. Gzius narrat esse: *at tamen tuis eum disseras*, falso. [B ut Erl. Naegelsbachio in mentem venit *cum dissertas*, verbo non Ciceroniano. Kayserus simpliciter *disseris* scribi iussit.]

69. *verbis depingere*) Sic Mars., Crat., Grut. tacite [ex A], Ox. ξ, Gzii praeter Gud. 1. Davisius revocavit *pingere* e deterioribus codd. (duobus suis, Oxx. quattuor) et vett. edd. *Depingere vitam* (oratione), *aliquid cogitatione* dixit Cicero, non *pingere*; *depingere imaginem verbis* Quintilianus.

pictam in tabula voluptatem) Ab Cicerone, opinor, huius tabulae descriptionem Augustinus mutuatus est, de Civit. Dei V, 20. Senecam de Vit. Beat. 11 et 14, nihil est, cur eam ante oculos habuisse credamus ac non suis coloribus usum esse, qui facile cuivis occurrerent; idem de III de Off. 117 dicendum.

ancillulas) *Ancillas* aliquot vett. edd., Oxx. Eξψ; verum in mg. Crat. annotatur.

si modo id — posset) Cleanthis hanc esse cautionem, satis verbi modus et tempus admonet; et tamen Gzius et Otto reprehendi eum a Cicerone putant.

posset), ut caveret, ne quid faceret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor. „Nos quidem virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus.“

5 XXII. 70. At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est), quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat aut neget; illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum ponat, consentaneum

1. *perficeret* LPMCR 2. *quicquid* E *animis* (pro *aliquis*) L 3. [*dolorum* Eh] *sic* — *negotii* transp. inter *enim* et *vestrum* C 4. *aliud* — *habemus* om. M *negotium nihil* [A]P *negotium non* E *nihil negotii* R 5. *Epic. negat* E 7. *Quasi* — *neget* Non. p. 70: *quasi ego id curem, quod cet. ergo* C *alat* [A]E *agat* C 8. *qui voluptatem* E *putat* (pro *ponat*) LPMCR

ne quid faceret) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. El. 2, CCC; restituit Davisius.

aliud negotii) Meliores codd. (Pal. 1, Spir. [B], etiam Pal. 4 et §) *negotium*, quod mendum propter *aliud* ortum videtur indeque natum in Erl. et Spir. [B] *negotium non habemus*. Gzius, cum in Oxx. E ξ , Gud. 1, Bas. esset *haberemus*, scribendum putavit: *aliud negotium non haberemus*. Debebat in consilii significatione (ea enim in imperfecto esset) potius dici: *ne haberemus* (ut *ne*). Otto Latine dici credidit: *nihil* (id est, non) *habeo aliud negotium*. Renuet negitabitque, quem auctorem citat, Wunderus (ad orat. Planc. p. 182 sqq.), quamquam vir egregius non satis attendit in eo loco, qui in II de leg. agr. est § 37, ubi *nihil* coniungitur cum *susplicari*.

Cap. XXII, 70. *summum bonum ponat*) Sic unus Pal. 1 et, si Gzio credimus, Gud. 1 (de Marso errat; Lallemando de codd. regiis non credendum est); Oxx. tamen E ξ *ponat putat*. [Accedunt nunc Palatini socii Erl. et B.] Receptit Davisius. Repugnant Bremius et Gzius, huic locutioni: *in voluptate summum bonum putare* simile illud credentes: *imperatorem in aliquo numero putare* (quo nihilo similis est, quod Matthiaeus comparat ex V, 20, *vacationem doloris in rebus expetendis putare*, id est, *numerare*), tum non intellegentes, quod ne a Beiero quidem (ad Off. III, 117 p. 409) admonitus Otto intellexit, prorsus ferri non posse indicativum in hac necessaria parte obliquae orationis, ubi res ab uno Epicuro ad generalem notionem (*ei, qui*) transferatur, ut illo ipso de Off. loco: *Tamen non id spectandum est, quid dicat* (Epicurus), *sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore*. Vid. ad § 15.

sit dicere. Quid affers, cur Thorius, cur † Chius Postumius, cur omnium horum magister, Orata, non iucundissime vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprehendam, nisi plane fatui sint, id est, nisi aut cupiant aut metuant. Quarum ambarum rerum cum medicinam polli- 5 cetur, luxuriae licentiam pollicetur. His enim rebus detractis negat se reperire in asotorum vita, quod reprendat.

1. est C Postumius cur Chius LPMCR cur C. Hirrius Postumius Or. cum nota mendi Postumus E 2. horum om. LPMCR 4. idem (pro id est) EPC iidem LM aut plane cupiant R 5. medicinam cum E 7. quid L

cur Chius Postumius) Sic etiam Pal. 1, mg. Crat., cod. Mor., Spir., Gud. 1 (an potius 2?). El. 2 cur Chireus Postumius; eandemque scripturam Scaliger reppererat, ex qua ille fecit: cur C. Hirrius Postumius, quemadmodum Morelius et Ursinus (nisi quod hic C. Hirrus), ut intellegatur is, quem Varro de R. R. III, 17, 2 et Plinius H. N. IX, 171 primum muraenarum vivarium excogitasse narrant. Secuti hanc coniecturam post Davisium omnes sunt praeter Ernestium et Bremium. Sed nec, cur tam diligenter et tribus nominibus insigniatur, apparet nec cognomen ei Varro et Plinius addunt; debebat praeterea Postumus esse; [et hoc quidem in Erl. et B. est]. Accedit, ut vix possit omnium horum de universo genere, ac non de iis, qui nominati sint, intellegi, quod sensit etiam Davisius. Itaque tres nominasse Cicero videtur, duos praeter Thorium, ut, si Chius est C. Hirrius [C. Heius], deesse videatur Postumii praenomen; nec enim mirum est, nominari homines nobis ignotos. In his, quos Cicero inter Thorium, quem ante commemorarat, et Oratam intericit, recte asyndeto uti potuit. Deteriores aliorum, ut mei, perturbate. Marsus Postumus cur Chirrus (Chirus Urs. cod.). [Kayserus: cur Hirrius, cur Postumius.] Tum horum, quod Crat. (non Marsus), Vict., deinde Grut. tacite ediderunt, apparet nunc e melioribus codd. ductum esse; omittitur in Mead., CCC (5), Ball., Uz, Gud. 2, Bas. De C. Sergii Oratae (Auratae), qui L. Crassi oratoris aequalis fuit, luxuria et in eo genere inventis multi multa, ipse Cicero in fragm. Hortensii apud August. de Vit. Beat. 26 (p. 484 Or.), Val. Max. IX, 1, 1, Plin. H. N. IX, 168, Macrob. Saturn. II, 11.

nisi plane fatui sint, id est, nisi cet.) Praeposuit Cicero suam interpretationem, subiecit ipsa Epicuri verba (de quibus vid. ad § 21); dixi de hoc usu vocum id est ad I, 33. Tum mendum ed. R, plane ante cupiant repetentis, propagatum usque ad Victorium. Morelius plane in suo cod. omitti annotat. Paulo post rebus om. Bas., Marsus.

71. Non igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria; nosti, credo, illud:

5 Nemo pius est, qui pietatem —
cave putes quidquam esse verius. Nec enim, dum metuit, iustus est et certe, si metuere destiterit, non erit; non metuet autem, sive celare poterit sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere, certeque malet existimari vir bonus, ut non

5. *pietate* E, add. *cavet* LPMCR 6. *quidquam putes* LPMCRor.
7. [*desistit* A] *destitere* E *metuit* LMCr 8. *potuerit* EOr. *maius* LPMR
quidquam LP (mg *magnis quidquid*) MCR 9. *obtinere* om. LPMCR *mallet*
obtinere existimari LPMCR [*mallet etiam* AE] *bonus vir* [A]LPMCRor.

71. *Nam nec vir bonus*) Debit sequi de reliquis virtutibus: *nec fortis* et de ceteris eodem modo; vid. 72 et exc. ad I, 23. Duo Gzii et Ox. ξ, ed. Marsi: *aut iustus. Ne malum habeat* eodem modo ponitur ad Att. VII, 2, 4.

qui pietatem) Sic Pal. 1, Spir., nisi quod hic *pietate*; [B *pietatem*]. Sententia versus cuiusmodi fuerit, apparet; (*pietatem metu colit* aut simili forma).

poterit) *Potuerit* etiam Spir. [B], ediditque Gzcius [et ego ipse olim], quod ferri possit; longe tamen alius generis sunt, quae is eiusdem esse putat, vera ac necessaria futura exacta *destiterit, fecerit*. Vid. Opusc. Acad. II p. 83 not. [Nunc A secutus sum.]

sive — obtinere cet.) Hic quoque locus, qui ante Manutium et Lambinum sic edebatur, ut est in nostris codd. deterioribus, salutem meliori codicum familiae debet; eum, ut nunc editur, scriptum in antiquis codicibus repperit Io. Scala, P. Manutii amicus, tum Lambinus idem de se testatur; et erat sic in Pal. 1, [B,] mg. Crat., cod. Mor., nisi quod levi mendo *mallet* (Crat. *malle*) habebant. Dav. et Gzcius nihil dixerunt. Oxx. e ψ annotarunt *maius*. e χψ *quidquam*, ex EUξψ *mallet*, id, quod caput est, transpositionem verbi *obtinere*, e nullo, quia ordinem verborum illi ne hactenus quidem curabant, ut ibi annotarent, ubi prorsus mutaretur oratio. Apparet autem audacia interpolatoris non minus quam supra § 26. Nam cum *obtinere* putaret esse *consequi*, quo significatu nemo bonus scriptor posuit (etsi apud Forcellinum eo trahuntur loci quidam, in quibus est *durchsetzen*; apud Cic. Legg. I. 59 in verbis *ad obtinendam adipiscendamque sapientiam* aut durissima hystero-logia est aut scriptura mendosa; nam *obtinemus*, quod iam adepti sumus). — cum igitur sic acciperet et fortasse iam scriptum reperiret *quidquam*, effecit: *sive*

sit, quam esse, ut non putetur. Ita, quod † certissimum

1. *itaque* (pro *ita quod*) R

opibus maius quidquam (quidpiam esse debebat) fecerit; certeque mallet (malet) obtinere existimari (h. e. consequi, ut existimetur) cet.

vir bonus) Sic etiam Spir. [B], ut solet fere Cicero scribere hoc casu, praeposito monosyllabo; sed tamen *bonus vir* § 81, Off. III, 76. Bas. omittebat *vir*. Deinde in verbis *ut non sit et ut non putetur* Gzius et Otto *ut pro licet* positum putant. Rectoria prudenter et erudite docuit Wesenbergius in Annot. in Cic. Tusc. specimine primo (Viburgi 1830) p. 24 sqq. Ut enim, cum sic dicitur (de imp. Pomp. 19): *Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant, nemo dubitat. quin necessariae consecutionis (ohne dass) significatio oriatur ex significatione modi (ruere illa non possunt tali modo, ut non cet.), ex quo genere est illud, quod infra IV, 29 legitur: Sed id ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi, etsi ibi non tam consecutio iudicatur, quam quid in ipsa re inhaereat, item de aliis orationis formis iudicandum est, in quibus hac particula significatur, quo adiecto aut excluso aliquid mente concipiendum sit, ut in illo Laelii loco § 52: Quis est, qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, hoc est, eo modo eaque lege. ut cet. Cfr. Tusc. I, 23. Livius etiam durius sic posuit *ut non de modo, ut prorsus substitui possit nisi de condicione, XXVIII, 13, 1: neque Romanis legionibus tantae se parem fore multitudini ratus, ut non in speciem saltem opponeretur barbarorum auxilia. Atque hinc natus est concessivus particulae usus, cum initio sic diceretur, posse aliquid ita dici fierive, ut aliud aliquid simul aut feret aut fieri non opus esset, paulatim autem prorsus obscuraretur modi significatio. Itaque ab eodem capite etiam ille usus manavit, cum non conceditur aliquid, sed sumitur et esse putatur in iudicando, velut hic V. 82: ut sapiens fuerit, pro Quinct. 79: ut statim de iure aliquis cucurrerit. Ne in eo quidem, quod legitur I, 65 (ut ad Orestem pervenias cet.), ut aliter accipiendum est; (eiusmodi investigatione, ut cet.).**

quod certissimum est) Hoc mendosum esse, omnes inde a Th. Bentleio consentiunt praeter Gzium; ineptissime enim, cum aliquid concluditur et affirmatur, additur tamquam animadversione dignum, hoc ipsum, quod concludatur, certum esse. Nihil sic addi potest, nisi quod iudicium contineat de ipsa re. (Inelegantem repetitionem adiectivi eiusdem et adverbii cognati: *certeque, certissimum, certa*que non numero.) Ad sententiam apta

est, pro vera certaue iustitia simulationem nobis iustitiae traditis praecipitisque quodam modo, ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. 72. Quae dici eadem de ceteris virtutibus pos-
 5 sunt, quarum omnia fundamenta vos in voluptate tamquam in aqua ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatium? — (delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere, delector, inquam, et familia vestra et nomine; et hercule mihi vir optimus nostrique
 10 amantissimus, A. Torquatus, versatur ante oculos, cuius

5. vos om. L 6. fortem non possumus E 8. possim MCR possumus E
 9. nostra E modo (pro mihi) LPMCR nostri Q. amantissimus E 10. Aulius [A]PM

sunt, quae Bentleio et Bremio in mentem venerunt, alteri *turpissimum*, alteri *perniciosissimum*. [M. Hauptius in ind. schol. hib. Berol. 1867 *cerritissimum*. Sed id vocabulum, quod Cicero (ad Att. VIII, 5, 1) et Horatius e populari sermone sumpsisse videntur, dici videtur de ipso homine furibundo, ut *cerebrosus*, non de re; nec omnino furoris significatio h. l. apta est. L. Ianus *inertissimum*; sed ne inertia quidem recte appellari videtur. Totum hoc *g. c. e.* tollere, quod nuper aliquis voluit, certissima vis est. 1874.]

72. eundem illum Torquatium? — *delector enim* cet. ad redeo § 73) Significavi, quod omnes neglexerant, interruptam orationem et redintegratam; quo non animadverso, sententia nulla est; neque enim quaerit simpliciter, fortemne Torquatium illum dicere possit, tamquam neget fortem fuisse, sed cum condicione. Mox *possim*, ut Crat. et Vict., etiam cod. *ψ* et Davisius.

mihi) Sic Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat.. Eξ. Probarat iam Laminus, restituit Gruterus. Ceteri modo; Gud. 1 *mihi vir modo*.

A. *Torquatus*) Humaniter mentionem intulit amici, qui tum, cum haec Cicero scribebat, in Graecia exulabat, Caesari invisus; vid. ad Fam. VI, 1—4 (ep. 1, 7: *ego habeo, cui plus quam tibi debeam, neminem*). Is, ut videtur, praetor fuit a. 52 a. Chr. (Ascon. ad Milon. p. 147 et 159 Hot.), nec alius *optimus vir* appellatur ad Att. V, 1, 5. L. Torquati, qui in his libris partes habet, fratrem non fuisse, quod quidam putarunt, recte Gzius e Ciceronis silentio et orationis forma apparere putat. Nec video, cur ab hoc seiungamus et Lucii fratrem faciamus eum, qui cum Lucio nominatur ad Att. IX, 8. Quid is in Ciceronis causa Clodianis temporibus egerit, nescimus. [*Fuerit post studium* posueram Erlangensis meam collationem

quantum studium et quam insigne fuerit erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum; quae mihi ipsi, qui volo et esse et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua; nisi hoc dicis, sua, quod interest 5 omnium recte facere. Si id dicis, vicimus; id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium. 73. Hoc ille tuus non vult omnibusque ex rebus voluptatem quasi mercedem exigit; sed ad illum redeo;) si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus et ex eius 10 spoliis sibi et torquem et cognomen induit ullam aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna viro videbantur, fortem non puto. Iam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia poenae aut infamiae metu coërcēbuntur, non sanctitate sua se tuebuntur, quod adulterium, 15 quod stuprum, quae libido non se proripiet ac proiciet aut

1. *studium fuerit et tam insigne erga fuerit me* E *fuerit* transp. post *studium* Or. *etiam* (pro et) C 3. *qui* (pro quae) E *volo esse* L *cupio* (pro et haberi) C 4. *nisi aspicerem* C 5. *quod interest* bis scr. E 6. *enim* om. P 8. *voluptatem* om. E 10. [*eius* om. A¹] 11. *nullam omnes aliam* om. R 13. *si pudor* om PMCR 14. *poenae* om. E 16. *se non* R *aut* (pro ac) C

et Gzii de Spir. testimonium secutus. AB ut ceteri.] Paulo post lusit Cicero in duplici usu vocis *gratus*.

73. *ullam aliam ob causam*) Conspirant aliorum quoque codices [B quoque] in *nullam*. Emendatum Orellius dicit iam in ed. Ven. 1480; deinde a P. Manutio. (Paulo ante Eξ et tres Gzii: *haec ille tuus non vult*.)

si pudor) Haec, quae omittuntur in codd. deterioribus, accesserunt in ed. Crat. et Vict. Erant in Pal. 1. [B.] Eξ. Dav. et Gzsius tacent. Annotandum verbum plurale non solum post anaphoram coniunctionis in subiectis [vid. Wesenb. Emendatt. epist. Cic. I p. 127], sed etiam post subiecta apertissime (*uno verbo*) in unam postremam notionem collecta et conflata. Tum Cicero insolentius virtutes, quae in vitiis coërcendis positae sunt, ipsas coërceri dixit; obversabatur enim notio cupiditatis prudentia quadam temperatae, quae ipsa erat virtus Epicurea. [Similiter, minus tamen notabiliter, infra 88 *perfectio virtutis* dicitur, quae est virtus perfectione rationis orta.]

quod adulterium — se proripiet ac proiciet) Recte haec verba absolute dicuntur de iis, quae spreta dissimulatione audacter prorumpunt, ut nihil fuerit, cur aut corrector codd. Eξ

occultatione proposita aut impunitate aut licentia? 74. Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur, te isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei causa perficere, quae conaris, velis, quid
 5 optimum denique in vita iudices, non audere in conventu dicere? Quid enim mereri velis, iam cum magistratum inieris et in contionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in iure dicendo, et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis et de te ipso dices more
 10 maiorum), — quid merearis igitur, ut dicas, te in eo magi-

1. *quod* E 4. *quod optimum* [A]EPMCR 6. *merere* om. E
iam cum tu MR 7. *contionem* E 8. *servaturus* C 9. *tuis* om. C
 10. *te dicas* COB

aut Dav. scriberet: *quo adulterium, quo stuprum, quo libido*, moleste etiam loci notione in singulis rebus repetita.

aut occultatione aut impunitate aut licentia) Ex his tribus duo posteriora non ita inter se differunt, ut ipsa a primo; et supra (71) duo erant, non tria, *celare* et *magnis opibus obtinere*; neque nova partitio hic altero *aut* fieri potest in tribus substantivis (quemadmodum fit, ut hoc utar, pro Sestio 24: *si parvo puero aut si imbecillo seni aut debili*), et, si fieri posset, nihilo magis, quid interesset certi discriminis, constaret. Non improbabiliter igitur Lambinus ac *licentia*.

74. *quid optimum*) Plerique mendose ediderunt *quod*; correxerat Manutius, tum Davisius e Par. 3; vid. ad I. 18.

iam cum) Tu addunt etiam El. (uter?), Mead., $\chi\psi$, Bas., Gud. 1; receperunt Vict. et Dav. Vitiose abundat. *Iam* adverbium significat, non longe abesse praeturae ineundae tempus, ut in Brut. 171: *Iam intelleges, cum in Galliam veneris*, [et supra I, 37, infra III. 40. Livius I, 23, 9: *Memor esto, iam cum signum pugnae dabis*, cet.]. Cur, dicat aliquis, hoc tam puerile? Videat modo, quas proprietates concurrentibus particulis *iam cum* et *cum iam* Handius ascribat Turs. III p. 118 in aliquot locis, in quibus quid esset, quod a pervagatissimo usu vocis *iam* abhorreret, frustra intellegere studui. Praetor Torquatus fuit a. 49 a. Chr.; vid. argum. libri I. Non memini alibi tradi, praetorem in contione edixisse et edicto orationem addidisse.

ut dicas, te) Sic omnes etiam Gzii codd. et ex R edd. quaedam veteres. Mox etiam Gud. 1 *inquit*, ut voluerat

stratu omnia voluptatis causa facturum esse teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? — An me, inquis, tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? — At tu eadem ista die in iudicio aut, si coronam times, die in senatu. Numquam facies. Cur, nisi quod turpis oratio 5 est? Mene ergo et Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

XXIII. 75. Verum esto: verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem, nec nos fortasse intellegimus; hoc enim identidem dicitis, non intellegere nos, quam dicatis voluptatem. 10 Rem videlicet difficilem et obscuram! Individua cum dicitis

2. *inquit* C 5 *quod* om. E *est oratio* LPMCR 6. *existimes* [A]L 7. *loquere* E 10. *voluptatem quam dicatis* LPMCR *voluptatis* E 11. *vides omnes*, Or. *cum dicitis* om. PMCR

Walkerus. Nulla hic, ut § 78, ratio est incertae personae inducendae, cum in unum Torquatam haec cadant.

nisi quod turpis oratio est) Omittunt *quod* etiam Spir. [B] et tres Parr. Davisii; sequuntur eos hic et Gzius, [contra A et] vix recte. Nam aut sic quaeritur: *Quam aliam causam habes nisi hanc?* id est: *nisi quod*, aut sic: *Quam causam (omnino) habes, si hanc non habes?* id est: *si turpis oratio non est*; tertium illud: *Quam causam habes, nisi — est?* interrogationi ad negationem inclinanti exceptionem similem adiungere videtur, ac si dicas *nisi forte*, quod hinc alienum est. Notabile tamen, infra § 102 similiter in melioribus codicibus [sed omnibus] esse *nisi*, in deterioribus *nisi cum*. Verbum ultimo loco habent etiam Spir., Bas., Gud. 1 et ex iis Gzius.

Cap. XXIII, 75. *quam dicatis voluptatem*) Verum ordinem (prave enim substantivum interrogativo praeponeretur, in quod praesertim oratio incumbat) restituit Gzius e suis codd. praeter Gud. 2 (nisi de deterioribus falsus est, ut de Marso), et ediderat sic Cratander.

Rem videlicet difficilem) In omnibus codd., hoc est. in uno principe compendium hoc *vid.* transit in *vides*. ut alibi, quod commutatum erat cum altero *iud.* in *iudices* (pro Planc. 72 ibique Garat.). Correxerit Manutius certissima emendatione et a multis probata, contra quem Gzius frustra pugnat. Neque enim in huiusmodi ironia, cum id, quod adversarius intellegi negat, pervagatum esse significatur, quisquam *vides* dicere potest. Quid enim ille *videt*? Tum illo vocabulo utimur, cum alterum ad rem sibi notam, quae ad alium aliquem per-

et intermundia, quae nec sunt ulla nec possunt esse, intellegimus; voluptas, quae passeribus nota est omnibus, a nobis intellegi non potest? Quid, si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire (est enim iucundus motus in
5 sensu), sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum enim eam ipsam vis, quam modo ego dixi, et nomen imponis, in motu ut sit

1. esse possunt L 2. omnibus nota est EPMCROR. est nota omnibus L
3. ne (pro me) E 4. sciretur E 5. velis tu eam E tu enim MR 6. dixi
ego E ego om. L nomen iam ponis E

tineat, attendere iubemus (II, 30: *nunc vides*; IV, 7: *itaque vides*; ibd. 5: *illorum, vides, quam niteat oratio*) aut ad id, quod nostra argumentatione et oratione conficiatur. (Quod Gzius advocat, quod IV, 7 editur: *vides, quantam rem agas*, id, etiamsi mendo careat, diversissimum est; ibi enim alter attendere iubetur, quantam rem suscipiat, non negatur magnum esse, quod is dixisset.) Poterat poni: *Rem dicis difficilem*; sed nihil aptius quam *videlicet*, ut mirer, Davisium *video* scribendum coicere, in quo nulla irrisio est, Ernestium *vide*, quod paene in eodem incommodo est, in quo *vides*. Accusativus autem eodem appositionis genere ad superiorem sententiam annectitur, quasi a verbo pendens (*rem videlicet difficilem nos non intellegere dicitis*), quo II de Orat. 79: *Rem sane non reconditam*, et Orat. 52: *Sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem; rem difficilem, di immortales! atque omnium difficillimam* (quibus locis usus est Matthiaeus in Gramm. Graec. § 432, 5), et I Tusc. 102: *Admoneor, ut aliquid etiam de humatione dicendum existimem; rem non difficilem* cet. Nec aliter hoc accusativo Cicero usus est nisi in adiciendo huiusmodi iudicio, intra fines aliquanto angustiores, quam aut Graeci aut Tacitus [vid. Nipperd. ad Ann. I, 27], nec pluribus, opinor, locis quam quos posui.

cum dicitis) Sic Crat. et Vict., tum e Pall. 1 et 3 Grut., et erant haec verba in Oxx. Eξ, Spir. [B], etiam Bas. Morelius omitti in suo cod. annotat, quod miror.

intermundia) Τὰ μεταχόσμια sic appellat Cicero hic et I de N. D. 18, hoc est, τὰ μεταξὺ διαστήματα (Epic. apud Diog. X; 89), fortasse sumpto nomine ab Epicureo aliquo Romano, qui haec Latina facere conabatur. Tum *omnibus nota est* etiam omnes Gzii codd., [B]; Gruterus tacite *nota est omnibus*, quod propagatum est, excepto Davisio, [et nunc repositum, cum sit in A]. Passeres cur nominet, ostendit communis de eius avis natura opinio.

modo ego dixi) Gzius propter incertum ordinem (nam in

et faciat aliquam varietatem, tum aliam quandam summam voluptatem, cui addi nihil possit; eam tum adesse, cum dolor omnis absit; eam stabilem appellas. 76. Sit sane ista voluptas. Dic in quovis conventu, te omnia facere, ne doleas. Si ne hoc quidem satis ample, satis honeste 5 dici putas, dic te omnia et in isto magistratu et in omni vita utilitatis tuae causa facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tua causa; quem clamorem contionis aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est,

2. [quo pro cui A] qua E potest C 3. assit E eamque stabilem LPMCROR. 4. in quo conventu vis E 5. sum hoc quid est satis E 6. [omnia te A aut hic aut v. 4] 8. tui causa E

Gud. 2 et Bas. esse dixi modo ego) delevit modo ego cum damno orationis et oppositionis; nec talia scribae addunt; et quod modo de re tam brevi ante nominata inprobat, ignorat particulae usum; vid. Legg. I, 47.

nomen imponis, in motu ut sit) Non habebat Cicero unum satis usitatum nomen; nam *moventem* non appellabant, etsi eo usus est § 31; itaque circumlocutione usus est; deinde liberius paulo huic circumlocutioni ea adiunxit proxime et eodem ordine (*et faciat cet.*), quae nihil ad nomen pertinerent, sed ad naturam rei. [Mox quo et qua orta puto ex quoi. Vid. Emend. Liv. p. 286. Baierus A secutus est. Cum eo nunc sustuli que post *eam*, omissum etiam in B.]

76. nisi tua causa) Dixeritne Cicero *tui causa*, non tam certum est, ut unius Erl. [et B] fide sic scribendum putarim [nedum repugnante nunc aperte A], etsi ipse in Lael. 57 optimis codd. obsequens edidi *nostrae causa* [ubi nunc duo anti-quissimi *nostra* dederunt], in Verr. III, 121 Zumptius *sui causa*. In Acad. II, 120 nunc editur e pluribus et melioribus codicibus *nostra causa*. De Div. II, 126 auctoritatem paene nullam habet *nostrae causa*; hoc ipso libro 60 in duobus Gzii codd., Bas. et Gud. 1, erat *sui causa*. Dictum sic aliquando esse, declarat etiam Servius ad Aeneid. XII, 29. Praeter Ciceronem apud Plinium H. N. II, 155 legebatur *nostrae causa*, [nunc e codd. *nostra*]; Ulpiani et Papiniani locos, quos Vossius (de constr. c. 57) significat, non vacavit operose quaerere. Multo tamen difficilior videtur fuisse in *causae* nomine transitus a possessiva forma ad objectivum genitivum [Gr. Lat. § 297 b cum notis] quam, quod unum genus eius transitus praeterea apud Ciceronem reperitur. in substantivis personam agentem significantibus (*accusator mei pro meus*). Cetera, quae

futuram putas? Eamne rationem igitur sequere, qua te-

1. *putas* M, superscripto *e*; *putes* ceteri, Or. *igitur* om. LPMCR
sequere ELPMCROR.

apud poëtas et argenteae aetatis scriptores reperiuntur (*imago nostri, gravitate sui, longa sui absentia, tertia parte sui cet.*), ad Ciceronem nihil pertinent, sed ne ea quidem cum *causae* nomine valde coniuncta sunt. Quo uno loco apud Ciceronem in aperta significatione possessiva *tui* legitur, ad Fam. II, 6 extr., ibi Cicero sine dubio scripsit ut saepissime: *unius tuo studio*; [atque ita Med. a prima manu]. In IV Catil. 7 *pro sui dignitate*, quod in multis codd. est, nemo probavit. [De proximis verbis *quem clamorem* cet. vid. ad V, 61.]

futuram putas) Non magis in hac simplici interrogatione de iudicio alterius coniunctivum ferendum putavi, quam tulerunt prudentes editores in act. I in Verr. 40: *Quo me tandem animo fore putetis?* Correxì eo fidentius, quod V, 89 idem mendum optimi codices tollunt et supra § 60 sustulerunt, utroque autem loco scribarum iudicium apparet. Hic tamen Bas. quoque codicis corrector *putas* supra scripsit. Gzius optativum suum crepat. In Tusc. V, 119 vitiosum in hoc genere sane erat: *Quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum putas?* Non minus vitiosum est in ipso verbo, quod ex optimis codicibus revocavit Klotzius, crudelitatem criticorum accusans. Nemo enim sic sententiam eius, quicum loquitur, exquirat: *Quid faciendum vides?* Quod Moserus scripsit: *Quid tandem — faciendum, vides*, sine interrogatione, neque *sit* abesse potest et interrogationem postulat *tandem*. Nihil plane ad hanc rem pertinet Livii locus IX, 34, 12, ubi P. Sempronius secunda persona de incerto subiecto utitur [Gr. Lat. § 370]: *Quem tu regem sacrificiorum crees?* (Sic interpungendum; est enim: *creare audeas?*) *Ut qui optimo iure rex Romae creatus sit, creatum se dicet.* (Sic interpungendum: quicumque creatus erit, simili calumnia utetur, ac nunc in censura Claudius.) *Quem semestri dictatura, quem inter regno quinque dierum contentum fore putas?* cet. Deinde autem ad auditores convertens orationem recte dicit: *Quam isti stolidos ac socordes videri creditis eos cet.?*

Eamne rationem igitur sequere) *Igitur* praeter Erl. accessit e Pall. 1, 3, Spir. [B], receptum a Davisio; in El. 2, Eξ erat: *eamne igitur rationem.* [*Sequere* pro *sequere* nunc cum Baitero ex A, cui adiungitur Ox. E, recepi; neque enim haec interrogatio ex illo vehementi genere est, in quo additur pronomen: *tu deligas ex omni populo amicos tuos* cet. et hic paulo post: *verba tu fngas* cet., de quo dixit Wunderus ad orat. pro Planc. 40; nam in eo sane coniunctivus longe frequentior est, nec

cum ipse et cum tuis utare, profiteri et in medium proferre non audeas? At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt, in iudiciis, in senatu. Officium, aequitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo Romano, omnia pericula pro re publica, mori pro patria, haec cum loqueris, nos barones stupeamus, tu videlicet tecum ipse rides. 77. Nam inter ista tam magnifica verba tamque praeclara non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis, quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine loquuntur, voluptatem vocant, sed ne haec quidem stabilis, quam praeter vos nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide igitur, ne non debeas verbis nostris uti, sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non esses tui similis; verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias? aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso, rectumne sit. Mihi quidem eae verae videntur opiniones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque

1. *utare* E *profiteri autem et* LPMCROr. 6. *vos* P (mg. nos) *varones* C 7. *rectum* (pro *tecum*) P *ipse* om. L *inter* om. E 8. *magnificata* E 13. *igitur* om. LPMCR 14. Post *incessum* add. *tibi* L [*fringeres* A] 15. *esse* E 16. *sit* (pro *ut*) E 19. *mihi quid verae* E *hae* [A]LMCR 21. *ad populum* L

repperi nisi unum et alterum indicativi exemplum, ut Verr. IV, 25, Philipp. V, 6 et XIV, 18, Parad. 14.]

Officium, aequitatem — pro patria, haec cet.) Orationem ut Davisius sic distinxit, ut appareat, unde accusativi orti sint et quam rationem habeant; nam omnia colligit vox *haec*. Ceteri ante *haec* plene interpungunt.

nos barones) In hac scriptura nominis consentiunt codices (Mor., Pall., Dav., Gzii). ut fere in ceteris Ciceronis locis; de origine non habeo quod addam aliorum coniecturis.

Cap. XXIV. 77. *Vide igitur*) Sic iam Cratander scripserat, deinde e Pal. 1 et El. 2 Davisius; accedunt [B.] Eξ, Gzii, si non erravit, omnes praeter Gud. 2. Ceteri *igitur* omittunt. Pro *debeas* codd. Mor. et Scal. *dubites*.

profitendae sint, ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere.
 78. Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiae est, nisi velle bonis
 5 aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redundet? Prodest, inquit, mihi eo esse animo. Immo vi-

1. *proferendae* LPMCROr. *ne idem C ne id pudeat ne sentire quod non pudeat E* 2. *ubi locus R esse post amicus om. L* 4. *ex C amicitiae ductum LMCR* 5. *ex his [A]L nihil ex iis EO*r. 6. *redeunt et prodest [A]E redeat quid prodest LMC redeat et prod. PR redeat. Et quidem prod. Or. inquis (P) om. MC (mih iquis R) in eo LPMCR*

profitendae sint) *Profitendae* etiam Pal. 1, El. 1 (2?), codd. Mor. et Scal., nec dubitari debet de Spir., quamquam Gzius incredibili socordia, praefatus, Davisium de Pal. 1 falli videri nec quidquam Gruterum monere (at is perspicue illud scripsit), negat „suos illos binos a vulgata discedere“. [B recte.] Deinde omnes suos dicit habere *sunt* itaque edidit; fallitur de Erl. et, opinor, de omnibus; coniunctivus est ex eo genere, de quo dictum est ad § 15. De gerundivi usu in hoc loco dixi ad I, 6: *Mox ne id non pudeat* cet. sic adiungitur, ut cum brevitate quadam et ellipsi Cicero significet, quo consilio quaque de causa haec dicat; (hoc ideo statuo et dico, ne cet., id est: nam, nisi ita statuerimus, non pudebit cet.); cfr. si tanti est, I, 43 (*ne invidia* cet.). Erratum est in his a pluribus.

78. *Quid autem est amare*) Davisius malebat *quid enim*, quod praeceperat is, cuius correctiones codd. Eξ habent. Putant enim ex amandi notione, e quo nomen amicitiae ductum dicatur, confirmari, quod de amicitia dictum sit. Sed Cicero, posito iam in priore sententia *ipsum propter ipsum*, hoc tamquam novum adiungit. Tum *ductum amicitiae* Gruterus tacite [ex A]; superiores et Davisius e suis codd., ut nostri deteriores. De eo, quod sequitur, *ad se*, dictum ad I, 67. *Nihil ex iis* etiam Spir. [B *nihil ex hijs.*]

redundet. Prodest) [Cum ederetur *redeat. Et prodest, inquis*, (— *et prodest* in Palatinis, si Grutero credas, omnibus, Eξ, Gud. 2 —), Aldus fecit: *Et quidem prodest*, terneruntque, excepto Davisio, fere ceteri. (Gzius etiam Erl. et Spir. „servare simplex *quidem*“, narravit, cum deberet *et dicere*.) Alii deteriores (El. uterque, Mead., CCC, Oxx. Uχ. Gud. 1) ex infelici correctione *quid prodest*, ut LM. Ad *redeat* nemo quidquam annotarat, ne is quidem, qui mihi Erl. contulerat. Itaque antea dixeram *Et prodest* fortasse defendi posse, sed videri scribendum *At*

deri fortasse. Esse enim, nisi eris, non potes; qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur et sua sponte nascitur. „At enim sequor utilitatem.“ Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas, et, si utilitas 5 constituet amicitiam, tollet eadem. 79. Sed quid ages tan-

1. *qui autem* — solet Nonius p. 399 *potest* E 2. *potes* Non. om. P te om. C *sub dubia utilitatis* codd. (Non. *subducta*) 3. *ad se* E *ex se* MCR 4. *enim* (pro *ergo*) C 5. *quam diu* om. [A¹]E 6. *amicitiam constituet* ELPMCROR. *agis* E

prodest. Nunc cum Baiterus indicasset, in A et B et Erl. esse *redeunt*. statim intellexi *redeuntet* significare *redundet*.] Deinde *inquit* „Pall. meliores“, Ball., Gzii tres ediditque Davisius. Fingit sibi Cicero h. l. adversarium incertum; deinde sensim, aperte autem § 80 transit ad Torquatium. *In* ante eo addunt etiam $\chi\psi$, Marsus, Vict., opinor, deteriores omnes praeter Eξ.

Esse enim, nisi eris, non potes) Paulo obscurius Cicero [et, si severe verba exigas, subabsurde] significavit conclusionem argumenti; (quam praeterea infirmavit nonnihil in illis: *quod non solet* cet. Neque enim ex eo, quod fieri solet, sed ex ipsa rei natura et ex repugnantia ducitur). Sic enim ratiocinatur: Dicis te ideo tali esse animo, quia tibi prosit esse; at is animus in eo ipso positus est. ut, etiamsi nihil ad te veniat, ne species quidem et ex ea utilitas, amicum bonis affici velis; itaque si, quia prodest, tali animo es, non es tali animo, sed videris tantum. [Quod Graserus p. 8 commentationis ad I, 23 indicatae scribi iubet: *Esse enim, nisi videris, non prodest*, quod Baiterus secutus est, Ciceronem ipsum eum correxisse, apparet iam ex duabus vocibus separatis (*eris* — *potes*) sine ullo indicio mutatis; apparet etiam ex eo, quod sequitur: *qui autem esse poteris*, in quo continuatur argumentatio. Utilitas ex specie captatur; sed ipsa illa speciei petitio tollit rem, quae posita est in nihil petendo.] *Subducta* e Nonio restituit Lambinus, ut faciendum esse viderat Morelius. Consentunt in mendo Pall. [B.] Dav., Oxx., Gziani. Pro *a se* etiam Spir. [non B] *ad se*; Victorius et Davisius e tribus suis (Gud. 1) *ex se*. Praestat alterum, non solum propter auctoritatem, de initio non aliunde sumpto, ut dicitur *homo a se ortus*.

79. *utilitatis causa expetenda*) Damnant haec verba Manutius, Lambinus (qui a nonnullis codicibus abesse significare videtur), Davisius (qui in El. 1 omitta tradit), nulla satis iusta causa. Aberant tamen etiam ab Ox. E (§ *exprimenda*).

dem, si utilitas ab amicitia, ut fit saepe, defecerit? Relinquesne? quae ista amicitia est? Retinebis? qui convenit? quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda, vides. „Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri.“

5 Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Quod si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum, tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis. Quid, si non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi. adeundum

10 vitae periculum? ne tum quidem te respicies et cogitabis, sibi quemque natum esse et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno, aut, Pylades cum sis, dices te esse

1. [relinques neque ista A] relinquesne quae ista E relinques nequaquam ista C relinques nequaquam quae ista L 4 veniantur E 5. odio est num quid est turpe nisi quod est si ne LPMCR 6. [ne tuo incommodo A] ne quo eo modo E 7. victu P, mg. fructu 8. quod [A]LPMCR non om. L nullam tibi L tibi om. R 9. erit E faciendae E ad eundem E 10. quid est te E 11. esse suis E vadente E 13. fecit Siculo PMCR fecit om. L aut cum Pylades cum L dices om. L

nisi quod est turpis? Quod si, ne cet.) Sic etiam Pal. 1, e quo Gruterus hunc locum emendavit, Spir. [B], Gud. 1, mg. Crat., El. 2, in quibus duobus tamen pro quod si ne quo erat quod sine tuo [quod nunc etiam in A esse indicatur], Eξ, in quibus pro eodem erat nisi aedes sine (ξ sive). Longius aberrabat cod. Mor.: — odio est non quod est turpis nisi quod est sine quo inc.

Quid. si — ?) Sic etiam Spir. [B] et ξ, recteque secuti sunt Bremius et Gzcius in ascensu orationis in interrogationem desinentis.

Siculo fecit) Hunc ordinem Gzcius se e Bas. et Gud. 1 recepisse ait, Erl. omittit *Siculo*. Adeo, ne quae probat quidem, scit, unde habeat. Sine dubio hoc reppererat etiam in Spir. [B] et Gud. 2, in duobus illis vulgaris ordo erat. Sed suspectum est aliis *tyranno*, aliis totum hoc *Siculo tyranno*, quod putide abundet post prius illud *tyranno*. [Quod Bremius praeterea offensus est in dativo cum *fecit* coniuncto, recte et Latine sic dicitur, paulo aliter quam *facio in tyranno*, quo tamquam materia ad agendum subiecta significatur; pro Rose. Com. 18: *quod nemo nisi honestissimo facere consuevit*; Verr. IV, 49: *Quid? Eupolemo — non idem fecit?* (id est, argentum reddidit); pro domo 124: *Vidimus hoc idem Cn. Lentulo censori tribunum pl. jacere*; de Divin. II. 126: *vigilantibus idem faceret*. Add. Sallust.

Oresten, ut moriari pro amico, aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares, et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere?

1. *Orestem* ELPMRor. *ut moriari* — *Orestes* om. R 2. *refferres* L *defenderes* M *te* om. P *et id* (om. si) E 3. *deprecarere* Or.

Cat. 55, Iug. 85, 17, Corn. Nep. Paus. 3, Plaut. Mil. gl. III, 1, 11, Ter. Andr. I, 1, 85, Heautont. V, 1, 80, Hor. Ep. II, 2, 13. Excludo notum illud *Quid facias huic homini?* Obstat suspitioni, praeter ordinem verborum nunc restitutum, quod vix quisquam grammaticus aut librarius illa circumlocutione usus fuit; Dionysii nomen e Tusculanis et libris de Officiis ascripsisset. Et si Siculi tyranni mentio tollitur, nimis infinita est historiae significatio. De Damone et Phintia collecta testimonia sunt a Beiero ad Off. III, 45 p. 259. [*Mox cum sis*, in quo haesit Ern., significat rem veram contrariam, in qua male temporis particula nunc multi utuntur, *dum, während du P. bist.*]

et. si id non probares, quo minus —, non precarere?) In Pacuvii Duloreste, quam fabulam Cicero et hic significat et libro V, 63 et in Laelio 24. et de qua scripserunt nuper Naekius et Stieglitzius, Orestes et Pylades inducebantur capti a Thoante rege, qui cum Oresten interficere vellet, ignoraret autem, uter Orestes esset, Pylades se eum esse dicebat; Orestes se ipse indicabat et Pyladem refellebat; haerenti igitur regi et dubitanti hic ab utroque ostendebatur exitus. ut utrumque occideret, cum neuter sine altero vivere vellet. Id duplici modo dici poterat, aut, ut in quinto libro: *precamur una necari*, aut paulo parcius: *non deprecamur, quo minus una necemur*. Itaque Cicero, servata ea interrogationis forma, quam instituerat (*aut, si esses Orestes, — te indicares?*), adicere poterat aut hoc: *et, si id non probares* (id est, si non persuaderes regi, te Oresten esse), *precarere, ut una necaremini?* aut hoc: *et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non deprecarere?* (tam constans esses, ut non deprecarere?) Et orationis quidem forma perspicua est. declarata etiam a Klotzio (Quaest. Tull. p. 57 et ad Lael. l. c.); illud non sine causa quaesitum est, possetne sic dici: *non precor, quo minus* eodem sensu, quo: *non deprecor, quo minus* (ut Livius dixit); neque enim verbum illud, cum ab impediendi significatione remotum sit, has particulas asciscere posse videtur, ne in negando quidem. Itaque iam editor Venet. 1480, deinde alii, nuper Orellius scripserunt: *non deprecarere*. Saltem sententiam viderunt; nec dubitationem tam superbe reicio, quam Klotzcius facit. Sed tamen cum Cicero *perficiendi* verbo negative posito subiecerit *quo*

XXV. 80. Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia; nihil enim arbitror magna laude dignum esse, quod te praetermissurum credam aut mortis aut doloris metu. Non quaeritur autem, quid naturae tuae consentaneum sit, sed
 5 quid disciplinae. Ratio ista, quam defendis, praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam, quamvis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus. „At coluit ipse amicitias.“ Quis, quaeso, illum negat et bonum virum et comem et humanum fuisse? De ingenio eius in
 10 his disputationibus, non de moribus quaeritur. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis

2. est (pro enim) L [esse magna laude dignum A] esset E om. LPMCROR. 3. nutu (pro metu) C 4. quod E 5. quod [A]E om. C 6. amicitiam evertunt L 8. quasi omnes (quasi quis C) neget C 10. isto E 12. in veritate, R

minus (ad Fam. III, 7, 6), item *pugnandi* (Div. in Caec. 58) et *consulendi* (Verr. III, 16), non audeo negare, sic dici potuisse (ut esset: non conor precando impedire); etsi aptius erat *deprecor*. Incredibile autem est, quales huius loci inde a Davasio et enarrationes et correctiones excogitatae sint, cum non intellexeretur, non cum *precarere* in unam notionem coalescere et de ea interrogari et hinc pendere *quo minus*. [*Oresten ex A restitutum.*]

Cap. XXV, 80. *dignum esse*) Infinitivum omnes omittunt, de codd. tacentes. [*Esse hoc ipso loco B.*]

Quis, quaeso, illum negat) Ut nostri codd., quattuor Gzii [B] et sine dubio alii omnes, etsi, cum primi editores substituisent: *quasi quis* — *neget*, primus Davisius attendit, illo modo scriptum esse in Par. 3 (*qui quasi*), Ball., Mead., verumque invenit. Ex E γ p (ut e Gud. 1) annotatur *negat*, de *quis quasi* tacetur, quia in ordine tantum verborum variabatur. Tum Ox. E, Gud. 1, Bas. *commune* pro *comem*, Gud. 2 *commendatum*. Hic satis defenditur *comem*, quod subicitur: *Sed quamvis comis* cet. Ac vereor. ne etiam in Cat. 59. ubi nunc editur ex optimis sane codicibus: *communem erga Lysandrum et humanum*. librarii, quod plenum esset (*comem*). pro compendio frequentioris vocis acceperint; [et *comen* habet cod. Leidensis a prima manu]. Nam alia est *communitas*, quae in Laelio 65 postulatur, tum quae apud Suetonium in imperantibus, cum se ceteris aequant, laudatur.

comis in amicis tuendis) Transponi fuerit in Erl. et Spir. [B]

in amicis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt (nihil enim affirmo), non satis acutus fuit. „At multis se probavit.“ 81. Et quidem iure fortasse; sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte vel studio vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, optimum quidque 5 rarissimum est. Ac mihi quidem, quod et ipse bonus vir fuit et multi Epicurei et fuerunt et hodie sunt et in amici-

1. *amicitiis* Or. *fuerit* transp. post *comis* E 2. *enim* om. P *fuerit* L 3. *in rem* (pro *iure*) LPMCR 5. *quavis* om. L *quodque* E *quippe* L 6. *est* om. Or. 7. [et *multi et Epicurei fuerunt* A] et *multi Epicuri sunt fuerunt* E et *multi Epicurei fuerunt* LPMCR Or. *amicicia* E

Gzianus annotavit; non annotavit, legi ibi *amicis*, quod cum Gruterus in Pall. omnibus invenerit. Oxx. in Ὑξχψ, alterum nullam habet auctoritatem, quod inde a Marso et Victorio propagatum est. (Crat. *amicis*.) Nec minus amicos tuemur (beneficiis et officiis. vid. ad Att. II, 20 init.) quam amicitias.

si haec vera sunt (nihil enim affirmo) cet.) Parum apte, cum omnia hactenus *δογματικῶς* disputarit, subito intericit Academicae dubitationis significationem.

81. *Et quidem iure*) Sic cod. Mor. et Spir. [B], id est, meliores; edidit primus, opinor, Cratander. Ut nostri deteriores, Oxx., Gziani ceteri.

vel studio vel quavis scientia) Offensi sunt hic Davisius et Ernestius, nec ipse me initio expediebam, quod nec, *quavis* cur adderetur, videbam et *vel* etiam ante *arte* ponendum fuisse putabam (vid. ad I, 52). Nunc video, *vel* hic cum correctione aliqua poni, ut ante primum nomen poni non debuerit. Nam cum *artem* dixisset. non *artem* nominandam fuisse significat, quod maius videatur, sed studium, etiamsi artis formam et dignitatem non attingat, vel omnino quamvis cuiusvis rei scientiam; tum in tertio *vel*, ubi addita praepositio significat, hoc se iungi ab illa serie, ascendit oratio vel potius transfertur ad aliud, ut sit: *etiam in ipsa virtute*. Nam quod Stoici ipsam virtutem *artem* faciebant, nihil ad hanc orationem pertinet.

rarissimum est) Verbum *est* Ernestius. sequens El. utrumque et ed. Vict., omisit. Cfr. ad I, 43.

fuerunt et hodie sunt) Aptum est ad utrumque tempus distincte notandum, quod Lambinus edidit: *et fuerunt*, cum praesertim Cicero, ubi praesens tempus superiori simpliciter adiungit, potius dicere videatur: *hodieque sunt* (ut pro Cael. 3, de Orat. I, 103). [Addidi nunc *et* cum Baitero, adiuvante nonnihil A.]

tiis fideles et in omni vita constantes et graves nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. Atque ut ceteri dicere existi-
5 mantur melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quam dicere.

XXVI. 82. Sed haec nihil sane ad rem; illa videamus, quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere, amicitiam a
10 voluptate non posse divelli ob eamque rem colendam esse, quod, *cum* sine ea tuto et sine metu vivi non posset, ne iu-

1. et non (pro nec) C 2. se officio E haec LC 3 [quidem A?] 4 exist. dicere (P)MCR 5. videntur melius facere LR 8. [ad te de amicitia A] 9. [videbatur A'] 11. quod sine omnes, Or. non possit L nec iucunde omnes, Or.

dicere existimantur) Sic etiam Spir. [B], Bas., Gud. 1. Ante Gzium invertebatur.

Cap. XXVI, 82. *cognoscere*) Fuerunt, qui *agnoscere* requirerent, contra quos disputavit Bremius, citans ep. ad Att. XII, 22, 1 et XIV, 19. 4 et quae iam Nonius posuit in v. *cognoscere* p. 276. Add. Verr. I. 59, Zumpt. ad V. 72.

quod, cum sine ea cet.) Vulgo sic scribebatur: *quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset, nec iucunde quidem posset*. Haerebant igitur iure in extremis quattuor verbis, quod et insolentem haberent adiunctionis formam (pro eo, quod est: *ac ne iuc. quidem*, etsi hoc praeter Lamb. et Ern. et Bremium num ceteros moverit, nescio) et ingrattissimam repetitionem verbi *posset*, quod denique sententiam pravam; sic enim in illa scriptura dicitur *ne — quidem*, tamquam minus sit *iucunde* (*ac ne iucunde quidem*), quod in Epicurea disciplina summum est. Itaque post Davisium plures secuti sunt codices nonnulli ([B.] Par. 2 Dav., Eξ, Gud. 2, Bas.), in quibus haec verba casu exciderunt, librarii oculo a priore *posset* ad alterum transiliente. (Eξ *potest* pro *posset*.) Nuper autem Dietrichius (Quaestion. gramm. et crit. p. 70 sqq.) ita tueri vulgatam scripturam conatus est, ut conclusionem inesse doceret et sic illa verba interpretaretur: *et ita ne iucunde quidem* (*und also auch nicht*). Verum neque omitti particula conclusionis index poterat, neque umquam *ne — quidem* in conclusionem adiungitur superioribus, sed aut in apodosi ponitur aut separatim (*ita ne illud quidem*); nec, etiamsi dici *nec — quidem* pro *ac ne — quidem* in novae periodi initio possit, quod ipsum

cunde quidem posset. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humanius horum recentiorum, numquam dictum ab ipso illo, quod sciam, primo utilitatis causa amicum ex-peti, cum autem usus accessisset, tum ipsum amari per se,

1. *quid E posset om. L est enim ad E 2 horum — sciam Nonius p. 167* 3. *illo ipso E ipso om. Non. qui sciam E primum L* 4. *propter se (P)C*

prorsus nego, defendi ullo exemplo poterit talis duorum verborum, nedum eiusdem repetiti, coniunctio: *sine metu non potest nec iucunde quidem potest.* (Vid. de his, quae exposui in exc. ad huius libri § 25.) Et tamen vidit Dietrichius, quem locum et quam vim in ipsa sententia haec verba tene- rent, et viderat pridem et dixerat Manutius, cum sic scribi volebat: *quod, si sine ea —, nec iucunde quidem posset;* sic enim argumentum procedere, ut ex eo, quod tuto sine ami- citia vivi non possit, ostendatur, ne iucunde quidem sine ea vivi posse; sic effeci, ut amicitia cum voluptate copulata sit. Sed minus recte *si* interposuit; neque enim cum condicione argumentum concluderat Torquatus, sed ita esse posuerat. Itaque *cum* ponendum erat, quod post *quod* facillime in codice nostrorum parente excidere potuit, ut excidit in Erl. [et B] § 101; *nec — quidem* in apodosi ne dubitationem quidem afferre poterat; itaque cum Lamb. *ne — quidem* scripsi; hic *nec* ortum fortasse etiam ex studio orationis vincienda, cum excidisset *cum.* Mox *illo ipso* etiam Spir. [B].

per se) Sic Gzii codd. omnes, Oxx. Eξ, edd. Crat. et Vict. *Propter* cum ex C in aliquot vett. edd. venisset, a Manutio ad Gzium in editionibus mansit. Animadvertenda est h. l. aperta permutatio notionum vicinarum, utilitatis et voluptatis, in qua ipsa Lambinus offensus est. socium habens correctorem cod. El. 1, qui *spe utilitatis* scripsit; vid. ad I, 34. Tum *etiamsi* Spir. quoque [B] et Gud. 2; deinde *multimodis* etiam Pal. 1 [et B]. (Gzium negat. suos quidquam variare!) Obscuratione illa litterae *s* et contractione, qua veteres poëtae usi sunt (Lucretius quidem etiam ad huius tamquam veri ad- verbii formam fecit *omnimodis*), Ciceronem usum non esse. colligi potest ex Orat. 153; [cur enim alioquin *contraxisse* diceret, non *contrahere*?]. De Cornelio Nepote (Them. 10) nihil decerno; nam potuit apud eum quoque, ut h. l. in ipso fonte codicum nostrorum, casus illam formam gignere. *Dant* Lambinus primus posuit; confirmarunt etiam Pal. 1 et Spir. [B]; ceteri, ut nostri deteriores, *dat*, nisi quod in Mead., Eξ correctum *datur*.

etiam omissa spe voluptatis. Hoc etsi multis modis re-
 prendi potest, tamen accipio, quod dant; mihi enim satis
 est, ipsis non satis. Nam aliquando posse recte fieri dicunt,
 nulla expectata nec quaesita voluptate. 83. Posuisti etiam,
 5 dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut,
 quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint
 erga amicos; id et fieri posse et saepe esse factum et ad
 voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere
 si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam,
 10 virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. An vero, si
 fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus, si
 nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte,
 vi sua, ex se et propter se expetendam, dubium est, quin
 fundos et insulas amicis anteponamus? 84. Licet hic rursus
 15 ea commemores, quae optimis verbis ab Epicuro de laudē

1. [Post *vol. A*² add. in marg. *vel utilitatis*] *etiā* si E *multimodis* [A] E
 2. *dat* LPMCR 3. *posse non recte* E *fieri recte* L 4. *expecta* E *exqui-*
sita E *autem* (pro *etiam*) PMCR 5. *facere inter se* R 8. [*percipiendas*
 A] *percipiendas* E *perficiendas* L 10. *At* [A] LPMCR Or. 12. *ipsa* P
 14. P mg. *infulas* 15. *laudibus* C Or.

nec quaesita) Etiam Spir. [B] *exquisita*, mendose repetita
 praepositione; neque enim umquam sic *exquirere* pro simplici
 ponitur de re aliqua petenda et paranda, longaeque aliter *ex-*
quisita voluptas dicitur.

83. *Posuisti etiam*) Sic mg. Crat., Pal. 1, e quo post Ma-
 nutium Gruterus restituit, [B.] Gzii, excepto Gud. 2, omnes.

An vero — dubium est — ?) Sic scribendum esse, in men-
 tem venerat Gzio, qui si codices inspexisset, non solum in
 Er], sed sine dubio etiam in Spir. ita scriptum reperisset.
 [Ita B.] Postulat hanc adiunctionem (*Oder kann es wohl cet.?*)
 interrogativa orationis forma. *At vero*, quod Handius defendit
 (Turs. I p. 429), tum esset verum, si Cicero, explicata natura
 eius amicitiae, quae per se expeteretur, e contrario adiungeret
 affirmandō aut negando, quid in altera ratione sequeretur.
 Itaque hactenus recto iudicio usi sunt librarii, qui in El. uno
 et Mead. scripserunt: *At vero — dubium non est*, ut est etiam
 in ed. Crat. Persaepe hoc *an*, quod in adiungenda interro-
 gatione ponitur, corruptum est; cfr. I, 5. Mox *insularum*,
 quae ad habitandum elocabantur, *mercedes* significari (ad Att.
 XV, 17), apertum est.

84. *de laude*) Sic etiam Spir. [B], Gud. 2. Eξψ, ed. Crat.⁷
 id est, meliores et bona pars deteriorum. Superiores alterum

amicitiae dicta sunt. Non quaero, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. „Utilitatis causa amicitia est quaesita.“ Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint Puteolis granaria? Collige omnia, quae soletis: „Praesidium amico- 5

1. *sed quod* E 2. *rationi possit* LMCR 3. *quaesita est* EOr. *non igitur* C 4. *si om.* (L)Or. 5. *gramana* [A]E *gramina ceteri colliga* E

tacite propagarunt. *Possit rationi* primus Gruterus tacite, [ut nunc apparet.] e Pal. 1; alterum e Gud. 2 annotat Gzius. *Quaesita est* [B] Gzius e suis omnibus(?) praeter Gud. 2.

quam si — granaria) *Granaria* pro *graminibus*, quae Victorius (Varr. Lectt. VI, 16) mire interpretabatur campos foenum praebentes. restituerunt Muretus (Varr. Lectt. VII, 20), codicum veterum auctoritate utens, et Lambinus, qui se in „aliquot“ antiquis codd. sic scriptum reperisse affirmat; et erat sic in Pal. 3, El. (utro?), Gzii duobus (quibus?), edideratque iam Marsus. Non tam conservata per illos codd. ex archetypo vera scriptura erat quam prudenti coniectura inventa ex eo, quod habuit etiam Pal. 1 et cod. Gronovii, *gramana*. [B *grauiana*.] Intelleguntur horrea, quae Puteolis erant ad frumentum recipiendum, quod magnus navium numerus quotannis ex Sicilia, Africa, Aegypto in eum portum advehebat, de qua re dixi propter Verr. V, 154 in epistula ad Orell. p. 131 (Cic. pro Rab. Post. 40, Senec. Ep. 77, Svet. Aug. 98, Strab. XVII p. 793, Pitisc. Lex. Ant. Rom. v. *Catapulus* et *Classis Alexandrina*). Non publica, sed privata illa erant, opinor, nec tam hic ipsum frumentum significatur ibi congestum quam mercedes, quae dominis ex locatione redibant (§ 85). Sed Muretus et Lambinus praeterea. ut fecerant in vulgata scriptura quidam editores (Ascens., Crat.), omittunt *si*, ut granariorum, quae Torquatus vere habuerit, utilitas intellegatur; eos, accedente cod. Par. 2 Davisii (et, si silentio confidimus, Oxx. EUψ), multi secuti sunt, iniuria bonos et paene omnes deserentes. Nam tum saltem dicendum fuit: *quam tua sunt*, et ante: *putas esse*, non: *esse posse*, quod refertur ad *spem* utilitatis; at in granariis, si iam ea habebat, res erat, non spes solum. Itaque hoc Cicero dicit: *quam si granaria illa, quae Puteolis sunt, tu possideas.*

Praesidium amicorum) Sic hoc ponit. tanquam plura deinceps enumeraturus sit. quae contineantur *omnibus* illis, et singula remoturus. Subiecit unum, alia orationis forma, § 85: *At quicum* cet. Paulo post (*satis in mediocribus*) addebatur ante

rum.“ Satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiiis praesidii; iam contemni non poteris; odium

1. *satis et in legibus* R *satis et in med.* PMCR 2. *amicis* L *praesidium omnes*, Or. *contemnere* LPMCR

Gzium et post *satis*, quod omittit etiam Spir. [B] et Ox. ψ; Eξ habebant in *legibus et in mediocribus*.

praesidii) Codd. omnes omnium (Grut., Dav., Oxx., Gzii, [B]) *praesidium*, nisi quod *praesidii* in mg. Crat. annotatur, quae si emendatio est (sed scribitur: *praesidii: iam contemni*, hoc posterius, pro *contemnere*, sane e cod.), vera est et necessaria. quam recte ab Aldo ad Ernestium plerique editores secuti sunt. Nam etsi sunt aliquot scriptorum Latinorum loci, in quibus, cum posset *satis* cum substantivo coniungi, retinetur nominativus aut accusativus substantivi, ut *satis* ad verbum cum substantivo coniunctum adiungatur (Verg. Aen. XI, 366, Ovid. Metam. III, 149, Lucret. I, 241, ubi animadvertendum est, non dici absolute: *tactus satis esset causa*, sed: *tactus satis esset causa leti*, id est, letum *satis* efficeret, Cic. de Invent. II, 113: *num iam satis pro eo, quod fecerit, honos habitus sit*, ubi manifestum est. *honorem habere* quasi pro una voce poni), tamen ea ratio ad alios locos prosae orationis scriptorum quatenus pertineat, mox videbimus; ad hunc certe non pertinet. in quo necessario *satis* cum voce *praesidii* conflatur et propter sententiam (quaeritur enim, *satisne* magnum *praesidium* sit) et propter verborum ordinem ipsamque anaphoram et propter verbi adiuncti genus; nam ad nudum verbum substantivum, addito etiam dativo *tibi*, adiunctum *satis* necessario hanc efficit sententiam ab hoc loco alienissimam: *praesidium tibi sufficit, nihil praeter praesidium requiris*, non hanc: *nullum aliud praesidium*. Itaque eo minus dubitavi *praesidii* restituere, quod etiam in perbonis codicibus, cum brevior genetivi forma (*praesidii*) ignoraretur et syllaba voci deesse putaretur, non raro additum est *um*, ut paulo ante § 69 *aliud negotium nihil pro negoti* scriptum erat [et apud Livium XXII, 14 extr. cod. Puteaneus habet: *si militaris suffragium res esset*]. Quod de aliis locis significavi, primum reprehendenda grammaticorum (velut Ramshornii et Klotzii ad Lael. 45) supina negligentia, qui Livium VI, 18, 10: *vobis auxilium satis est* pro *auxilii* scripserunt, quasi ibi tribunus queratur, tam parvi animi esse plebeios, ut *satis* auxilii habeant adversus patricos, novo et inaudito parvi animi effectum. Indignatur eos, si auxilium habeant. contentos esse. tamquam inferiores et ad parendum natos. nihil praeterea requirere. Monuerat iam Drakenborchius.

autem et invidiam facile vitabis; ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis vectigalibus ad

1. *res enim* E 2. *tamen non tantis* LPMCR

[Aeque incredibiliter advocatur Verg. Aen. VII, 470.] Illud merito supervacaneum dicas, quod Gronovius et Drakenborchius (ad Liv. IV, 30. 15) exempla colligenda putarunt, ubi diceretur, rem aliquam satis esse, id est, sufficere. In Cornelii etiam Epam. 4 quod scriptum est: *abstinentiae erit hoc satis testimonium*, recte sic iam Drakenb. intellexit (*hoc testimonium satis erit*). Relinquuntur igitur, de quibus dubitetur, duo loci, alter Ciceronis in ep. ad Att. XII, 50: *si satis consilium quaedam de re haberem*, de quo equidem non nimis confido; nam ipse verborum positus repugnat. nec sane apte dici videtur *consilium habeo*, ut addatur *satis. parum. similia*; [Moserus excidisse putavit *certum* aut simile adiectivum post *satis*;] alter scriptoris rhetoricorum ad Herennium in ipso initio: *via satis otium studio suppeditare possumus*, ubi qui *otium* omittunt, debent dicere. ubi scriptum repperissent de homine: *suppedito rei*. Sed utroque loco *consilii* et *otii* illo, quo dixi, modo corrumpi potuit. De Legg. I. 30 tantum mali codd. habent: *quod argumentum satis est. meliores et plures argumenti*. In Digestorum libro XL, 5, 45 (Ulpian.) sententia respuit, quod in cod. Florentino est: *satis iniuriam facit libertati*, in libro XXXVIII, 1, 19 (Gai.): *ut satis tempus ad quaestum faciendum habeat*. tantum verborum coniunctio offendit. [Omittendum videtur *satis*.] Comparant, quod apud Sallustium est (Iug. 102): *parentes abunde habemus* (cui simile est in orat. Licinii § 26: *abunde libertatem rati*); velim tamen animadverti, adiungi e contrario: *amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit*. Nego dici potuisse: *amici — satis fuerunt*.

iam contemni) Sic etiam [AB], Spir., mg. Crat., ut videtur, etiam Eξ. Deteriores ceterorum (Davisiani, Oxx. γψ. Gzii), ut nostri, *contemnere* (sic interpungentes: *praesidium iam contemnere*). Eξ poterit. *Contemni* restituit Victorius.

Et tamen tantis vectigalibus) Sic Pal. 1, Morel., Spir. [B], El. (2?); „in Scaligerano non lineis subductum erat.“ *Et tamen* simili modo atque I, 15, h. libro 64 ponitur, hac sententia: et. etiamsi illa, quae dixi, defecerint, tamen cet. Itaque refertur particula ad tacitum intellectum et concessionem contrarii eius, quod antea positum est. Notavit hoc genus Gernhardus in Cat. 16. [Ad Att. XII, 42 init.] Non alio genere, tantum

liberalitatem utens, etiam sine hac Pyladea amicitia multorum te benevolentia praeclare tuebere et munies. 85. At quicum ioca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia? Tecum optime, deinde etiam cum mediocri
5 amico. Sed fac ista esse non importuna; quid ad utilitatem

1. *libertatem* [A]ELPMR *eam* [A]E *eis* ceteri, Or. 2. [*benivolentia* A] Post *praeclare* add. et [A]PMCRor et *praeclare* L *tuebare* E et om. E 3. [*ioca et seria* A] 4. et (pro *etiam*) E 5. *facta ista* E [*importuna* A¹, *inoportuna* corr. fort. prima m.] *inoportuna* Or. ad om. P

apertius, et tamen ponitur libr. I, 11, h. libr. 15 et 21, IV, 62 (et *istos tamen* cet.), alibi, [*nec tamen* Brut. 112, pro Rosc. Am. 33, ad Fam. VI, 1, 2]. Non intellexit, qui auctor fuit scripturae deteriorum codd.: *et tamen non tantis* (Pall. praeter 1, Dav. praeter El., Gzii praeter duos, Oxx., ut videtur, EU, editio-num ante Dav.). Gzius, quia vectigalia non dicantur privatorum reditus, intellegi putat frumenti decimas et granaria publica. Sed apud Romanos frumentum decimanum non publice colligebatur, sed privatis decimae venibant; vectigalia illo modo dici etiam ab ipso Cicerone (ut *rustica, urbana*), notissimum est. Intelleguntur Torquati reditus e locatione granariorum, si ipsius sint. Tum *ad liberalitatem* necessaria emendatione, ut a primo editore, sic fere a ceteris scriptum est. confirmari-que dicitur ab El. 2 et Par. 3 Dav. (Gzius scribit *libertatem* esse in optimis suis; erat in omnibus.) Significatur largitio socios et favorem parans. Gruterus tamen *libertatem* revocavit, „tanto magis, quod displiceret Lambino“.

etiam sine hac) Hoc, quod a Manutio ad Ern. editum est, Grutero tacente, manifesto latet in bonorum codd. (etiam Spir. [B], Mor., fortasse Ox. E) scriptura *eam*, quae nasci non potuit e deteriorum (Dav.. Oxx. ξχψ, Gzii praeter Erl. et Spir.) scriptura *eis*; contra haec ex illa corrigendo orta est. Et necessarium est *etiam*, ineptum *eis* post *utens*. Tum editum est hactenus *et tuebere et munies*, prave distracta una notione; vid. ad 63. [B ut Erl.] Praecedens *e*, sequens *t* hoc et genuerunt, ut apud Svetonium Claud. 21: *quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant*. Non offendit editores soloecum illud *et — ac*.

85. *quicum ioca, seria*) Inutili lusu Beierus (ad Fragm. Oratt. p. 195), quod communi sermone tritum erat (*ut dicitur*), in versum senarium coëgit, deleto altero et tertio *quicum*.

non importuna) Lambinus (in curis secundis) *inoportuna* scribendum putaverat, idque Gruterus et post eum ceteri e Pal. 1 [sed, ut nunc indicatur, interpolato] ediderunt.

tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius, sin emolumento, summas familiaritates praediorum fructuosorum mercede superari. Me igitur ipsum ames oportet, non mea, si veri amici futuri sumus.

5

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Perfecto enim et concluso, neque virtutibus neque amicitis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur, nihil

2. suo (pro sin) E 3. pretiosorum C 4. ipsum igitur LPMCROr. 6. si (pro sed) E fuimus E 7. profecto [A']R [concludo A'] nec amic. C

(Marsum et Cratandrum sic scriptum habere, Gzius mentitur.) Vereor omnino, ut illud Latinum vocabulum sit; nam ab eadem origine duo contraria adiectiva sic descendere videntur, *opportunus* et *importunus*, quemadmodum *obnoxius* et *innoxius*, ut *importunum* primo usu sit id ipsum, quod volunt esse *inopportunum*. nisi quod propter vim originis nobis ignotae mature ab negativa illa significatione transit ad certam (positivam nunc dicimus) vitii significationem. Et tamen illam alteram non prorsus sublatam esse, declarant Sallustii (Iug. 92) et Taciti (Ann. XII, 12) et Siliii Italici (III, 540) et Gellii (III, 7: *loci importunitate*) loci, ut non incredibile sit, eam Ciceronem quoque aliquando ita secutum esse, si negatio praeponeretur (*non importunus*). [*Inopportunus* III de Orat. 18 olim scripseram sine varietate legi; nunc recte e codd. editur, quod praeceperam coniectura, *importuna*; II, 20 codices discrepant, recteque nunc scribitur.]

praediorum fructuosorum) Ex edit. prima ad Manutium (nam alii recte scripserant) et inde ad Lambinum et Gruterum propagatum est *pretiosorum*, quod interpretandi causa suppositum erat. Correxerit Davisius e quinque codd.; accedunt Gzii omnes. Miror alterum in mg. Crat. annotari. Ex Eξ annotatur *pretiosarum fructuosarumque* (pro *praed. fr.*), e χψ *praediorum fructuosorum*. Tum igitur ipsum etiam Spir. [B] et tacite Gruterus (e Pal. 1); ceteri *ipsum igitur*. De proprietate formae eius, quae sequitur: *si — futuri sumus* (εἰ — μέλλομεν), qua significamus, ad quid consequendum aliquid necessarium sit (ubi nunc fere dicunt: *si nos amicos fieri oportet*), dixi Opusc. Acad. II p. 281.

Cap. XXVII. *longi sumus*) *Fuimus* etiam Spir. [non B]. Sed inhibet Cicero cursum orationis etiam nunc fluentis; itaque

praeterea est magno opere dicendum. Ac tamen, ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. 86. Quoniam igitur omnis summa philosophiae ad beate vivendum refertur, idque unum expectantes homines se ad hoc studium contulerunt, beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis, item contra

1. est om. LPMCR Attamen LPMCRor. 3. summa omnis E omnis sententia M 5. sed ad E 6. contra om. R

sequitur: est dicendum, non fuit. Hoc ipsum est addidit Gzuius etiam ex Spir. [B]; erat in Eξ quoque.

Ac tamen, ne cui loco) Sic etiam Spir. [B], idque a Gzio pro at tamen restitutum recte Handius (Turs. I p. 489) probavit. Dixi de hac re in Opusc. Acad. I p. 491. Ubi adiungitur aliquid, quod superiori contrarium est, ibi Cicero et alii dicunt aut et tamen aut ac tamen, quod, ut hic et V, 14 et 94, librarii recentiores et editores veteres saepe contra antiquissimos codd. (in oratione in Pison. contra Erfurtensem, in Sestiana contra Parisiensem et Bern., in orat. de prov. cons. contra hos et Erf. in epistulis ad Fam. contra Mediceum, in Oratore contra Einsiedlensem) in at tamen mutaverunt, non intellegentes at particulae naturam prorsus ab hac coniunctione abhorrere. Praeter locos iam ab aliis emendatos corrigendum est, quod editur de Orat. I, 148: Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus; at tamen (cod. Haun. uterque, Guelf. B et C ac tamen), quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus; [et sic iam Schuetzius: Ibid. III, 85 scr. Ac tamen, quoniam cet. et II, 84 ac tamen ars ipsa cet.] In Taciti Ann. XIV, 55 recte Bekkerus ex optimis codd. ac tamen restituit (ut legitur Ann. III, 29. 72, VI, 30, Hist. V, 16), Waltherus mendum strenue defendit. Eadem correctio adhibenda est his locis, quos Wesenbergius indicavit: pro Sest. 105, in Vat. 6, ad Att. XVI, 11, 2, de Univ. c. 9. Uno modo recte dicitur at tamen, ubi at in descensu ad minus post si, si non, etsi, quamvis posito superadditur tamen, interposito saepe vocabulo, ut de Orat. III, 14, Brut. 15, Philipp. II, 116, XIII, 18, ad Fam. II, 6, 3, Off. II, 58. [Inania artificia et huic loco et aliis adhibuit Stuerenburgius ad orat. pro Arch. p. 49 ed. alt.]

86. omnis summa philosophiae) Summa omnis etiam Spir. [B]. De re cfr., quae dicta sunt ad I, 62; addantur V, 12, 16, 86; Varro apud August. de Civ. Dei XIX, 1: Nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit.

miseriam omnem in dolore, id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitur, ut opinor, si modo sit aliquid esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud sta-
5
bile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat

1. omnem infelicitatem (pro miseriam omn.) LPMCR indole (pro in dolore) E 4. beata (altero loco) om E, ante beata add. vita PC 5. quid enim E sibi semper id EOr. semper illud sibi C 6. ac mansurum (om. firmum) L 7. diffidet [A]LPMCR

miseriam omnem) Sic etiam Pal. 1, mg. Crat., cod. Scal., vet. cod. Lambini, El. 2 restituitque post Manutium Davisius; Gzius sic in omnibus suis praeter Gud. 2 esse scribit. Quod erat in edd. ante Man., *omnem infelicitatem*, habebat etiam Oxx. omnes. De adiunctione horum verborum: *item — in dolore* vid. ad I, 41. Mox in verbis: *si modo sit aliquid esse beatum, hoc sit aliquid* non significat, ut Gzius docet, *aliquid magnum*, sed hoc dicitur: *wenn es überhaupt etwas ist, Realität hat*. Totam, quae sequitur, disputationem a Stoicis sumptam esse patet; cfr. III, 45 sqq. et extremo libro.

semper sibi illud) Sic Gud. uterque. Ut Erl., etiam Spir. (Bas. *sibi id semper*). [B *sibi semper illud*.] Dav. e CCC, ut est in C; Gzius *sibi semper*, omisso *id*.

Qui autem diffidit) [Hoc, quod Gzius et Orellius ediderant, nunc restitui ex Erl. et B, teste Halmio; probaveram iam ante ob reliqua praesentis temporis verba. Gzio, sic esse in omnibus suis codicibus, narranti credi non poterat, praesertim mea collatione de Erl. dissentiente, coniecturaque utenti incertum erat, malissetne Cicero *diffidat*.] Nam in his sententiis relativis, quibus subiectum generatim definitur, cum demonstrativa sententia pendet et coniunctivum aut infinitivum habet, exiguo discrimine tum vis orationis pendentis ad relativam sententiam pertinet (ut V, 37, Tusc. V, 118: *quae qui recordetur, haud sane periculum est, ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet*; de Divin. I, 127: *qui enim teneat causas rerum futurarum, idem, necesse est, omnia teneat, quae futura sint*), tum eo non pervenit (ut hic I, 38, Off. II, 5, N. D. II, 93, ubi existimat meliores codd. omnes tuentur), ut difficile sit iudicium de iis locis, ubi boni codd. discrepant, ut II N. D. 4: *quod qui dubitet, haud sane intellego, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit*; nam cod. optimus (A Moseri) *dubitat*.

necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest. 87. Nemo igitur esse beatus potest. Neque enim in aliqua

1. *illis amissis* L 3. *beatus esse* E in *alia* LMCR

[Moseri testimonio Baiterus refragatur.] Eadem dubitatio est in conditionalibus sentiis, cum post eas infertur *necesse est, non intellego* similiae verba. N. D. I, 2 editur nunc: *eaque* (dissensio) *nisi diiudicetur, in summo errore necesse est homines versari* (ad eam formam, quae est huius operis V, 15); sed optimi codices, non solum plurimi, habent *diiudicatur*; cfr. de Orat. I, 50,]pro Caec. 49, Legg. I, 52, et, ubi in condicionali sententia futurum est. pro Rosc. Am. 139, de Off. III, 21].

87. *esse beatus*) Inverso ordine „omnes“ Gzii, excepto Gud. 2, in quo, ut in ed. Marsi, haec: *nemo — potest, exciderunt propter repetitum potest.* [At B ut ceteri.] Tum non dubitari potest, quin in cod. archetypo fuerit *duci*, ut est in Pall. omnibus, [B.] Davisianis, Oxx., Gzianis praeter Bas. et Gud. 1, edd. ante Venetam 1494. Verum hic non de estimatione aliqua, sed de usu loquendi Cicero quaerit; neque apta videtur in praepositio nisi ad verbum *dici*. Quod autem Rathio tum [in ea scriptura, ad quam ante nos nihil erat annotatum: *nec appellatur omn. vita beata nisi conf.*] bis idem dici videtur nec diversum hoc esse ab eo, quod sequitur, ea quidem offensio non minus erit in altera scriptura, quoniam hic opinio hominum et loquendi usus eodem loco erunt. Itaque sic declaranda videtur sententiae progressio: *nicht mit Bezug auf einen Theil, sondern auf die Dauer der Zeit pflegt man das Leben glücklich zu nennen, und (daher) wird überhaupt das Leben nicht als glücklich bezeichnet, bevor es geschlossen und vollendet ist.* (Sic enim necessario intellegi, quod Cicero dicit *conjecta et absoluta*, ut cum *annus, dies, bellum, vitae cursus confici* dicitur et hic III, 76 *extremum vitae diem morte conficere*, annoto propter interpretes Germanos, qui aliter verterunt, veriti, ne, quod hic dicitur, pugnaret cum eo, quod sequitur: *neque expectat ultimum tempus* cet. Sed hic Cicero utitur pro testimonio consuetudine loquentium, qui, quod perpetuitas temporis requiratur, tum denum beatam vitam dicant, cum ad finem pervenerit; ibi docet ex philosophorum sententia, hanc esse beatæ vitae naturam, ut, si semel eiusmodi fuerit, semper ad finem perveniat.) Me tamen in aliam suspicionem inducit cod. Erl., quocum si alios bonos consentire scirem

parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici solet, nec appellatur omnino vita nisi confecta atque absoluta, nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser; qui enim existimabit, posse se miserum esse, beatus non erit. Nam cum suscepta semel est beata vita, tam permanet 5 quam ipsa illa effectrix beatae vitae sapientia, neque expectat ultimum tempus aetatis, quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. At enim, quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus ne diuturnitatem quidem temporis ad

1. *duci omnes* 2. *neque* LPCOr. *vita beata nisi* LPMCROr. *absoluta* om E 3. *quisque* E *neque enim potest* C 4. *aestimabit* C 5. *semel est suscepta* LPMCR 6 *sapientie* E 8. *etenim* (pro at enim) omnis 9. *ducebas* E *Epicurus diuturnitatem* [A]LPMCR *Ep. nec diuturnitate* E *Ep. nec diuturnitatem* Or.

in verbo *beata* (post *omnino*) omitting, facile crederem, Ciceronem hoc tantum scripsisse: *nec appellatur omnino vita nisi* cet. hac sententia: neque omnino vitae nomine (sic, cum de ea iudicamus et eam in certo genere ponimus) utimur nisi de vita confecta. Non accurate hoc dictum erit nec vere; nam eius quoque, qui vivit, vitam laudamus et reprehendimus; sed potuit tamen Ciceroni excidere, cum occurreret, quotiens vita nondum confecta ab hac, de qua agitur, parte laudaretur, annos felices, laetos dies. laetum tempus dici solere. Progressio tum aptissima erit a *beata vita* ad *vitam*, quae *omnino* dicatur. [Itaque nunc, cum accesserit testimonium codd. A et B, cum Baitero delevi *beata*. Ex omisso in B et Erl. *absoluta*, cum teneant *atque*, suspicio nasci possit, fuisse aliquando scriptum: *confecta actaque*, similiterve; sed hoc incertum.] Mox *suscepta semel est* Gzius dedit ex omnibus suis, excepto Gud. 2. [B tamen *est semel*.] Sententiam, quae Soloni tribuitur (inde ab Herod. I, 32, etiam apud Aristot. Eth. Nicom. I, 11), quam saepe et alii et maxime tragici poetæ extulerint et qua varietate, perspicui potest ex iis, quae ad hunc locum Davisius, ad Soph. Oed. Reg. versus extremos Brunckius et Erfurdus collegerunt.

At enim, quemadmodum tute dicebas) Recte, quod in codicibus est, mutavit Davisius. Manutii coniecturam sequens. Nam neque proximorum ratio redditur neque Ciceronis disputatio continuatur, sed interponitur a diversa parte Epicuri sententia. qua is se expedire conabatur. De re vid. ad I, 63. Poterant subtilius a Cicerone explicari hae notiones gradus et summae earumque vis. Tractaverat iam Aristoteles.

ne diuturnitatem quidem) Cum ederetur *Ep. diut. quidem*, merito offendeat *quidem*. quoniam in hac simplici negatione sic in-

beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna. 88. Haec dicuntur inconstantissime. Cum enim summum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis
 5 voluptatem fieri maiorem quam finito atque modico. Qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis; negat enim summo bono

3. nec dicuntur E 5. *fai* E 6. *perspici* E dicere beatam perfectione effici vitam (om. virtutis?) L 7. in summo MC

signiri diuturnitatis nomen non poterat; itaque Lamb. particulam illam omisit. Gzius ex Erl., Spir. [B], Bas., Gud. 1 addidit *nec* (modo ne in his duobus itidem erraverit, ut de ed. Crat., quam appellat; sed accedit ad illos Ox. E); verum ne sic quidem causa ulla perspicitur particulae *quidem* hic positae, ac potius manifestius fit vitium; nullus enim reperietur locus, in quo priori membro diiunctionis negativae additum sit *quidem*. Ac praeterea aliud est vitium orationis; qui enim sic loquitur: *nego nec — nec*, is duas res aequales diligenter diiungit negando; hic una est sententia; ea primum sic posita: *nihil ad beate vivendum diuturnitas temporis affert*, amplificatur hac explicatione: *nec minor voluptas percipitur* cet. Haec isto modo distrahi non possunt; (cfr. I, 63 et ipsa Epicuri verba, quae ibi. posui). Itaque in mentem venit, scribendum fortasse esse: *negat Epicurus ne diuturnitatem quidem* cet., ut huic alterum illud adiungatur, particularum autem significatio eo pertineat, quod Epicurus praeterea motum voluptatis et varietatem non desideret. Pronomen *aliquid* positum in sententia generaliter negante [pro quo in cod. interpolatissimo Glogaviensi scribitur *quidquam*] uno et altero exemplo defenditur (obscurato pronomine et cum verbo prope in unam notionem conflato), velut pro Mil. 88: *Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat*. [Ad Att. X, 4, 2: *nec remittit aliquid*. Edidi nunc *ne diuturnitatem quidem*. B quoque *diuturnitate*.]

88. *finito atque modico*) *᾽ρισμῆνον* Epicurus dicebat. Ac modico Spir. [non B] et Gud. 1.

perfici beatam vitam perfectione virtutis) Hoc est, cum virtus perfecta sit, statim perfectam esse beatam vitam nec temporis spatio egere. Sed paulo brevius *virtutis perfectionem* dixit, cum proprie Stoïcorum sententia virtus non perficiatur, quippe quae gradus non habeat, sed ipsa posita sit in perfectione naturae et rationis (*τελειώσει*, Diog. Laërt. VII, 90, Cic. hic IV, 35, V, 38, Tusc. V, 39, Acad. I, 20, de Legg. I; 25). Haesit Bremius.

afferre incrementum diem; qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, qui sibi is conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quisque miserrimus, voluptatem non optabiliorem

¹ [effici volupt. beat. vit. A] 2. sibi conveniret si negabat E 4. [optabilem A¹]

qui sibi is conveniet) Is excludit etiam Spir. [B.] In Gud. 1 erat is sibi.

Igitur ne dolorem quidem) Accusativus postulare videtur, ut audiatur crescere dicet, durius ex superiore negabit; ad sententiam aptius erit, si ipse Cicero hoc sequi ostendet: Igitur ne dolor quidem (crescet). Et ita Cicero intellegi haec voluit, sed accusativum accommodavit ad substantivum, cui hoc contrarium est. Fit id saepius apud Latinos, ut in respondendo et adiungendo attractione quadam contra sententiae rationem superioris orationis obliquae grammaticam formam sequantur, subiectum accusativo casu ponentes, ut I N. D. 82: *Quid igitur censes? Apim illum nonne deum videri Aegyptiis? Tam hercle, quam tibi illam vestram Sospitam*, id est: *Tam hercle videtur, quam tibi illa vestra Sospita*. Eodem modo durissime apud Terentium Hecyr. II, 3, 5, cum Sostrata dixisset: *Ita animum induxerunt socrus omnes esse iniquas*, addit: *Haud pol me quidem*. Debuit: *Haud pol ego quidem*; nam ipsa affirmat, non, quid alii de se sentiant, dicit. Similiter, sed paulo lenius, Cicero Legg. I, 52: *Postremo. si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem necesse est*. Quaerit iam, quid sit illud; debuit igitur dicere: *Pecuniane igitur (melior est)? sed, quasi audiretur: necesse est esse, dixit: Pecuniamne igitur? an honores? an formam? cet.* [Cfr. ad Att. XIII, 45, 1: *quam multos, Cat. 26: Lucundum potius quam otiosum*. Cfr. ann. ad V, 96.] Livius quoque se implicavit hac orationis structura V. 35, 3: *Hanc gentem — Romam venisse comperio; id parum certum est, solanne an — adiutam*, id est, *solane an — adiuta venerit*. Volebant enim Latini eandem brevitatem consequi, quam nos consequimur, verbo ex superioribus audito; atqui sic eodem modo, hoc est, infinito occurrebat animo eundemque casum trahebat. [Similiter velle pro volo Legg. II, 17.]

An dolor longissimus quisque miserrimus cet.) Gzii in hoc loco errorem et dubitationem sustuli adulescens in Emendd. Tull. p. 43; vid. ad I. 5. Lamb. post *quisque* addidit est, quod post adiectivum poni debuit; sed durius etiam verbum omittitur in priore membro huiusmodi interrogationis connexae V, 91.

diuturnitas facit? Quid est igitur, cur ita semper deum Epicurus beatum appellet et aeternum? Dempta enim aeternitate, nihilo beator Iuppiter quam Epicurus; uterque enim

2. *appellet Epicurus beatum* [A]LPMCR *beatum Epicurus appellet* Or. 3. [*Iupiter A*].

cur ita semper cet.) Gzius et Otto coniungunt *ita semper*, vertuntque *so unaufhörlich*; comparant *ὄντως ἀεὶ*, quod ubi sic positum legerint, ut solent, non dicunt. Assentitur tamen Handius (Turs. III p. 490). Sed *semper* respuat adverbium gradum notans. *Ita* demonstrationem habet huiusmodi: *ita, ut facit*; itaque proxime annectitur superiori particulae interrogativae, nec multo aliter dicitur *cur ita* atque *quid ita* (*warum denn*), cum sic de causa rei quaeritur, ut particula modalis vehementiorem efficiat interrogandi vim; quo genere in integris sententiis Cicero rarius usus est, pro Rosc. Com. 4 et 12: *quaero abs te, quid ita* — *compromissum feceris*, et ibd. 35 et 54 (nam *quid ita?* absolute saepe dicit), Livius frequenter; exempla posuit Handius p. 496, quibus addi potest XXVIII, 43, 12. Tum Gzius tamquam ex Erl. et Spir. edidit: *deum beatum Epicurus appellet*, errans, ut ex Erl. apparet. Antea edebatur, ut in nostris deterioribus. [B *Epicur. app. beat.*] Recte adiectivis coniunctis unum interponitur verbum; vid. epist. mea ad Orell. p. 54. Deum Epicurus *μακάριον καὶ ἄφθαρτον* appellare solebat. (Diog. X. 123. cfr. 139.)

Dempta enim aeternitate) Non valde perspicue nec firmiter Cicero argumentatur. Sic enim concludit, Epicurum, cum semper *beatum* appellet deum, praecipui ei aliquid ad beatitudinem (*εὐδαιμονίαν*) tribuere videri; id non effici, nisi vis aliqua in hac re tribuatur aeternitati. Atqui respondere poterat Epicurus, se beatum deum dicere, quod beatus esset, non quod sapiente beato beator, et uti ipsa Stoicorum, quorum telis Cicero se instruxit, auctoritate, Chrysippi saltem; vid. Stob. Eclog. Eth. p. 198 Heer. Et ferebatur interdum in eam partem; nam *ἔλεγεν ἐτοιμῶς ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μάζαν ἔχον καὶ ὕδωρ* (Stob. Florileg. tit. XVII, 30 p. 158 Gesn., ex Aelian. Var. Hist. IV, 13). Itaque hic exitus intercludendus ei erat, cum ostenderetur, eum interdum aperte confiteri, praestantiorem esse *εὐδαιμονίαν* dei quam hominis, ut Diogenes significat X, 121 (vid. ad I, 62); aut, si hoc fieri nequibat, potius ex altera parte urgendus erat, ut quaeretur, cur ita semper aeternum deum appellaret, cum aeternitas nihil adderet, quo praestantior esset.

summo bono fruitur, id est, voluptate. „At enim hic etiam dolore!“ At eum nihili facit; ait enim, se, si uratur, „Quam hoc svave!“ dicturum. 89. Qua igitur re a deo vincitur, si aeternitate non vincitur? In qua quid est boni praeter summam voluptatem et eam sempiternam? Quid 5 ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquere? In voluptate corporis (addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut

1. *fruitur bono* L 2. *enim* (pro *eum*) LC cum R *nihil* [A]ELMR [se supra versum A, fort. pr. m.] *se om.* E *sese* (pro *se*, si) LMCR [se], si Or. *iratum* (pro *uratur*) MR *ita tum* L *iratum* C 3. [ab deo A] 4. *In quo* Or. 6. *loqui* (pro *loquere*) E *in om.* P 7. *aut* (pro *ut*) E

At enim hic etiam dolore) Non dicitur *frui dolore*; sed in contrariis membris ex priore verbo speciali (quod in meliorem partem vergit) in alterum membrum latenter infertur ea significatio, quae in contrariam (malam) partem sub eandem communem notionem (capiendi) cadit, nota figura, quae tamen plerumque minus perspicue describitur. Recte Dav. comparat X ad Attic. 4, 4: *fortuna, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur*. Vid. Ramshorn. p. 1021 et quos ille citat. Durissime Livius in comparatione postquam ex praecedente *obesse* audiri voluit *prodesse* XLV, 20, 9 et 24, 8.

ait enim, se, si uratur) in Phalaridis tauro; hoc enim additur II Tusc. 17 (Senec. Ep. 66. 18, Lactant. Inst. III, 27, 5). Graece hoc dictum non extat, etsi summa sententiae est apud Diogen. X, 118; cfr. infra V, 80. In verbis: *se, si uratur* similiter ac mei aberrant alii codd. (E *sese iraturum*, $\chi\psi$ *sese iratum*). Inde Crat. et Vict. *si uratur, se*. Omittit *se* etiam Spir. [B]; vid. ad V, 31; hic facillime excidere pronomen potuit.

89. *In qua quid est boni*) Concluso, ut dixi, aeternitate beatiorem deum effici, ostendit aeternitatem ipsam nihil aliud afferre, nisi ut sempiterna sit voluptas, hoc est, longioris temporis; ita sequi, ut temporis magnum sit in beata vita momentum. Paulo minus diligenter dixit, in aeternitate inesse *summam voluptatem et eam sempiternam*; neque enim ipsam voluptatem aeternitas afferebat, sed eius, si adesset, sempiternitatem; sed cum hoc vocabulum in usu non esset, illo altero modo locutus est. Apparet, prave omnes inde ab Ernestio, Walkero auctore et Davisio svasore, scripsisse: *in quo*. qua mutatione inanis efficitur repetitio eius, quod dictum iam est (*Dempta* cet.). Videndum etiam erat, id bonum, quo deus frueretur, rectene *in deo esse* diceretur.

vultis, sit e corpore) situm est vivere beate. Quid? istam voluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, eae non sunt in potestate sapientis. Non enim in ipsa sapientia positum est beatum
 5 esse, sed in iis rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem. Totum autem id externum est, et quod externum, id in casu est. Ita fit beatæ vitæ domina fortuna, quam Epicurus ait exiguam intervenire sapienti.

XXVIII. 90. Age, inquires, ista parva sunt. Sapientem
 10 locupletat ipsa natura, cuius divitias Epicurus parabiles esse docuit. — Haec bene dicuntur, nec ego repugno; sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim tenuissimo victu, id est,

1. [sit et corpore A] sit quod et corpore LMC sit quod et in corp. PR
 3. efficiunt E [hæ A] hæc EC hæc (P)Or. in potestate sunt EOr. [in om. A¹] 5. his LC qua sap. E 6. extremum EPC (bis) est om. LPMCROr.
 8. obvenire L 10. Epicurus ipse parabiles C 11. nec (pro hæc) E
 12. repugnant EC idem (pro id est) E

sit e corpore) Sic, ut primus Dav. edidit, etiam Spir. [B]. Edebatur enim: quod et in corpore (ut in PR) et sic Pal. 3; ceteri Pall., excepto primo, Mead., Par. 2, χρψ, Gud. 1, Bas. quod et corpore; Eξ quod est in corpore. [Baiteus ex.] Mox non sunt in pot. naturali verborum ordine omnes ante Gzium, qui ex Erl. et Spir. [B] mutavit. [Est post externum nunc accessit ex ABerl.; in mea collatione annotatum non erat.] De extrema huius capitis sententia dictum est ad I, 63.

Cap. XXVIII, 90. *Epicurus parabiles esse docuit*) Ipse post *Epicurus* ex C per Manutianam edit. propagatum ad ceteras est; sustulit Dav. auctoribus utens codd. suis quattuor; accedunt Oxx. et Gzii omnes. De sententia vid. ad I, 45. Paulo post in enim (post *Negat*) haerebat Dav., non intellegens, ut ait, cuius rei ratio redderetur. Explicatur repugnantia illa; nec tamen ea explicatio hac sententia absolvitur, sed incipitur; vid. ad I, 18. Epicurus apud Diogen. X, 130: *Οἱ λιποὶ χυλοὶ ἴσσην πολυτελεῖ διαίτη τὴν ἡδονὴν προσφέρουσιν, ὅταν ἅπαν τὸ ἄλγουν κατ' ἔνδειαν ἐξαιρεθῆ καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀροσάτην ἀποδίδωσιν ἡδονὴν, ἐπειδὴν ἐνδέων τις ἀντὰ προσφέρηται.* Alia in eandem sententiam ab Epicuro dicta habet Stobaeus Floril. tit. XVII, 23 et 34 p. 158, 159 Gesn. Ante *tenuissimo* Lambinus addebat e, ut § 96 ex ante memoria, non ferens ablativum laxius cum instrumenti significatione adiunctum.

contemptissimis escis et potionibus minorem voluptatem percipi quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem; laudarem etiam; verum enim diceret, idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, 5 audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed qui, ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio, nec eum, quod sentiat, dicere existimo. 91. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta. Certe, 10 nisi voluptatem tanti aestimaretis. Non minor, inquit, voluptas percipitur ex vilissimis rebus quam ex pretiosissimis. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere, se acipenserem maenae non antepone; cui vero in voluptate 15

4. *utetur* L 5. *id quod* R [in illo, om. loco, A] 8. *loquitur* om. LP *frui ille ipso* E *nec enim eum* PMCR *nec [enim] eum* Or. 9. *quod* om. E *quid* M 12. Ante *ex* add. *tam* LPMCR 13. *ne* om. E 14 *Qui — antepone* Nonius p. 550 (*voluptates ipsas*) *eis* Non. [*is* A¹] *his* ELC *se* om. L 15. [*accipenserē me non* A] *accipenserem* E

cibi condimentum esse famem cet.) Xenoph. Memor. I. 3, 5 et 6. 5. De Gallonio vid. ad § 24; de L. Pisone, qui cognomen adeptus est vitae continentia. testimonia collecta sunt in indicibus et onomasticis. (Mendum cod. Erl. [et B] admonet, ut idem mendum tollam ex Asconii commentario in Pisonianam p. 119, ubi scribitur: *ut ipso recenti reditu.* vitiose abundante pronomine, pro: *ut Piso recenti reditu.*) Mox enim, quod inter *nec* et *eum* interponebatur, omittit etiam Spir. [B]; deleri iussit Gzius. Non causa additur, sed absolvitur iudicium.

91. *ex vilissimis rebus*) *Tam*, quod ante *ex* addebatur, a Man. damnatum Lamb. sustulit, deinde Grut. auctoritate Pal. 1; Dav. et Gzius tacent. Erat *tam* in EU $\chi\psi$, [om. B].

accipenserem maenae non antepone) Miro errore quidam non tolli voluerunt, sententiam evertentes. Qui voluptatem ipsam contemnunt, ii possunt dicere, se acipenserem maenae non antepone, non quo non sentiant, meliorem acipenseris esse saporem, sed quod saporem non curant (ut Laelius § 24); qui voluptatem sequitur, is si acipenserem maenae non antepone, ostendit, se palatum non habere; nam si meliorem saporem sentiret, praeferre voluptatis causa debebat. Mox *sint* Crat.,

summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque dicenda optima, quae sunt svavissima. 92. Verum esto; consequatur summas voluptates non modo parvo, sed per me nihilo, si potest; sit voluptas non minor
 5 in nasturcio illo, quo vesci Persas esse solitoŝ scribit Xenophon, quam in Syracusanis meisis, quae a Platone graviter vituperantur; sit, inquam, tam facilis, quam vultis, comparatio voluptatis; quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in iis beata vita, si modo dolor summum
 10 malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: cum

2. *sint* [A]MR *firmissima* E 3. *isto modo* (pro *esto*) LPMCR
 4. *sed ferme* LPMCR 9. *in his* ELPMCO. 11. [*aliter A'*] *aliter quam* LPMCR

Vict., Man., Dav. duo, Oxx. EU, Gziani praeter Erl. et Spir. [B], ut significantur, quae ipse svavissima iudicet.

92. *Verum esto; consequatur*) *Esto* coniectura praeceperat Manutius; confirmant Pal. 1, El. 2, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. Lambinus, nescio qua fide, tradit in suis omnibus codd. esse *isto sine modo*. Tum *per me* Gruterus e Pal. 1 restituit; confirmat etiam Spir. [B]. Oxx. Eξ *ferme*, Uχψ *ferme*.

scribit Xenophon) Cyropaed. I, 2, 8, quem locum Cicero attingit etiam Tuscul. V, 99, ubi plura Davisius collegit; de mensis Syracusanis Plato, qui Cicero videbatur, Epist. VII p. 326 B, quem locum Cicero interpretatus est Tusc. V, 100.

describit his fere verbis) Usus hac definitione erat ἐν τῷ περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων, e quo libro ipsa verba Graeca habet Clemens Alex. II Strom. p. 179: Ἀγαθὸν ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατὰστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα; Metrodoro tribuit Cicero in Tusculanis quoque II. 17 et V, 27. Ceteri fere tamquam communem scholae Epicureae summi boni et beatae vitae definitionem ponunt, ut Plutarchus (Non posse svaviter cet. 4 p. 1089 D): Τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς κατὰστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα τὴν ἀκροτάτην χαρὰν καὶ βεβαιοτάτην ἔχει τοῖς ἐπιλογίζεσθαι δυναμένοις. Alia citat Davisius ad Tusc. locum priorem, quibus addi potest Plut. Praecept. de Sanit. 22 p. 135 C. Paulo ante *paene alter Epic.*, quod in mg. Crat. annotatur, primus, opinor, edidit Marsus, deinde Manutius et ceteri

corpus bene constitutum sit et sit exploratum, ita futurum. An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo se hoc habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum? Dolor igitur, id est, summum malum metuetur semper, etiamsi non aderit; iam enim adesse poterit. Qui potest 5 igitur habitare in beata vita summi mali metus? 93. Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam id ipsum absurdum, maximum malum negligi. Sed quae tandem

2. *sese habiturum* LPMCROr. 3. *vesperam* LPMCROr. 4. *id om.* E
7. *enim* (pro *inquit*) E *iam ad ipsum* E *iam ipsum ceteri*, Or.

deinceps tacite, nisi quod Oxx. $\xi\chi\psi$ ostendunt deteriorum codicum conspirationem. (Cod. Mor. *aliter Epicurus* [ut A¹].)

quomodo sese [sic edit. superior] *habiturum sit corpus*) Pal. 1 *quomodo se haec hab.* Potest ex hoc et Erl. [e quo mihi notatur *se h'*] in mentem venire, scribendum esse: *quomodo se hoc hab. sit corpus*, id est, hoc, quod videmus. [Sic Baiterus in A scribi testatur; itaque restitui, ut ille. B *se hic.*]

ad vesperum) Sic etiam Spir. [B] et praeterea CCC (etsi de ξ tacetur) et χ , ut saepe Cicero; in Catil. tamen II, 6 codices, quantum scitur, *vesperam* retinent. Mox pro *id est* (de quo vid. ad § 6) tantum *est* habent etiam Spir. [B] et Gud. 2; saepissime erratur in hoc compendio. Paulo post, ubi est: *qui potest igitur*. Bremius *autem* pro *igitur* scribi malebat; neque enim hanc conclusionem esse. Sed saepe extremam partem argumenti sic illa particula notamus, ut simul conclusionem latere significetur, ut hic: Itaque tollitur isto modo beata vita. [Tum *enim* pro *inquit* etiam B. Poterat ferri *Tr. enim, inquit*, ut *enim* pervagato usu pertineret ad latentem significationem responsi. Sed omisso *inquit* h. l. sic poni non potest.]

93. *Iam id ipsum*) Hoc. quod Th. Bentleius coniectura invenerat, manifesto mihi significari videbatur codicis Erl. [et B] scriptura. (Neque eam Gzizus neque de ceteris quidquam annotavit.) *Ips* num pro eo, quod est *is ipse*, a Cicerone et ceteris bonis scriptoribus poneretur. a multis quaesitum est (Gronovio et Drakenborchio ad Liv. V, 43, 4, Wopkensio Lectt. Tull. p. 292, Handio ibd. p. 391 [quem secure sequitur Elendtius ad II de Orat. 132], Gzio ad Cic. Legg. II, 12 et ad h. l. Ottone ad I, 10), quorum fere nemo satis certis finibus quaestionem terminavit, nonnulli gravissime errarunt. Nam iis exemplis utuntur, in quibus cum nulla omnino sit causa personae reive satis iam definitae pronomine (*is*) demonstrandae,

ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primum

tantum persona vel res eis, quae adiuncta sint, contraria significatur. Quis enim, cum de homine eo, de quo agi iam constat, sic loquor: *ipse dixit* (non pro eo alius) aut: *quaeram ex ipso* (non ex alio de eo), omissum putat *is* aut *eo*, quamquam noster sermo pronomen illud, subiecti notam, ponit? aut quis non sentit, perverti saepe sententiam, si de eo subiecto, quod ipsum sponte animis occurrat, id pronomen addatur? Et tamen citantur in hac quaestione huiusmodi loci: Fin. II. 82: *ipsis non satis*, et V, 2: *ipsum videntur in conspectu meo ponere*, et ibd. 39: *in ipsa enim parum magna vis est* (sententia intercidat, si dicas: *in ea ipsa*, quasi non *ipsa vitis* et *quae extra eam sint* contraria ponantur, sed ea discernatur ab aliis vitibus et demonstratur), pro Cael. 33 (*ex ipsa quaeram*). de Orat. I, 28 (*ipsa aquila*). [Itaque potius notandum, interdum tamen addi *is* in talibus locis, ut hic V. 2, Cat. 80: *si nihil eorum ipsorum animi efficerent* cet. Cfr. Liv. II, 38, 1, III, 51, 3, V, 33, 3 et de *ipse is* Iac. Gron. ad Liv. III, 12. 4.] Ne illud quidem ad hanc quaestionem pertinet, quod Acad. II, 84 dicitur: *ipse erit. qui tibi videbitur*, quemadmodum apud comicos dicitur: *ipsus est*. [Cfr. Sveton. Aug. 94: *ipsum esse, quem* cet.] Illud quaeritur, cum *ipse* adiungatur ad necessariam personae reive notationem, quod aut ea persona vel res non ex orationis cohaerentia intellegatur, sed sententia relativa definiatur, aut significetur, in hac persona vel re id, quod dicatur, memorabile videri, possitne tum pronomen personae reive index, in quod orationis et vocis pondus incumbere videatur, omitti et solum *ipse* poni. Id sequente sententia relativa, in qua *ipse* ita innititur, ut *ipse, qui audit* sit *αὐτός ὁ ἀκούων* [*αὐτός, ὃς ἀκούει*, Matth. Gr. Gr. § 469, 7], facilius fieri potest, et factum esse exempla declarant, ut illud libr. I, 13: *ab ipsis, qui eam disciplinam probant*; similia haec sunt: de Inv. I, 82: *de ipso, qui iudicavit*, de Orat. I, 250: *ipsi, quorum negotium est*, ibd. II, 60: *ipsi, qui scripserunt*, 208: *ipsis, qui audiunt*, 344: *ipsis, qui eas habent*, ibd. III, 168: *pro ipsis, in quibus illa sunt* (sic etiam Iul. Vict. p. 252 Orell.), Orat. 134: *ex ipsis, quae supra dicta sunt* (sic meliores codd., deteriores: *ex his, quae*, Orell. e Lamb. con.: *ex iis ipsis, quae*), ibd. 180: *ipsi, qui affirmant* (codd. interpolati: *ipsi illi, qui*, quod non recepit Orellius, qui altero loco coniecturam secutus erat). Partit. Orat. 30: *cum ipsis, apud quos res agetur*; Div. in Caec. 13: *ipse, cui maxime haec res obstat*, [pro Rosc. Am. 71, pro Arch. 22,] de R. P. I, 47: *sed ea dant magis* (hoc vocabulum delendum puto), *quae, etiamsi nolint, danda sint et quae*

quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide, ne etiam menses! Nisi forte eum dicis, qui, simul atque

1. *tam* (pro quem) LPMCR 3. *ne om.* C *ne forte* E *qui si simul atque* E

ipsi non habent, a quibus alii petunt, hoc est: quae ipsi illi non habent, a quibus alii petunt; nihil mendii est). Non utor eo, quod I de Orat. 87 legitur: *ut et ipsis, apud quos ageret cet. quoniam ibi ipsis prorsus alienum est; scribendum est enim: ut et ipse is, apud quos ageret, talis — videretur; huic, quod de ipso dicitur, contrarium est: et uti ei, qui audirent, sic afficerentur animis cet.* Ex aliis scriptoribus haec addo: Caes. B. C. III, 20: *ipsis, ad quorum commodum pertinebat,* [Liv. IX, 34, 18. XXI, 45, 5. XXVIII. 4, 1, XXXII, 8, 14.] Senec. de Ira I, 18, 2: *nilil praeter ipsum, de quo agitur,* de Benef. IV, 17, 2: *ipsis, quae impotentissime facit,* [Plin. Epist. VIII, 4, 5]. Haec igitur mihi dubia non videntur, illud neque per se probabile neque exemplorum constantia satis confirmatum. Ciceronem II Legg. 12 potuisse dicere: *estne ob ipsum habenda nullo loco, cum significaret: ob id ipsum, ob eam ipsam causam.* Huic hi loci adduntur: ad Fam. IV, 19, 2: *si modo ipsum sciet;* ad Att. X, 14, 3: *et ipsum* (id ipsum, quod dictum erat) *fore et, quae iam fiant, non esse leviora;* ibd. XII, 14, 3: *quamquam ipsum doleo* [et 39, 2]; de Divin. II, 119: *animum Zeno quasi labi putat atque concidere et ipsum esse dormire,* in quibus omnibus et quanta insolentia sit, infinito numero contrariorum exemplorum repugnans. apparet, et quam facile *id* excidere potuerit, demonstrant, quae e Livii codicibus conguessit Drakenborchius. II Acad. 109 *si ipsum* et codices et editiones respuunt et sententia, quae postulat: *si quidquam* (omnino); ad Fam. IV, 13, 3 quod legitur (*ut ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimem*), videri potest ita defendendum esse, ut *quod maneam* relativae sententiae vicem expleat. [Cfr. ad Att. XI, 9, 1: *ipsum, quod veni, nihil iuvat;* Sen. cons. ad Marc. 12, 2: *ipsum, quod habuisti, fructus est;* Lucan. Phars. VIII, 77.] De Legg. II, 34 sanum haberi *et ipsa*, codices, *ea ipsa* intellegi, sententia vetat. Livii codices antiqui paucis tantum locis in hanc formam consentiunt: XXI, 55, 11 (*ad ipsum locati*), XXII, 4, 2, XXIV, 23, 3. XXVI, 40, 8. XXXIII, 18, 5. [V, 43, 4 recte Veron.]

Maximus dolor cet.) Vid. I, 40 et quae ibi annotata sunt. Mox *dolorem quem maximum,* quod Manutius coniectura repererat, dederunt Pal. 1, [B.] mg. Crat.. El. 2. nec *tam* notatur ex ξγ. Gzius tacet.

arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallet
 leuare, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octa-
 uium, M. F., familiarem meum, confici vidi, nec vero semel
 nec ad breve tempus, sed et saepe et plane diu. Quos ille,
 5 di immortales! cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus
 perferebat! Nec tamen miser esse, quia summum id malum
 non erat, tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si
 in flagitiosa atque vitiosa vita afflueret voluptatibus.

XXIX. 94. Quod autem magnum dolorem breuem, lon-
 10 ginquam leuem esse dicitis, id non intellego quale sit. Video
 enim et magnos et eosdem bene longinquos dolores; quorum
 alia toleratio est verior, qua uti vos non potestis, qui

1. eripuit C interfecit E 3. [Marci filium plene, ut vid., A] vere E
 4. sed etiam E saepe plane diu [A]E saepe plane et diu LMCR Or. saepe
 plane (om. diu) P di immortales ille LMCR o vos di imm., om. ille, P
 [diu A] 8. vitiosa et flagitiosa LPMCR Or. 9. quid E 10. [lenem A]
 esse om. ELMOR. 11. et ante magnos om. P quanam (pro quorum)
 LMCR quae nostra P 12. ratio L

Cn. Octavius) is, qui consul fuit a. 76 a. Ch. n. et a
 Sallustio homo mitis, captus pedibus appellatur; vid. Orellii
 Onom. Tull. Paulo post [et, quod omittitur etiam in B, post
 saepe restituit Halmius; tum] ille, di imm., etiam Spir. [B];
 editum hoc est a Crat., tum a Grut., Ernestio, ceteris. Alter
 ordo erat in Gud. utroque; Bas. di imm., quos ille. Tum vitiosa
 et flagitiosa omnes ediderunt; Gzius in omnibus suis ait esse:
 flagitiosa et vitiosa; sine dubio in Spir. erat, quod ex Erl. edidi,
 et fortasse in Gud. 2. [Sic A et B.] Eξ om. vitiosa et.

Cap. XXIX, 94. leuem esse) Verbum om. etiam Spir. [B];
 paulo post vett. quaedam edd. (Man. et Lamb.) om. bene.

quorum alia toleratio) Sic Gruterus e Pal. 1; confirmant
 etiam Spir. [B] et mg. Crat. Cod. Mor. quae non alia tol. Ut
 nostri deteriores, Oxx. Eξψ, Gud. utroque, Bas. et sine dubio
 reliqui Pall. et Davisiani (El. 2?), editionesque, quantum video,
 ante Ascens. 1511 et Crat. Hi et ceteri ante Gruterum: quae-
 dam alia. Cod. Urs. et Mead., ut L, ratio. Davisius scribi
 volebat tolerandi ratio, quod ipsum ita significat toleratio, ut
 simul inclinet in significationem potestatis tolerandi, quam attigi
 in Emendatt. Tull. p. 89. Sic etiam Seneca de Benef. IV,
 39, 2: Pecuniae etiam male creditae exactio est, hoc est. exigi
 ea potest. [Cfr. Naegelsbachius in libro, qui inscribitur Latein.
 Stilistik, § 58, 1 b ed. tert.]

honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae effeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est interdum necesse), sed saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare,

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus

Resonando mutum flebiles voces refert.

Huic Epicurus praecentet, si potest, cui

5

3. dico dolore ER 4. [interdum est A] 5. philoctere E Philoctetaeo Or. 6. [heiulatu A] et questu LPC 7. mutu E multum L 8. [et pro praecentet A] competenter et (pro eodem) LPMCR comparat se Or.

sed saxum illud Lemnium cet.) Eodem Philoctetae exemplo Cicero utitur in Tuscul. II, 33, dolorem non satis viriliter nec ex virtutis praeceptis ferentis. Versus ex Attii, ut videtur, Philocteta sumpti ibi quoque ponuntur, adiectis initio ex superiore versu his verbis: *in tecto humido* (sic enim recte emendare videntur, quod codices habent, *lecto*). Hic Cicero pro eo *saxum* subiecit.

mutum flebiles voces refert) Sic codices non solum boni (Pal. I [et B]), sed etiam deteriores fere omnes (Pall. praeter duos, Mead., El. uterque, Oxx., Gziani), estque elegans et a tragicæ orationis subtilitate minime abhorrens figura in illo *mutum voces refert*, cum circumloquendo describatur echo; alioquin satis erat *resonat*. Nam qui *resonando mutum* iunxerunt, ut esset *dumpf widerhallend*, neque artificium orationis perspexerunt et significationem vocis fingunt. In Tusculanarum codice eo, ex quo nostri orti sunt, mendose scriptum erat *multum*, ut hic pauci quidam editores (velut Lambinianarum curatores, Gruterus invitus) scripserunt. Id sive ad *resonando* referas, ineptum est (neque enim, quam *multum* resonet saxum, quaeritur), sive ad *flebiles*, frigidum et supervacaneum.

Huic Epicurus praecentet) [Sic etiam B.] Gzcius e Spir. enotavit *protenet*. Cod. Vict. *p̄ tēnt et si*. Significari medicinam, quae magicis carminibus fiat, quibuscum apte et acerbe comparentur Epicuri magnificæ voces, intellexit Wesenbergius. adhibito Varronis loco apud Nonium p. 494: *ut faciunt pleraeque, ut adhibeant praecantrices nec medico ostendant*, tum Tibulli versu I, 5, 12: *carmine cum magico praecinuisse anus*. postremo Plinio H. N. XXIX, 69: *aiunt viperam praecanere*. Eodem pertinent *praecantrices* nominatae apud Plautum (Mil. Gl. III, 1, 99) et *praecantatores* apud Augustinum et *praecantationes*

E viperino morsu venae viscerum
 Veneno imbutae taetros cruciatus cient!
 Sic Epicurus: „Philocteta st! Brevis dolor.“ At iam decimum

1. *E om. omnes, Or. 3. Sit [A]LPMROr. Philocteta si brevis dolor leuis [A]E Philocteta: Si gravis dolor, brevis LPMCROr.*

apud Solinum et Vegetium et alios et *lapilli praecantati* apud Petronium. Easdem Graecorum esse *ἐπιφάσις* verbo significasse satis est. *Praecantare ex praecinendo* fit, ut *accentare (accentus)*, etsi fuit etiam *praecano* (quod Lucilius apud Nonium p. 102 aliter posuit), ut est *occano*, et *praecanto*, ut Statius dixit *accanto*. *Si potest* ad ipsum effectum medendi refertur. Verbum rarum et obscurum librarius cod. Pal. 1 omisit retenta, quae separata erat (ut in cod. Vict.), syllaba *et*; in codice deteriorum principe, retentis litteris aliquot (*petente*) effecta est vox Latina inferioris aetatis; nam ut nostri, mg. Crat., Pall. ceteri. „fere“ Davisiani, Oxx. (*competentur*), Gud. uterque, Bas., edd. vett. plures, postrema Victoriana. Ex interpolato illo *competenter et* nescio quis editor fecerat *comparat se et*, quod Orellius in ed. Ven. 1480 repperit. Deinde cum ferri non posset *et*, alii scribendum coniecerunt: *etsi qui potest?* quae coniectura in mg. Crat. annotata est (*qui* Dav. tradit in El. 2 fuisse, fortasse pro 1 appellans), alii *et* delerunt, eaque scriptura (*comparat se, si potest*), quae est apud Marsum et Crat., inde a Manutio ab omnibus ante Gzium servata est. Enarrat Orellius: „in Philoctetae locum se paulisper cogitatione transferat“, non aberrans, opinor, ab interpolatoris sententia; Latine quidem id sic dici nequit, nec Cicero Epicurum ipsum doloribus oppressum inducit et sic experimentum suae sapientiae capientem, sed postulat ab eo, ut aliis dolentibus subveniat (§ 93, 95, Tusc. III, 44 simillimo loco). Quod Gzium, Rathio svadente, proxime ad Pal. 1 edidit: *Huic Epicurus, si potest*, cet., tenue, quod in illo ipso codice supererat, vestigium veri sustulit; nec *dicat* (coniunctivo modo) omitti poterat, et ineptum est: *dicat, si potest*. Sed nihil opus haec refelli.

E viperino) [Praepositionem Baiterus addidit e Tusc. II, 19 et Non. p. 324; nec erat, cur eam Cicero hic detraheret. Sed quod pro *cui* scripsit *cum*, poterat Cicero hic aliter atque in Tusculanis versus orationi annectere.]

Sic Epicurus: Philocteta cet.) Vocabivum esse *Philocteta* et cum irisione induci Epicurum *Philoctetae* praecepta sua ingerentem, ipsa vocabuli forma admonere editores debuit; nam nominativo casu Cicero non magis *Philocteta* dixit quam *Oresta* aut *Scytha* (*Scythes* Tusc. V, 90) aut *Abderita* (*Abderites* Brut. 30, N. D.

annum in spelunca iacet. „Si longus, levis; dat enim intervalla et relaxat.“ 95. Primum non saepe, deinde quae est ista relaxatio, cum et praeteriti doloris memoria recens est et futuri atque impendentis torquet timor? Moriatur, inquit.

1. [lenis A] 3. relaxio que et E et om. MR [recens sit A]

I, 63; *sophistes* Acad. II, 72, N. D. I, 63, *Olympionices* Tusc. I, 111, *Heracleotes* Acad. II, 71, *geometres* de Fato 15, *Spartiates* ad Fam. V, 12, 7. *Perses* de R. P. I, 43, *Persa* in nomine canis ex sermone familiari et antiquo de Divin. I, 103, ut *pirata* dicitur), sed vocativo (*Aeeta*, *Thyesta* Tusc. III, 26, *citharista* de Divin. II, 133), ut ablativo, barbaro casu (de Orat. III, 128 de *Protagora Abderita*, *Aeeta* III N. D. 48, de *Philocteta* de Fato 36). Recte *Philoctetes* legitur de Fato 37, prave ibd. *Philocteta*, quod Manutium et Lambinum non fugit; altero loco additum nomen a librariis videtur. Grammatici haec parum distinxerunt. (Varro *Aeeta* nominativo casu posuit R. R. II, 1, 6.) Atque hanc allocutionis figuram a totius loci forma flagitari, senserat Schuetzius, sed licenter, ut solebat, scripsit: *Dicat Epicurus: Philocteta*. Ego posui, quod in Erl. [et B] et ed. prima erat, Gzius autem, omissa Erl. et Spir. mentione, e Gud. 2 et Bas. profert: *Sic Epicurus* (loquitur). Ipse e Bremii coniectura scripsit: *Sic Ep. Philoctetae*, et sic enarrat: „tali condicione cum sit, quali eum hi versus fingunt.“ A ceteris editum est: *Sit Epicurus Philocteta: Si gravis cet.*, quod ut posset eam habere sententiam, quam subiciunt: „cogitet se Epicurus Philoctetam esse“, quam sit ea prava, dictum iam est. [Oritur deinde de proximis dubitatio. Nam quod antea ex uno Erl. annotatum erroris loco habebatur: *brevis dolor levis*, id nunc (ex A et B) apparet in omnibus bonis fuisse; alterum, quod edebatur, correctione audaci ortum esse. Nec tamen ipsum illud verum esse potest; nam brevis dolor Epicuri sententia gravissimus esse poterat, nec haec prior consolatio eodem redire potest (*levis*), quo altera, et, quod subicitur, demonstrat, non levitatem doloris Epicurum nominasse, sed tantum brevitatem. Epicurus primum absolute Philoctetam consolatur brevitate doloris; deinde, cum huic consolationi locum non esse appareat, cum condicione ad alteram transit. Deleveram igitur a. 1869 *levis* prave additum in bonorum codd. scriptura, sed simul violenter *si*. Id unde natum alterum errorem peperisset, nunc demum intellexi. Tacere Philoctetes iubetur. Vid. Add. 1874.]

Fortasse id optimum, sed ubi illud: „Plus semper voluptatis?“ Si enim ita est, vide, ne facinus facias, cum mori svadeas. Potius ergo illa dicantur, turpe esse, viri non esse debilitari dolore, frangi, succumbere. Nam ista vestra: „Si
5 gravis, brevis; si longus, levis“ dictata sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.

XXX. 96. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus, ut intellegas, facta eius cum dictis discrepare:
10 Epicurus Hermarcho S. Cum ageremus, inquit, vitae beatum et eundem supremum diem, scribe-

1. ubi om. P 2. facias facinus E mori si videas E 3. viro MR iure C viris L non esse om. LPMCR 4. dolere L 8. me (pro ne L) 9. et intellige LPMCRor. 9. Hermacho (co) LPMR Hermeo C

95. *Moriatur, inquit*) Vid. ad I, 49 et de iis, quae sequuntur (*Plus semper voluptatis*), ad I, 62. [In proximis illis *vide, ne facinus facias* familiaris sermonis imitatio aliqua est, proverbio aut poeticae orationi nihil omnino simile.]

turpe esse, viri non esse) Sic etiam [B et] mg. Crat. et cod. Gronovii; Lallemandi regium non numero. Davisius annotat in El. 2 legi *viri non esse*, omisso *turpe esse*. Deteriores, non intellecta figura orationis, in qua gradatio est, omisso *non esse*, partim *viri* retinuerunt, ut P, partim substituerunt *viro*, ut, tacente Grutero, Davisio de ceteris suis, Oxoniensibus, ante Gzium edebatur, qui omnia turbans narrat, in Pal. 1 (at Gruterus οὐδὲ γού), Erl., e quo mihi singulae litterae ita notatae sunt, ut edidi, Spir. esse: *turpe viri non esse*, in reliquis suis omnibus scribi *viri*. Itaque *turpe esse* delevit et secutus est Otto. Deteriores Gzii codices videntur idem habuisse, quod P, nisi etiam de *viri* erravit.

dictata sunt) praeceptoris, quae pueriliter sine ulla vi decantantur; vid. lexica.

ut intellegas) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B], ediditque Davisius; non iubet Cicero Triarium intellegere, sed praedicat, si audierit, intellecturum. Itaque poterat etiam dicere: *audi* — *Epicurus; intelleges* (sive: *iam intelleges*). Sic enim Cicero solet imperativo verbum futuri temporis sine copula subicere; quod Oxx. Eξ habent: *audi* — *et intelleges*, Senecae est, ut exposui Opusc. Acad. II p. 162, nec tamen perpetuum. [Graeci fere ἀκουε καὶ γνώσει.]

Cap. XXX, 96. *Epicurus Hermarcho S.*) Diog. Laërt. X, 22: Ἡδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τήνδε ἐπιστολήν Τῆν

bamus haec. Tanti aderant vesicae et torminum

1. scribebamus ne tanti E autem (pro aderant) vesicae E autem morbi aderant ves. LPMCR autem aderant ves. Or. viscerum (pro torminum) LPMCR

μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευταίαν (sic recte Davisius; libri τελευτῶντες) ἡμέραν τοῦ βίου ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. Στραγγουρία τε παρηκολούθει (sic Gzius recte, etsi fortasse casu; edd. παρηκολούθηκει) καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ἀντιπαρετατέτο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαιρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμη. Σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν ἐπιμελοῦ τῶν παιδῶν Μητροδώρον. Quod ibi Idomeneo epistula scripta dicitur, Gassendus ad utrumque datam putat, ego, quoniam eam habet formam, ut communiter et quasi in orbem ad omnes Epicuri amicos data videri possit, pluribus praescriptionibus circumlatam apud posteriores puto, cum alia atque alia singulorum nomina praeponebantur. Extabant etiam Epicuri epistulae ad Hermarchum, quibus Leontium commendabat (Athen. XIII p. 588 B). Quod autem nonnemi saluatio apud Ciceronem subditicia visa est, neque omnino cuiquam scribae eam addere in mentem venire potuit, et, si venisset in mentem, quod Graecum exemplar nosset, idem nomen posuisset. Verum non tam docti homines hos libros olim interpolarunt. Hermarchi (Mitylanaei, qui Epicuro in schola successit, vid. Diog. X, 15, 17, 24, 25) nomen, cum et hic et infra 101 et in libro I de N. D. 93 et Acad. II, 97 et apud Diogenem, Athenaeum, Senecam (Ep. 6, 33, 52), Porphyrium (de Abstin. I, 26) *Hermachus* scriberetur, e monumentis Herculaneis (subscriptione statuae et libro Philodemi περὶ ῥητορικῆς, vid. Antichita di Ercolano vol. V tab. 17 et p. 71) veram formam restituendam esse monuit Villoisonius Anecd. Graec. Tom. II p. 159, quem Gzius secutus est. Confirmant eam hic [AB] Erl., infra autem iidem et Spir. (hic *Hermarci*), in libris de N. D. optimi codd. (B *Hermachus*, ACE *Hermarcus*). Idem mendum erat in alio homine in orat. de harusp. resp. 34. Eandem epistulam Epicuri Cicero significat Tusc. II, 45 et V, 88.

Tanti aderant) [Edidi nunc cum Baïtero, ut est in A, quem antea falso putaveram habere *tanti autem aderant*, quod erat in cod. Mor. In Erl. et B *autem* ex *aderant* ortum videtur.] Ordinem hunc verborum, quo *morbi* longius reicitur, Gzius ait in suis omnibus esse praeter Gud. 2; non valde credo, quoniam non animadvertit, in Erl. *aderant* abesse. *Torminum*

morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Miserum hominem! Si dolor summum malum est, dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum. Compensabatur, inquit, tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua

1. morbi om. LPMCR *possit* LPMCR 2. ecce miserum LPMCR
[Ecce] *mis.* Or. 3. *compensabat* EC 4. *tamen inquit* C 6. *est* om. P

etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. et ediderat Victorius. Dav. et Oxx. tacent, deteriores cum Grut. sequentes. Recte negat Gzius *viscera*, quae proprie illa intelleguntur, quae supra abdomen sunt, apte nominari, cum *δυσεντερικὰ πάθη* significantur; ea enim ad *intestina* pertinent. Offensioni fuit coniunctio genitorum inaequalis, *vesicae*, quae pars est corporis dolore correpta, et *torminum*, quae ipsa est doloris species, ut explicandi et definiendi vim genetivus habeat; (vid. Epist. nostra ad Orell. p. 79, Matth. ad or. Catil. II, 24, ad or. pro Mur. 23); sed eiusdem generis alia posui ad I, 51; in hoc ipso vocabulo commode Gzius comparat, quod apud Plinium legitur H. N. XXXII, 24: *contra torminum ac vesicae ac calculorum mala*. [Ex Cicerone addo de imp. Pomp. 39: *hiemis, non avaritiae perfugium* et II in Cat. 3: *non modo invidiae meae* (quae contrahetur), *verum etiam vitae* (quae eripietur) *periculo*.] Mox *posset*, quod temporum consecutionem postulare, Manutius aliique intellexerant, Gzius ait in omnibus suis praeter Gud. 2 esse. Erat etiam in Eξ.

Miserum hominem!) Quod a librario ad accusativum, qui in exclamando ponitur, explicandum additum erat in codicum deteriorum principe, *ecce*, recte omittunt etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Paruit Palatino Davisius. Recte Zumptius ad Verr. I, 93 annotat, *ecce* cum accusativo a Cicerone non poni. Sed praeterea omnes haec sic interpunxerunt: (*Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est. Dici cet.* Condicio non exclamationi, sed iudicio adiungenda erat.

inquit, tamen) Alter ordo ex ed. pr. in Manutianam et deinceps in ceteras ante Gzium venit, contra edit. Crat. et Vict., codices Gzii.

memoria rationum inventorumque) Non potuit Cicero uno vocabulo exprimere vim *τοῦ διαλογισμοῦ*, quo vocabulo Epicurus libenter usus esse videtur de rebus quaerendis et deserendo explicandis, ut in definitione philosophiae apud Sext. Emp. adv. Math. XI, 169.

erga me et philosophiam voluntate ab adulescentulo suscepta, fac, ut Metrodori tueare liberos. 97. Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono; quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clipeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit, essentne fusi hostes. Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso, in laetitia et victoria est mortuus. Leonidas autem, 10 rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclaras mortes sunt imperatoriae, philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen, quomodo. *Beatus* sibi videtur 15

1. *me philos.* E *me et erga phil.* LPMCROr. *adolescente* C *adulescentia* R 2. *ut om.* L 3. *non Leonidae* — *apud* transp. inter *videret* et *ut primum* (scriptum *se ut primum*) PMR 5. *simul atque* (pro *atque*) MCR *simulque* (P) *exanimati* E *videri se* C 6. *despexit* ELPMCR 8. *cumque id* PMCR 10. *perfuso* L et *in victoria* PMROr. 15. *quod* (pro *quomodo*) LPMCROr. *Beatus* om. omnes, Or. *videbatur* E

fac, ut Metrodori tueare liberos) Eisdem Epicurus amicis commendavit testamento (Diog. Laërt. X, 19, 21). [Paulo ante *me et phil.* cum Baitero ex A restitui, idem significante Erl. B ut ceteri.] *Ab adulescentia* fuit fere in edd. vett. ante Gruterum, excepto Victorio. Mg. Crat., cod. Mor., Pall. omnes recte.

97. *atque ipse*) Sic in quattuor suis Gzibus esse scribit, nescio satisne fideliter: de „Crat. et pluribus veteribus impressis“ errat; sed sufficit Erl. [cum A et B]. Pro *simul atque* (sic etiam Oxx.), quod et sententiae et grammaticae (*videret*) repugnabat, Aldus Manutius dedit *simulque*, quod usque ad Gzium propagatum est. Transpositio eadem, quae in tribus nostris, erat in Ox. χ . *Dispexit* (non *despexit*) tres Gzii(?); mox *cum id quoque* Gzibus ex suis omnibus praeter Gud. 2. Edebatur tacite: *cumque id quoque*. Deinde et *victoria* (om. in) etiam Spir. [B].

Refert tamen, quomodo. Beatus — *Magna laus.*) Editum est ab omnibus, Lambino excepto: *Refert tamen, quod sibi videtur esse morienti magna laus.* Quae verba primum quomodo cum superioribus cohaerent, nemo ostendit, neque quid sibi vellet illa comparatio imperatoriarum mortium et philosopho-

esse moriens. Magna laus. Compensabatur, inquit, cum

1. *morienti* LPMCROr.

rum in suis lectulis morientium, nisi aliquid ad eam adiungeretur. Deinde multo minus ipsa probabiliter quisquam enarravit. Et Lambinus quidem, Davisius, Ernestius, Bremius, non plene perspecta neque exposita dilucide difficultate, satis infeliciter verba corrigere conati sunt; Gzius intellegere sibi videtur; *refert* enim vult esse *exponit*; *sibi* pro *ipsi* poni; itaque haec efficiuntur: *exponit aliquid, quod videtur ei magna laus; dicit enim cet.* Atqui *referre* apud Latinos in prosa oratione neque *exponere* significat neque *dicere* (ut ceteri praeter Bremium intellegunt); ne pro eo quidem, quod est *narrare*, ante Livium positum reperitur; (apud Ciceronem et Caesarem nuntii et legati et speculatores, quae cognoverunt, *referre ad aliquem* dicuntur, similique sensu Lucretius I, 75 Epicurum dicit, cum caelum mente peragravit, inde hominibus victorem *referre* (cognitum, tamquam spoliium), quid possit oriri cet. Ea etiam, quae e contraria parte alicui obiciuntur, *referri alicui* Cicero dicit, pro Quinct. 44, pro Caec. 84 et 85, Acad. II, 146). Deinde nulla sequitur expositio, sed vox aliqua et dictum. Cetera nescio quomodo Gzius intellexerit; sed si hoc dici voluit, eam expositionem (quae nulla est) magnae laudi Epicuro fuisse, non dicitur Latine: *quod est magna laus* (pro *magnae laudi* aut *quae est magna laus*); nam de *sibi* nihil dicam; etsi nulla hic talis sententiarum permutatio est, qualem ibi esse, ubi *se* pro eo, quod est *is*, positum reperitur, ostendi in Opusc. Acad. I p. 189. Sed cur, melioribus e certissimo fonte prolatis, haec refello? nisi ut ostendam, quales nugae Gzius ceteris probarit. *Quomodo* habent etiam Pal. 1 et Spir. [B], ex eiusque vocis compendio ortum esse *quo* (El. 1) et *quod*, ostendi supra ad § 53. Laudatis Leonida et Epaminonda, praeclaras Cicero esse ait mortes imperatorias, philosophos fere in suis lectulis mori; nec tamen eorum mortes gloria carere; referre enim (*interesse*), quomodo moriantur. Haec plana sunt. (*Refert esse interesse*, unus senserat Bremius; sed in reliquis prorsus aberravit.) Iam quae sequuntur, eo pertinent necessario, ut ostendatur, moriendi modo Epicurum non minorem quam illos laudem adeptum esse. Et iudicium quidem ipsum continetur nominativo illo: *Magna laus* pro sententia posito (vid. ad § 68); post quem a verbo *inquit* idem recurrit orationis, ut ita dicam, orbis, cum primum Epicuri factum (dictum) declaretur (*Compensabatur, inquit cet.*), deinde de eo iudicetur (*Audio equidem cet.*). Itaque in illis: *Sibi videtur morienti* inesse debet significatio eius, in

summis doloribus laetitia. 98. Audio equidem philosophi vocem, Epicure; sed quid tibi dicendum sit, oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt tua scripta et inventa, gaudere non potes; nihil enim iam habes, quod ad corpus 5 referas; est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam nisi propter corpus nec dolere. Praeteritis, inquit, gaudeo. Quibusnam praeteritis? si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum; sin autem ad 10 animum, falsum est, quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori liberos commendas? quid *ex* isto egregio tuo officio et tanta fide (sic enim existimo) ad corpus refers?

1. *equidem summi philosophi* R 5. *potest* E 6. *ne gaudere quicquam* E 7. *praeteritis* E 10. *si* (P)MCR 13. *ex* om. omnes. *tuo egregio* LPMCR

quo posita sit magna illa Epicuri laus. idque ex ea epistula, ad quam haec omnis disputatio refertur, sumptum esse. Sed pro *morienti* codex Pal. I [et B et, de quo olim ignorabatur, Erl.] *moriens*; idemque Victorius e suo cod. enotavit. Apparet, et aliquid deesse et quid desit; ita enim de se moriens Epicurus et suo statu iudicabat, ut is ipse animi habitus et iudicium gloriosum esset: *Beatus sibi videtur esse moriens*; nam *beatum* et eundem *supremum* diem se agere dixerat. De verbis in codice archetypo omissis vid. praef. I § 5. Gud. 2 habet: *quod sibi morienti videtur esse magna laus*, Ox. E: *quod si morienti vid. e. m. l.* [*Videbatur* pro *videtur* etiam B, quod recte poni poterat.] Editorum coniecturae eo magis omittendae sunt, cum, initio sententiae (*refert tamen, quomodo*) non recte constituto, nihil in reliquis expediri poterit.

98. *nec gaudere quemquam* Gziani praeter Gud. 2 *quidquam* (credo de uno Spir.), unde is coicit *quemquam quidquam*, non improbabiler; sed tam negligenter in Erl. syllabae a quae incipientes permutantur, ut confidi nequeat. Tum *sin autem* etiam Spir. [B]. Ante Gzium erat *si*, nisi quod Lambinus *sin. ex isto egregio tuo*) Praepositio abest ab omnibus cod. (Pall., Davisianis, Oxx., [B]) et edd. vett. Addidit opinor, Aldus Manutius. *Ex* (*de?*) an *in* (cum tam officiose agis) addendum fuerit, dubitari potest. *Egregio tuo* etiam Spir. [B].

XXXI. 99. Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet; nihil in hac praeclara epistula scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis eius reperietis. Ita redarguitur ipse a sese, convincunturque scripta eius probitate ipsius
5 ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio indicat, innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatum voluptatibus nec praemiorum mercedibus evocatum. Quod enim testimonium maius quaerimus, quae

2. scriptum epistula E 3. suis L redarguetur [A]ELPMR 4. [a se A] vincunturque [A]EO. veneuntque ceteri bonitate R 5 commendatione LP 8. mutatum PR mutuatum LMC non praemiorum C 9. quid E magis LP

Cap. XXX, 99. *Ita redarguitur*) In hac generali conclusione necessario praesenti tempore Cicero utitur, flagitatque id sequens *convincunturque*. Tamen in nostrorum codicum principe fuit *redarguetur*; nam sic etiam [AB,] U ξ et omnes Gziani. Ortum id est ex *reperietis*.

convincunturque) Codices optimi (Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., El. 2, E ξ , etiam Mead. et ed. Marsi) *vincunturque*, quod a DAVISIO restitutum GZIUS et ORELLIUS tenuerunt. Nam *venire* dici Epicuri scripta et ad legendum commendari probitate eius et moribus, quo sensu apud HORATIUM (Ep. II, 1, 75) versus unus et alter totum poema ducere et vendere dicitur, et per se ineptum est (quis enim post aliquot saecula propter Epicuri mores sibi ignotos scripta eius legebat?) et ab iis, quae sequuntur, et omnino ab eo, de quo agitur, alienissimum est. Sed ne *vincuntur* quidem rectum est; nam persona aut res *ab* alia vinci aliqua re dicitur, aut res aliqua ea re vinci et obscurari, quacum in certamen venire possit, ut virtus vitio; scripta probitate hominis vinci non recte dicuntur. Deinde, quod caput est, quae adiciuntur (*Nam ista cet.*), ostendunt hoc CICERO dicere, ipsa illa probitate vitae Epicuri redargui sententias eius; apparere enim, aliis rebus ad agendum homines natura impelli, quam quibus eos Epicurus impelli dicat. Itaque verissime DAVISIUS *convincuntur* scribi voluit, eadem prorsus sententia, qua § 81 dicitur: *Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio.* (Cod. Mor. *vaeneantur.*)

non invitatum) Sic primus VICTORIUS et deinde LAMBINUS. Confirmant mg. Crat., Pall. 1, 3, 6, [B,] Par. 2, El. uterque, CCC. (Oxx. U ψ *mutuatum*; GZIUS tacet.)

honesta et recta sint, ipsa esse optabilia per sese, cum videamus tanta officia morientis? 100. Sed ut epistulam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum, quamquam ea cum summa eius philosophia nullo modo congruebat, sic eiusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia iudico discrepare. Scripsit enim et multis saepe verbis et breviter aperteque in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum

1. sint om. LP sunt MR 2. tanta esse officia LMCROr. 3. quam om. C 4. ei (pro ea) E cum sententia LMR philosophi [A]LPMCR 5. nequaquam congruebat L testimonium C 6. a om. omnes. 7. enim multis et E 8. licenter (pro breviter) E aperteque [A]PMCROR. nominavi modo P 9. quid enim E

recta sint) Sunt etiam χ , Gud. 1, Bas., prave in hac oratione obliqua; peius Gzius Gud. 2 sequens verbum delevit. Tum tanta officia recte Crat. et Vict. et deinde Gruterus e Pal. 1, Davisius tacite. Significat enim: cum tam officiosas actiones morientis videamus. Erat esse in Oxx., Gzius e quattuor suis se id restituisse ait; dubito de Spir. [B omittit.]

100. summa eius philosophia) Cum ederetur: sententia eius philosophi, Vict. et deinde Grut. e Pal. 1 scripserunt summa, idemque notatur pro sententia in mg. Crat.; Gzius ex Erl. et Spir. [B] etiam philosophia restituit. Simile est summa res publica; contra summa philosophi alicuius vix recte dicitur. [Baiterus philosophiae, coll. § 86, ubi tamen paulo aliter intellegitur summa.] Paulo post a exciderat in archetypo (Oxx. ΕΥξψ, Gzii codd., [B.] edd. ante Manutium).

breviter aperteque) Recte emendator codicis L (et ed. Marsi); in ceteris omissa erat compendii nota (apte). Minime apte Epicurum dixisse, ipse Cicero ostendere conatur; sed sine involucris sententiam aperuerat. [Aperte Erl. et B, ut dubitatio omnis tollatur.]

in eo libro, quem modo nominavi) § 20; nam in dialogo vox modo recte refertur ad id, quod eodem sermone dictum est, etsi plura interiecta postea sunt. Ipsam secundam sententiam Graece ascripsi ad I, 40. E Gellio II, 8 intellegimus, eam quoque, quae sequitur, reprehensionem Ciceronem a Graecis transtulisse. Nam ibi Plutarchus, quem ipsum hoc a vetustioribus sumpsisse apparet, Epicurum reprehendisse dicitur, quod in hoc syllogismo non in prima parte posuisset: ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Non igitur notionem dissolu-

sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino. Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est, quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id
 5 eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum. 101. Sed tamen intellego, quid velit. Quaero autem, quid sit, quod, cum dissolutione, id est, morte sensus omnis extingvatur, et cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat,
 10 ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent, quod satis sit ad diem

2. omnino ad nos pertinere LMCR 3. quid ita E 5. huiusmodi C
 7. cum om. E extingvitur C 9. [sanciat A] sancitat E sentiat R
 10. [Aminomachus A] Antinomachus LPMCR ad (pro de) E 11. Hermarchi L Hermadii PMR Hermie C

tionis explicari debuisse Cicero dicit, ut interpretes reddiderunt et editores intellegere videntur (id enim esset: *quid sit esse dissolutum*), sed addendum fuisse, illud, quod dissolutum dicatur, esse animum et corpus morte seiunctum. Frigida haec cavillatio iure Gellio videtur. Sed ex Alexandri Aphrodisiensis annotatione ad Aristot. Top. I p. 7 (p. 253 ed. Berol. scholariorum Aristot.), quam post Muretum (Varr. Lect. XI, 16) Iac. Gronovius ad Gellium ascripsit, apparere videtur, nec Ciceronem nec Gellium satis intellexisse, quid in Epicuro reprehenderetur; hoc enim reprehendebatur, quod a dissolutione ad dissolutum iniuria transiret; neque enim, quod id, quod dissolutum esset, sine sensu esset, sequi, ut etiam ipsa dissolutio et mors fieret sine sensu. (Cfr., quae ipse dixi supra p. 83 ad verba *mors sensu careat*.) Tum ordo verborum a Gzio correctus est etiam e Spir. et Gud. 1, et erat sic in [A et B et] ed. Crat. Vulgo, ut in nostris quattuor. Vox *omnino* sic in extremum locum reici III N. D. 69 (*non adhibere omnino*) et Acad. II, 48 et alibi, Gzcius notavit.

101. *caveat et sanciat*) in testamento apud Diog. X, 18. Amynomachi nomen in Oxx. codd. similiter corruptum est atque in nostris deterioribus; recte mg. Crat. *Ad pro de* etiam Spir. [B]; sed *ad sententiam alicuius facere aliquid* non usitate dicitur. Lunares Atheniensium menses et dierum a nova luna progressum Cicero significavit (*lunae*). Iis, quae de his feriis vicesimae lunae collegit Menagius ad Diog., addendum Philodemi epigramma in Antholog. Palat. XI, 44.

agendum natalem suum quotannis mense Gamelione, itemque omnibus mensibus vicesimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur. 102. Haec ego non possum dicere non esse 5 hominis quamvis et belli et humani, sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse vult, putare ullum esse cuiusquam diem natalem. Quid? idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An eiusdemmodi? Ne id quidem, nisi multa annorum interces- 10

1. mense ganidipne PMCR 3. epulas eorum L secum una C 4. sunt E [et ut sui A] 6. quamvis om. PMCR belli humani E 7. philosophici LP esse (post ille) om. LMCR putari [A]ELMCR 8 verene (pro idemne) LPMCR 10. eiusmodi C nisi cum multa LMCRor. cum multa (om. nisi) P

102. *quamvis et belli cet.*) *Quamvis* habet iam Crat., tum Vict., e Pal. 1 et El. 2 Davisius. Accedit Spir. [B].

quem se ille esse vult) *Esse* omittunt etiam apud Dav. tres codd., Oxx. $\chi\psi$, Bas. et edd. ante Manutium. Nam cum omnes codd. (Davisiani praeter El. 1, Oxx. $E\chi\psi$, Gziani, [B]) habeant *putari*, id mendum effecit, ut *esse* in deterioribus codd. deleteretur (*quem se ille vult putari*); retinent id „quattuor optimi“ Gzii [B]. Posse dici: *quem se ille vult*, satis constat, nec mutabo, quod a codicibus confirmatur V, 13: *physicum se voluit*. Cfr. Tusc. V, 66, ubi optimi codd. consentiunt, de Divin. II, 118, Off. II, 78, de Orat. II, 246 (*qui se vult dicacem*), Top. 78 (*quales se ipsi velint*), de opt. gen. or. 6 et 15 (*qui se Atticos volunt*), Philipp. II, 14, IV, 6. Add. Lucret. V, 1120. Quod Klotzius ad Tusc. V, 66 idem genus loquendi esse ait, cum dicamus: *salvum se vult*, genere idem est; sed inclinatione quadam dicitur non de ipsius rei consequendae voto, sed de loco et nomine postulando et arrogando. [*Cupio me audacem* Philipp. II, 19.]

idemne) Sic Dav. ex El. 2 (cod. I. Fr. Gron. *itemne*); accedunt [AB.] mg. Crat. et Spir. et Gud. 1, postulatque descensus in verbis *an eiusdemmodi*. In Bas. et ed. Marsi Gzius ait esse: *verene idemne*; Marsus saltem *verè idemne*. Cur diiunctionem in particula *an* (tamquam optio detur adversario, utrum dicat Bremius non tulerit et *at* scribi maluerit, non intellego.

nisi multa) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B] ediditque Davisius. Non solum temporis definitioni, ante quod eiusdemmodi dies esse non possit (etsi ea accuratior est forma), sed etiam conditioni universe declaratae locus est; neque haec orationis

serint milia, ut omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. „At habetur.“ Et ego id scilicet nesciebam! Sed ut sit, etiamne post mortem coletur? idque testamento
 5 cavebit is, qui nobis quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere? Haec non erant eius, qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset. Num quid tale Democritus? Ut alios omittam, hunc appello, quem ille

1. et omnium C 2. nullius F 3. et (pro at) E [scilicet om. A¹]
 ego scilicet id LPMRor. scil. ego id C 5. vobis E post mortem transp.
 post pertinere [A](P), post nos R 7. esse E 8. [hora A] extremitas
 quam mente non L num quod E talis C 9. ut om. E

forma necessario significat, dubitari, an numquam id futurum sit. Cfr. ad § 74. Apparet, significari magnum illum annum sive mundanum. quem veteres quidam praeunte Platone (Tim. p. 39 D, Cic. de Univ. c. 9) commentari erant, duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor annos solares complectentem, qui tum effici putabatur, cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparisonem (id est, ad eandem inter se locorum et intervallorum rationem) confectis omnium spatiis esset facta conversio; (Cic. N. D. II, 51; add. fragm. Hortensii apud scriptorem dialogi de Orator. c. 16 et somn. Scipion. § 24 Or. Aliorum scriptorum locos Lindembrogius ad Censorin. c. 18 collegit). *Ad unum tempus est: uno et eodem temporis puncto.*

id scilicet nesciebam) Cur igitur tantis physicae doctrinae ambagibus Epicurum ad communem morem et opinionem se accommodantem impugnas, ac non id agis paucis, quod agendum est, de vanitate hominis? [*Id scilicet* etiam A² et B edideratque Gruterus ceterique ante Gzium.]

qui nobis) Manutii et deinceps alii quidam (Grut.) tacite vobis scripserunt; alterum Davisius e tribus Parr., Ball., Mead. (Eξχψ), Gzium e „trinis“ suis restituerunt. Codicum exiguum in hac re momentum est. Sed Cicero Epicurum irridens commodius sic loquitur, tamquam hoc ille oraculum omni hominum generi ediderit. (*Post mortem ad nos pert.* Gzii omnes [B]; ut R, edd. aliquot ante Grut.: is tacite: *nihil ad n. pert. p. mort.*)

mente peragravisset) Opinor, Ciceroni obversatum aut Graeci scriptoris locum similem Lucretiani in libr. I v. 74 sqq. (*omne immensum peragravit mente animoque*) aut hunc ipsum Lucretianum, quem legerat (ad Qu. Fr. II, 11, 3).

unum secutus est. 103. Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquires, fieri sapiens, nisi natus esset. Isto modo

1. quid E eumque E 3. esset. Et isto omnes, Or.

103. Quod si dies notandus fuit, eumne potius) Plane memorabile exemplum hoc est orationis sic structae, ut posterior pars non ad prioris formam, sed ad aliam idem significantem accommodetur; nam ex illo notandus fuit sumitur notari oportuit. Similiter in Laelio 74 ex gerundivo non eiusdem verbi infinitivus, sed sola significatio verbi oportet ad alium infinitivum auditur: *Omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingenis et aetatibus iudicandae sunt, nec, si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios (oportet), quos tum eodem studio praeditos dilexerunt.* Eadem ratione haec Quintilianus scripsit IV, 5, 20: *Quaedam interim nos et invitis litigatoribus simulandum est dicere (quod Cicero pro Cluentio facit circa iudiciariam legem), nonnumquam, quasi interpellamur ab iis, subsistere (oportet); saepe avertenda ad ipsos oratio cet.* (Nam *subsistere nos* non simulamus, sed vere subsistentes simulamus nos interpellari.) [Itaque etiam apud Cic. de Inv. II, 130 vix recte additum est coniectura *oportebit.*] Item Varro R. R. III, 9, 8: *In cubilibus, cum parturient, substernendum acus; cum pepererunt, tollere substramen et recens aliud subicere.* [Celsus Medic. III, 7, 1: *parcius in his agendum est, non facile sanguinem mittere, non cet.* Apud Livium quoque XXVI, 32, 2 ex gerendum fuisse in altero membro ad *recipi, capi* cet. audiri debuisse, Wesenbergius nuper docuit.] Similiter Graeci interdum, posito suo illo gerundivo (in τέρων), in altero membro infinitivum ponunt, tamquam praecedat δεῖ; vid. (quos Klotzius ad Lael. citavit), Plat. Crit. p. 51 C ibique Buttmannus, Gorg. p. 492 D ibique Heindorfius, et quae Struvius in Seebodii et Friedemanni Miscell. Crit. II p. 238 protulit.

Isto modo) Recte et, quod praeponeretur, Manutius et Lambinus sustulerunt; neque enim in hac refutatione, cum demonstratur, quid cum aliqua re coniunctum sit, aut copulativae particulae locus est aut quidquam verbis isto modo praeponi potest; cfr. § 23: *isto modo ne improbos quidem, si essent boni viri.* (Anima pro avia, excepto Marso, fere edd. ante Vict., χψ; avia mg. Crat.) Mox in gravi comprehensione et conclusione (*Res tota*) non admodum desideratur est, quod fuerunt qui addi vellent. *Facetorum* mg. Crat., Man., Lamb., Grut., Dav. tacite (*Spir. factorum; ceteri Gziani, Eψ facetosam, χ factiosam*).

ne si avia quidem eius nata non esset. Res tota, Torquate, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis et in quantam hominum facetorum urbanitatem in-
 5 curratis, non dico; nihil opus est litibus; tantum dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illius testamento cavere, ut ageretur.

XXXII. 104. Sed ut ad propositum revertamur (de dolore enim cum diceremus, ad istam epistulam delati
 10 sumus), nunc totum illud concludi sic licet: Qui in summo malo est, is tum, cum in eo est, non est beatus; sapiens autem semper beatus est et est aliquando in dolore; non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem
 15 non oportere? Primum in nostrane est potestate, quid meminerimus? Themistocles quidem, cum ei Simonides an

1. anima LMCR 2. dictorum E 4. facetosam PMCR incurrat E
 6. fuisse om. E verum P agi R illam LPMR illum C 8. revertamur
 om. [A]E 9. dilati E 11. iste (pro is tum) [A²]ELPMCR 13. est ante
 igitur om. L 15. potestate est ELPMCRor. quod E 16. aut (pro an)
 LPMCR

magis fuisse vestrum cet.) Verum Parr. 1, 3 Dav., Gud. 2, ed. Vict., agi Bas. et Gud. 1, illam (pro illius) aut illa Pall. praeter 1 et 6, illam Parr. 1, 3, Ox. U, illum fere edd. ante Gruterum.

Cap. XXXII, 104. Sed ut ad propositum cet.) Revertamur omittit etiam Pal. 1 [et B, id est, boni]; non puto sic post ut in sententia interposita abesse posse. Deinde totum id „tres optimi“ Gzii; non Erl. quidem [nec B]. Is tum edidit Lambinus, tum e Pal. 1 (istum) Gruterus; mendosus etiam Spir. [B]. [Mox est potestate restitutum ex A.]

Simonides an quis alius) Sic iam Crat., Man., tum e Pal. 1 Dav. Accedit etiam Spir. [B]. Exempla Ciceroniana huius generis collegit Handius Turs. I p. 300 (ad Fam. VII, 9, 3, ad Attic. I, 3, 2, II, 7, 3, VII, 1 extr.), quae eiusmodi sunt, ut non tam ex disiunctiva interrogatione orta videri possint (dubium, Sim. an quis alius) quam orationi declarative de uno coeptae (cum ei Simonides polliceretur) subsequens dubitatio annexa interrogando (an quis: oder war es vielleicht). [Alteram tamen originem significat locus ab Handio omissus, Acad. II, 63: iocansne an ita sentiens et posteriorum usus (vid., praeter Plin. Ep. V, 4, 2, quem Handius citat, Tac. Ann. XII, 67,

quis alius artem memoriae polliceretur, Oblivionis, inquit, mallet; nam memini etiam, quae nolo, oblivisci non possum, quae volo. 105. Magno hic ingenio; sed res se tamen sic habet, ut nimis imperiosi philosophi sit vetare meminisse. Vide, ne ista sint Manliana vestra aut maiora etiam, si imperes, quod facere non possim. Quid, si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? ut proverbialia nonnulla

5. *vides LMC sint om. P sint ista L nostra LPMR* 6. *possum E quod C*

Hist. IV, 47, Svet. Galb. 12).] Quod legitur de R. P. II, 28 (*an certe Pythagoreum*), iure dubium Handio visum est; nam et *certe* ab hac forma abhorret et inducitur in interrogando falsa diiunctio; nec ibi ulla est declaratio, cui dubitatio annectatur. Quod est de R. P. I, 18: *uno an altero spatio*, Handius p. 302 vindicat comparato Ovid. Fast. II, 392, loco incertissimo; accedit, quod et saepe *unus aut alter* Cicero et alii dixerunt et haec dubitandi forma ad illam parvi numeri significationem parum apta videtur. Recte Handius p. 308 addit Brut. 89 (*paucis, antequam mortuus est, diebus an mensibus*); addere debebat etiam ad Attic. XI, 6, 7; nam quod ipse defendit sequiturque Orellius: *an euntem? an iam in Asia?*, Cicero scribere non potuit, qui numquam dixerit: *quaero, an*. Et frustra interpungendo obscuratur aperta diiunctio, si auditor, ut illi volunt, *quaere (utrum euntem, an iam in Asia)*. De loco, quem in ep. ad Att. II, 6, 1 huic similem Handius putat, non minus graviter errat quam ceteri; verum est enim, quod omnibus litteris habent codices (nisi quod *quin* pro *qui*): *qui* (quippe *qui*) *etiam dubitem, an hic Antii considam*. Epistulam Cicero scripsit in Antiati; itaque dicit animum suum interdum eo inclinare (*dubito, an*), ut *hic Antii considat*, in quietissimo municipio. Ut ad rem redeamus, etiam II de Orat. 299 et 351 Cicero significat, in hac de Themistocle fama non certam sedem habuisse Simonidis, ipsius artis inventoris, nomen. Cfr. Acad. II, 2.

105. *ne ista sint Manliana vestra*) Cum et praecederet *imperiosi* et sequeretur *si imperes*, poterat Cicero haec sic universe eloqui, nullo addito substantivo. *Nostra* etiam Oxx. quattuor. De Manlianis imperiis, quae in proverbio erant, vid. Liv. IV, 29, VIII, 7; cfr., quae ad § 60 dixi. Pro *vide* ceteri quoque deteriores codd. (Oxx. omnes et Bas.) *vides*. Paulo ante Gud. 2 *se res tamen*, Gud. 1 et Bas. *res tamen se*, Oxx. Eξ om. *se*. Paulo post etiam Pal. 1 [B] et quattuor alii Pall., Uχψ *iucunde*.

veriora sint quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur: Iucundi acti labores; nec male Euripides (concludam, si potero, Latine; Graecum enim hunc versum nostis omnes):

Svavis laborum est praeteritorum memoria.

- 5 Sed ad bona praeterita redeamus. Quae si a vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus tropaeorum recordatione levaret dolorem suum, audirem et plane probarem. Nec enim absolvi beata vita sapientis neque ad exitum perduci poterit,
10 si prima quaeque bene ab eo consulta atque facta ipsius

2. iucunde omnes 3. nostis om. E 4. memoria est praeteritorum E svavis est lab. praet. mem. LPMC svavis est pr. lab. mem. R 5. videamus P mg. 6. qualis C [gatus A] gravis (pro C.) E 7. paludem L [dimersus A]

concludam) numeris, ut Horatius *concludere versum* dixit. Cum *nostis omnes* Cicero dixit, oblitus videtur, quot sermoni interesse finisset; nam quod Gzius intellegi vult: *vos omnes Epicurei*, cur illi versum suae sententiae plene contrarium praeter ceteros memoria retinerent, nulla causa erat. Versus est ex Andromeda: Ἀλλ' ἤδ' τοι σωθέντα μὲνῆσθαι πόνων, notus ex Stobaeo, Plutarcho, aliis. [Nauck. Fragm. Trag. Gr. p. 317.] *Svavis laborum est*, recto versu, iam Crat., deinde Grut. e Pal. 1; accedit cod. Mor. (Gzius tacet.) [B ut Erl.]

prima quaeque) ita ut, quodcumque, priore dempto, ipsum primum factum sit, continuo ipsum quoque obruat, id est, aliud super aliud continuo ordine et, ut nos loquimur, unum post alterum. Proprium et usitatum genus loquendi mire ignorarunt multi, ut editores recentiores librorum de N. D. praeter Orellium, hic post paucos versus Davisius et Gzius, nec pauca, quae in lexicis ponuntur, exempla recte explicantur (a Schellero p. 8463 inaa, a Forcellino III p. 490 summa). [Freundius III p. 1147 unum habet et prave vertit.] Ascribam igitur plenius: de Inv. I, 33 (ut *prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur*, et paulo post: *ad primam quamque partem primum accessit*); Acad. II, 49 (*huc si perveneris, me tibi primum quidque concedente*); de N. D. I, 77 (*primum igitur quidque consideremus*); ibd. III, 7, de Divin. I, 127, ad Fam. XII, 1, 1; (quod ad Fam. VIII, 8, 8 in SCTo legitur, minus huc pertinet; est enim: „quo ordine quique primi praetores fuissent“). Eodem modo dixit scriptor rhet. ad Herenn. III, 37: *ut identidem primos quosque locos — animo pervagemur*, et Lucretius I, 389, V, 291 et Curtius IV, 2, 8 (cap. 8 Zpt.), ab Orellio alicubi citatus. [Varr. R. R. I, 55, 5, Liv. XXXI, 1, 5,

oblivione obruentur. 106. Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intellego, cur Ari- 5 stoteles Sardanapalli epigramma tanto opere derideat, in

1. *obruerentur* [A]EC 2. *beatam vitam* LCR 3. *omnis voluptas animi* E 4. e om. E 5. *etiam si* LPMCR *non delectat non* L 6. *Sardanapalli* (LP)CO^r.

Senec. de Brevit. Vit. 9, 1, Quaest. Nat. II, 28, 2, VI, 17, 2: *primas quasque aquas explicat*, id est, aquas sensim; Plin. Epist. VIII, 4, 6. Attigit hoc loquendi genus eodem, quo ego, tempore Haasius in not. 362 ad Reisigii scholas de gramm. Lat.] Lucretius alibi eodem significatu dicit *primum quidquid*, ut V, 264 (*primum quidquid aquae*), 284 (*primum quidquid fulgoris*), 304 (*primum quidquid flammaram perdere semper*); nam *quisquis* apud eum, saltem neutro genere, saepissime pro *quisque* dicitur. [Eodem modo *proxima quaeque* dicuntur, hoc est, omnia sensim propinquitatis ordine, Liv. XXXIII, 12, 11, Ovid. Trist. V, 2, 39; plene Cicero *antiquissimae cuique primum* ad Att. IX, 9, 1.]

oblivione obruentur) *Obruerentur* [etiam B] pars vett. edd., Vict., Grut.; *obruentur* (ut habent Man., Lambin., recentiores inde ab Ern.) Davisius profert ex CCC et Mead., Oxx. ex Uψ, Gzius etiam e Spir. (?) et Gud. 1.

106. *vitam beatam*) Sic Gruterus [ex A] et recentiores tacite; *beatam vitam superiores*.

si etiam praeterita) Sic [AB.] Lambinus et recentiores tacite, nisi quod *etiamsi* in tribus suis esse Gzius annotat.

Sardanapalli epigramma) quod monumento in urbe Nino inscriptum fuisse Chaldaicis litteris dicitur; Graecis versibus sex quinque expressum apud multos scriptores legitur, quos enumerant Dav. ad Tuscul. V c. 35 et Naekius, qui totum locum de monumentis Sardanapalli post Buherium pertractavit, in libro de Choerilo Samio (Lips. 1817) p. 196 sqq. Tribuuntur enim versus Choerilo, qui, si quidem Aristoteles de eius versibus tamquam vulgo notis disputavit, Samius fuisse videtur. Naekius tamen, cum incertum sit, Aristotelesne Choerilo tribuerit, multaque alia dubia, duos celebratissimos versus, quos Aristoteles (incertum. ubi) commemoravit, incerti poetae vetustioris fuisse putat, ceteros Choerili Iasensis, qui Alexandrum comitatus est. Duo illi versus hi sunt: *Κεῖν' ἔγω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπην' ἔπαθον*,

quo ille rex Syriae gloriatur, se omnes secum abstulisse libidinum voluptates. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur, quomodo id mortuo potuit permanere? Fluit igitur voluptas corporis
5 et prima quaeque avolat, saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi. Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens:

Desine, Roma, tuos hostes —

1. *Assyriae* C se om. [A]L *abstulisse* transp. post *voluptates* [A]LPMCROR. 2. [„Verba inquit diutius sent. pot. in A vix legi possunt.“] 3. *potuit* E *poterat dum vita fruebatur* LPMCR 4. *potuit mortuo* [A]LPMCROR. *permanere etc.* (compendium) *igitur* E (littera prima in *igitur* solito maior) 5. *prona quaeque* M *avolat* (LMC *advolat*) *ut aiebat* LMCOR *ut aiebat saepius rel.* om. *avolat* P (mg. *prima quaeque aiebat saepiusquae*) *causas* P (pr. m. *causa*) CR [*penitendi* A]

τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λείπεται (alii habent σὺν ἔρωτι et λέλυνται), quos Cicero in Tusculanis Latinos fecit.

rex Syriae) *Assyriae* ex C venerat in Manutianam et propagatum est, donec Davisius ex tribus codd. *Syriae* restituit, quod Oxx. Εχψ, Gziani omnes habebant. Et Graecos et Latinos saepissime Syriae nomine de Assyria usos esse ostenderunt Davisius et Buherius ad Tusc. l. c., Graevius et Oudendorpius ad Svet. Iul. 22.

quam dum fruebatur) Sic Manutius et Lambinus et deinceps omnes tacite, nisi quod Oxx. χψ om. *quam*, EUξ addunt *vita*. Verum cum [AB] Erl. confirmat cod. Mor. In *abstulisse* et *mortuo potuit* omnes tacite ut mei deteriores. [B ut Erl.]

prima quaeque avolat) Quid hoc sit, explicatum est. Generali significationi voluptatis fluentis et instabilis addit Cicero imaginem specialiolem. *Prona* pro *prima* etiam El. uterque (?), Par. 2, CCC (ξ), Mead., Ball. (ψ), Ox. χ, tres Gzii (deteriores, ut apparet), edideratque olim Vict., nuper Gzius (qui „editos veteres plerosque omnes“ sic habere falso narrat); *quamque* videtur putare esse *omnem*; quid putarit esse *pronom avolare*, nescio. Aliter aberravit Dav. Deinde additamentum illud *ut aiebat* (ortum, ut P ostendit, ex ipso *avolat*) habent edd. ante Lamb., codd. Pall. praeter 1 et 3, Mead., Oxx. omnes, duo Gziani. Omittit cum ceteris bonis Mor. [B]. (*Advolat* Oxx. omnes.)

causam paenitendi) Sic etiam Pal. 1 et [B et] cod. Mor., Gzii omnes, nisi quod Gud. 2 *tam* (e compendio *cām*). Ceteri et edd. ante Davisium *causas*.

Desine, Roma, tuos hostes) Haec versus pars citatur etiam

reliquaque praeclare:

Nam tibi moenimenta mei peperere labores.
Laboribus hic praeteritis gaudet, tu iubes voluptatibus, et
hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam rettulerit ad
corpus, tu totus haeres in corpore. 5

XXXIII. 107. Illud autem ipsum qui obtineri potest,
quod dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad cor-
poris voluptates ac dolores pertinere? Nihilne te delectat

2. *namque* [A]LPMCR *monimenta* [A]E *monumenta* ceteri *munimenta*
Or. [repperere A] *reperere* PMR *reperiere* L 3. et om. LPMCROr.
4. nihil om. EC *numquam* C [retulerit A] *retulerat* C 6. *optinere* E
7. *ad corporis* — *dolores* om. E *ad corpus*, om. *vol. ac dol.*, R 8. *Nihil*
tene EOr.

III de Orat. 167. Videtur cum proximo ex Ennii annalibus
esse; nam Scipio Ennii totus versibus tetrametris trochaicis
scriptus fuisse videtur, etsi de eo aliter nonnulli statuunt.
[Quod Vahlenius, Enn. poësis reliqu. p. 157, ad satiras rettulit,
minime constat haec ex eodem poemate sumpta esse, ex quo
ea, quae de Or. simul afferuntur: *Testes cet.*] Verbum, quod omis-
sum est, timendi significationem habuit. Nam quod Scaliger
postes scribi voluit (*ornare tropaeis*), causam non habet.

Nam tibi moenimenta) *Nam* pro *namque*, quod tacite omnes
ante Gzium ediderant, etiam Spir. [non B]. Eo certior est Mureti
emendatio (Varr. Lectt. XI, 1), quam Gzium secutus est, res-
tituentis: *Nam tibi munimenta*, quod postulat superioris versus
sententia. *Monimenta* etiam Gziani. [B *monumenta*. *Moenimenta*
Klotzius.] Pro *peperere* etiam ψ et tres Gzii *reperere* (*repperere*),
E ξ *repetere*. [Mox et ante hic restitutum ex AB \bar{E} rl.]

rettulerit ad corpus) Coniunctivus ex adversativa signifi-
catione ortus videtur (*ex quibus tamen*). Rarius hoc est in eius-
modi sententia relativa, quae simul generis definitionem contineat
(*ea, e quibus*); sed tamen similiter § 102: *cavebit is, qui nobis*
quasi oraculum ediderit cet. et IV, 57: *nec minoris aestimanda*
ducebat ea, quae ipse bona negaret esse; [Act. I in Verr. 11:
eum, cui legatus fuisset. in invidiam adduxit]; cfr., quae dixi ad
§ 15. Ernestius probabat *rettulerat*, secutique eum alii. Ad
praesens (*revocat*) aptius esset *rettulit*.

Cap. XXXIII, 107. *ad corporis vol. ac dolores*) Haec verba
e Gzianis unus Gud. 1 servabat; aberravit librarius is, a cuius
codice Erl. et Spir. [B] orti sunt, in voce *dolores*, idemque
accidit in uno et altero deteriorum; deinde in R additum *ad corpus*.

Nihilne te) Ut Erl., etiam Spir. [B] ediditque Gzium, quod
si sequimur, statim Torquatus ab aliis seungitur.

umquam (video, quicum loquar), te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est; haec leviora ponam: poëma, orationem cum aut scribis aut legis, 5 cum omnium factorum, cum regionum conquiris historiam, signum, tabula, locus amoenus, ludi, venatio, villa Luculli (nam si tuam dicerem, latebram haberes; ad corpus diceres pertinere) — sed ea, quae dixi, ad corpusne refers? an est aliquid, quod te sua sponte delectet? Aut pertinacissimus

1. *inquam* R 3. *antea* E 4. *poëma ponam* [A]E *poëma* om. P *aut cum scribis* E 5. *factorum aut regionum* E 6. [*amoenus* A] *venationes* E [*Lucilli* AE] 7. *dicere* (pro *diceres*) E

haec leviora ponam, poëma cet.) Orationis formam, quod sequuntur nominativi (*tabula, locus* cett.), contra Davisium, qui ponantur scribi voluerat, et editores iure defenderunt et Matthiaeus in disputatione de anacoluthis Ciceronis. Non subicitur haec enumeratio voci *ponam*, sed nova instituitur sententia, in qua primum actiones describuntur, deinde res nominibus appellantur; ea cum interrupta esset parenthesi (*nam si* cet.) et deinde oratio redintegrata (*sed ea*), non succurrebat orationis exitus, qui ad praecedentes nominativos aptus esset; itaque *ea* Cicero accusativum fecit, ut nominativi pendeant. Simillimus locus, durior etiam, quod tantum brevissima sententia relativa orationis cursum impedivit, legitur III, 11; illud autem, quod III Tusc. 16 ponitur, iam plane neglegenter scriptum est. Utrumque locum advocavit Bremius, sed alia admiscuit, hinc aliena, quod fecit etiam Matthiaeus, qui *poëma, orationem* similiter pendere voluit, quae ad *scribis* et *legis* pertinent. Nam accusativos et nominativos sic permiscere balbutientis esset, non orationem declinantis. Addo II Tusc. 16 (*Ergo id, quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit, — in eo* cet.), ubi Handius et Moserus, cum interpungendo tollere anacoluthon vellent, sententiam sustulerunt, et ad Att. XV, 3, 1. Voces *ponam poëma* etiam Pal. 1 invertit [et B], casu, opinor, in simillimis litteris. Nam si quis *ponam* subditivum putaverit, dure haec coniungentur: *haec leviora, poëma, orationem cum aut scribis* cet.. maxime in particula *cum*. Quae sequuntur de conquirenda historia, Torquati studium significant, quod I, 25 tangitur. Luculli villam Tusculanam (III, 7) aliasque (*villarum magnificentiam*, Off. I, 140) fama satis nobilitavit. [Mox aut cum etiam B. Tum *hominum facta* Bakius, violenter; ac ne sic quidem

fueris, si perstiteris ad corpus ea, quae dixi, referre, aut deserueris totam Epicuri voluptatem, si negaveris. 108. Quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi quam corporis, quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem praesentia solum sentiantur, qui id probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipse gaudeat? [Animo voluptas oritur propter

1. [si hi (vel in) perstiteris A] si prostiteris E si in eo perstit. LPMCRor. 3. vero om. E late (pro a te) LPMCR 4. animus particeps LR 5. fit LMCR quid probari [A]PMR quid id prob. E qui prob. LCor. 6. et is E aliquid gaudet Or. plus — gaudeat om. [A]LPMCR 7. Animi COR.

apte hominum facta cum regionum historia componuntur. Vellem liceret facere hominum clarorum.]

si perstiteris — referre) [Secutus sum nunc cum Baitero Erl. et B. Nam in eo apparet corrigendo natum ex eo, quod in A obscure scriptum est. id autem ipsum (si hi) ex geminatione quadam litterarum potest ortum esse. Persto facere neque apud Ciceronem neque apud alios eius aetatis prosae orationis scriptores nunc legitur, sed apud poetas et Tacitum; verum dixit Cicero non minus insolenter insto facere (Verr. III, 136). Restat alia offensiuncula, quod ad negaveris requiritur accusativus cum infinitivo (te referre), ut ea orationis et sententiae forma praecedere debuisset videatur. Persto in eo — referre, quod e deterioribus codd. propagatum est, Latine dici nequit; multoque minus post perstiteris in eo audiri pronomen, ut sit perstiteris in eo, te — referre. Antea secutus eram Lambini et Ernestii coniecturam: si in eo perst., ad c. ea — referri. Sed in eo auctoritatem infirmissimam habet.]

108. a te) Late ξχψ, Gud. 1, Bas., edd. vett., excepto Marso, ante Manutios. Itaque a te notatur in mg. Crat.

qui id probari potest, ut) [Hoc iam antea dixeram fortasse efficiendum e cod. Erl. scriptura; idem significat quid (Pall. et Oxx. Εξψ) estque ipsum in B. Addito id lenitur etiam ut subiectum verbo probari, cum simul ad pronomen referatur.]

gaudeat, plus quam ego ipse gaudeat) Non solum in deterioribus codd. omnibus (Pall., Davisianis, Oxx., Gzii praeter Erl. et Spir.), sed etiam in Pal. 1 et [B et] El. 2 exciderunt verba plus — gaudeat. Restituisse ea videtur Vict., annotata iam in mg. Crat. Sed Gziius priore loco e Spir. posuit gaudet. Si ita in Spir. erat, mendum id fuit. [B gaudeat.] Nam et oratio coniunctivum (in generali notione sententiaeque pendente) postulat et in gaudeat bis posito aberravit librarii oculus, cum illa, quae dixi, verba omisit. (Veteres quaedam edd., ut Marsi et Crat., haec

voluptatem corporis, et maior est animi voluptas quam corporis; ita fit, ut gratulator laetior sit quam is, cui gratulatur.] Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, cum maximas animo voluptates percipiat omnibusque par-
5 tibus maiores quam corpore, quid occurrat, non videtis.

2. *sit* (pro *fit*) E *qui* (pro *cui*) E 3. *gratuletur* (P)CO^r. 5. [*maioris* AE] *corpore* — *maiores quam corporis* om. M *quod occurrat* E

sic interpolata habent: *qui propter me aliquid gaudeat, gaudeat animo, si voluptas animi, ut dicitis, oritur* cet.)

Animo voluptas — gratulatur) Haec verba non immerito Bremio (qui tamen etiam superiora: *ut is — gaudeat* damnabat), Matthiaeo recentioribusque editoribus spuria visa sunt; Gzius et Otto sustulerunt. Nihil enim continent nisi explicationem eius similitudinis, qua Cicero usus est, animum propter corpus gaudentem cum homine propter alterum de aliqua re gaudente comparans, in syllogismi formam putide ita redactam, ut animus gratulator fiat corporique gratuletur; eaque explicatio ne coniungitur quidem cum reliqua oratione; debebat enim saltem dici: *Animi enim voluptas* cet. Accedit vocabulum *gratulator* apud neminem alium scriptorem Latinum positum, cuius fingendi nulla omnino hic necessitas erat. Tum perpetuus Ciceronis usus postulabat, ut *animi voluptas* diceretur; sed *animo* summo codicum consensu confirmatur (mg. Crat., Pall., [B.] Davisianorum, Oxx., Gzianorum omnium); *animi* ex ed. pr. ad Manutianam et ceteras propagatum est praeter Davisianam. *Gratulatur* pro *gratuletur* etiam [AB.] Parr. 1, 2, Mead., El. 1, γ, Gziani, [quod nunc restitui cum Baitero]. Tenemus igitur h. l. eius generis additamentum, de quo in Opusc. Acad. I p. 148 dixi posteaque simillimum huic exemplum in II Legg. 48 coargui (Opusc. II p. 155), annotationem, qua Ciceronis sententia explicatur et aliter conformatur, ipsius verbis admixtam iam in eo codice, ex quo omnes nostri ducti sunt. Alia plurimum verborum additamenta, quae iam in eo fuerunt, arguentur III, 22 et 35 et V, 21. (Quae praeterea in his verbis Gzius reprehendit, recte habent.)

omnibusque partibus maiores) Sic Latini loquuntur, cum id significant, quod Germanis est: *unendlich grösser*. Est enim quasi ultimum et extremum eius multiplicationis, qua *multis partibus maius* aliquid dicimus (*vielmal*). Schellerus (p. 7459) praeter hunc locum citat huius operis V, 93, sed minus recte interpretatur. Adde de Invent. I, 58: *omnibus partibus commodius*. Eodem modo dicitur Off. III, 35 *omni pondere gravior quam reliqua omnia*.

Animi enim dolores quoque percipiet omnibus partibus maiores quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse; nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis umquam. 109. Quare aliud aliquod, Torquate, hominis summum bonum 5 reperiendum est; voluptatem bestiis concedamus, quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid, si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore, ut in gignendo, in educando perfacile appa-

1. *quoque dolores omnes*, Or. 2. *corpore C est om.* L 4. *omnia om.* LP *refertis* ELC *referatis* R 5. *aliquid omnes*, Or. *reperiendum est summum bonum* L 8. *quaque* [A]E

quid occurrat) Paulo insolentius dictum de eo, quod ex altera parte obsistat et obiciatur; cum tamen *occurrant omnia*, in quae incidimus, et cum *occurrere atque obsistere consiliis alicuius* dicatur (in Catil. III. 17) et similia, non erat, cur Ernestius de veritate scripturae dubitaret.

Animi enim dolores quoque) Correxì, quod perspicue mendosum erat; nam cum voluptatibus animi contrarii ponantur dolores, huic vocabulo necessario subiciendum erat *quoque*, cuius particulae a librariis transpositae exempla aliquot indicavi in Opusc. Acad. I p. 181. [Cfr. Wesenbergii Emendatt. Epist. Cic. I p. 36.] Accedit, quod vox *quoque* ita adhaeret principali, quam sequitur, ut ab ea non divellatur alterius particulae interposito, sed in tali concursu priore loco sit; itaque scribendum erat: *animi quoque enim*. Apud Ciceronem ubi *enim* et *quoque* concurrant, nunc non memini; apud Livium saepe (II, 18: *id quoque enim*, III, 50: *illis quoque enim*. XXIII. 12, XXVII, 22, XXX, 1, XXXIII, 30, XXXVI, 27; notavit Kreyssigius in Nov. Annal. Philolog. Supplem. vol. I p. 53); sed apud Ciceronem eodem modo scribitur (Div. in Caec. 32): *huius quoque igitur*, non: *huius igitur quoque*. [Apud Varronem *illic quoque enim* scribitur L. L. V p. 30 Bip., in eo quoque enim IX p. 130.]

109. *aliud aliquod*) Sic recte Lambinus; vid. ad I, 18. [*Refertis etiam* B, non A.]

partim indulgenter vel cum labore cet.) Neglegenter Cicero partes et membra sententiae distribuit. Nam illud, multa bestias facere, duce sua quamque natura, non plenum est; addi enim debet, qualia faciant. Sed hoc, quod universe dici debuit (*ex quibus appareat, aliud quiddam iis propositum esse, non vo-*

reat, aliud quiddam iis propositum, non voluptatem? partim cursu et peragracione laetantur; congregacione aliae coetum

1. quoddam MC is C his ER *turtures et* (pro *partim*) LPMR *cicures et C* 2. et om. E *peregrinatione* LPMCRor. *alia C* [cetum A] *rerum C*

luptatem), subiecit primo membro partitionis (*partim indulgenter vel cum labore, ut cet.*). Poterat hoc aliquo modo differri, etsi post illud *multa faciunt* expectabatur, sed primo membro separatim non recte subicitur, ceteris membris non eodem modo conformatis. Nam in primo membro, posito adverbio *indulgenter* et accommodato ad generale verbum *faciunt*, Cicero directo unius virtutis similitudinem in bestiarum actione significavit, eam autem actionis earum partem, in qua indulgentia appareret, in sententia subiecta quasi exempli loco posuit (*ut in gignendo, in educando appareat*); in proximis ita ipsam actionem specialibus verbis describit, ut non statim appareat, saltem non dicatur, quae sit in ea virtus virtutisve similitudo (*partim cursu et peragracione laetantur cet.*). Offenderunt haec editores aliquot, et merito; (nam Gzcius et Otto ideo omnia praeclare habere putant, quod ad difficultatem intellegendam torpent); corrigere iniuria conati sunt, nec res processit; nam parti incommodi subveniunt, partem relinquunt aut augent, ut Pearcius et Ernestius, qui scribi volunt: *partim indulgent labori in gignendo, in educando, ut perfacile cet.* Violentiam correctionis omitto; illud etiam, quod *indulgere labori* poëtica dicitur et alio significatu; sed hi, dum in primo membro ipsam actionem eodem modo significari volunt, quo in proximis, prorsus intolerabile efficiunt illud, quod sic plane separatim dicitur: *quid, si etiam bestiae multa faciunt?* Deinde non tollunt inaequalitatem eam, quae ex eo oritur, quod primo membro adiciuntur illa: *ut perfacile cet.* Mihi ipsi aliquando, cum nondum satis perspicirem, quot festinantis stili indicia hi libri haberent, in mentem venerat: *Quid, si etiam bestiae multa faciunt — partim indulgentes vel cum labore cet.*, ut hoc de indulgentia erga partum (intellegebam enim, quae nata essent) communiter de omnibus diceretur, deinde separatim: *partim — aliae.* Nunc et alia in hoc conatu improbo et intellego, sic tolli generale exordium sententiae de universa bestiarum actione. Commemoro tamen, ne alii similia quaerant. *partim cursu*) Sic praeter Erl. etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor., edd. inde a Gronovio. Deteriores aliorum interpolati ut nostri; *turtures et*, ut fere antea edebatur, Pall. tres, Ox. U (Eξ *et turtures*), *cicures et* duo Pall.. χψ. Dav. tacet, Gzcius eadem in suis fuisse dicit. Deinde *peragracione* erat etiam in [B et

quodam modo civitatis imitantur; 110. videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam; in multis etiam desideria videmus; ergo in

2. *volucrum* [A]LMCR *voluerunt* E 3. *disciplinam videmus* CO. *erunt* (pro *ergo*) in *bestiis erunt* E

mg. Crat. et cod. Mor., id est, in melioribus; (Gzius tacuit de Erl. non minus quam de Spir.); recepi, etsi, ut *peragrarare* accusativum habere solet. sic *peragratio* ad certum aliquem locum referri debere videtur; sed tamen *peragrarare* Cicero sine accusativo posuit pro Mil. 98; [simillimeque, etsi *lustrare* semper dicitur addita loci significatione, *lustratio* absolute ponitur Tusc. V, 79, N. D. I, 87]. Cicero non tam eas bestias significat, quae peregrinantur in alias terras (quod fere coetu civitatem imitante fit), quam eas, quae huc illuc dispersae et sine coetu vagantur.

110. in *quodam volucrium genere*) *Volucrium* primus Lambinus e Charisio p. 119, qui sic Ciceronem in hoc opere scripsisse testatur; *volucrum* etiam Oxx. quattuor, Gziani omnes. [B ut Erl.] Ceterum hinc ortum in deterioribus codicibus paulo ante turturum nomen putaverim. Sed ut de certo quodam genere Ciceronem locutum esse apparet, ita, quodnam significet. incertum est; nam in pluribus generibus eiusmodi indicia sunt. Adeo hoc obscure scriptum est. ut verear, ne aliunde Cicero sumpsum non perspicue intellexerit. Quod *cognitionem* et *memoriam* addit, non mentis facultates significat (*das Fassungsvermögen* Gzius interpretatur), sed aves illas, quid boni acceperint, meminisse et eos, a quibus acceperint, cognosse dicit. Ascendit igitur oratio in eodem genere, cum *desideria* nominantur; ea enim vox est in codd. fere omnibus (mg. Crat., de quo Gzius errat, cod. Tusani, Pall., El. utroque, Ball. (ψ), CCC (ξ), Mead., χ , Gzianis praeter Bas., [B]). tenueratque ex R Vict. et deinde Gruterus; in paucissimis et deterrimis codd. (Parr. 1 et 2, si Davisio credimus, Bas.; siletur de Oxx. EU) substitutum est *disciplinam*, quod Th. Bentleius et recentiores probarunt. *Disciplina* adhibetur bestiis, in earum natura non est. *Videmus* extremo loco omittitur in quibusdam edit. (Ven. 1480, Crat., deinde Man. et Lamb.) nec annotatur ex EU; in mg. Crat., Pall., Davisianis, Gzianis, [B] erat; commodius altero utro loco abesset; in hoc tamen orationis ascensu ferenda repetitio videtur. Paulo post *praecipui* a Manutio restitutum puto; nam Victorius superioresque *praecipue*, et sic [AB,] EU $\chi\psi$, Gzii quattuor; quintus, Gud. 1, ut L; Grut. et Dav. tacent. Correctio necessaria est.

bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus nisi voluptatis causa nulla erit? et homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus?

5 XXXIV. 111. Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus; nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo
10 summum pecudis bonum et hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? 112. Ut, si Xerxes, cum
15 tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis,

4. praecipuum L praecipue ceteri esse dicemus datum E 5. sint C
6. multumque sepe ramur E 7. ex sese fundit E varios varieque LPMCR
habundantibus E 9. labore multo E 10. pecudum PMCR 11. bonis (pro
optimis) L 12. qui E optimorum studiorum C 13. sed ea iam non ad
aliam E 14. si exerses E

Cap. XXXIV, 111. *atque abundantes*) Sic etiam mg. Crat., El. 2, Eξ, Spir., recepitque post Manutium Davisius. Gud. 2 *varios* omittebat. *Varie abundare* nihil est. [B ut Erl.]

pecudis bonum) Sic Manutius, deinde Grut. et Dav. tacite et reliqui deinceps. *Pecudum* Uχψ (recte de Eξ tacetur) et, si Gzio credas, omnes eius codd., sed excipiendus erat Erl. et, opinor, Spir. [B]. (Mox, cum ederetur *optimorum studiorum*, in mg. Crat. annotatum alterum est.)

112. *Ut, si Xerxes, cum — si, cum — venisset, cet.*) Sententia condicionali: *si Xerxes — diceret*, quae definitur adiecta temporis et rerum ante gestarum notatione, includitur altera propior et subsequens condicio: *si — quis quaereret*, eique iterum interponitur significatio laboris ante exhausti (*cum tanto cet.*), nec quidquam a recta orationis norma deflectit. Turbarunt tamen Lambinus, Davisius, Gzlius. Similia exempla condicionis propioris et posterioris priori subiectae reperiet, qui operae pretium putabit, in orat. pro Rosc. Am. 2, pro Sest. 45, Off. III, 30, ad Fam. XIII, 26, 3, in hoc opere IV, 22. [Verr. IV, 10, de imp. Pomp. 59, pro Cluent. 6, pro Balbo 16.]

Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terram navigavisset, si, cum tanto impetu in Graeciam venisset, causam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus, sic nos sapientem, 5 plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. 113. Ad altiora quae- 10 dam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus; nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, in te quidem infinita, inest coniectura

1. [Athone A] Athone E Athove M 2. terramque (P)C navigasset (LPM)COr. 3. causam eius quis LPMCR 4. afferre LPMCR 5. vos L 6. et virt. L 13. inde (pro in te) E vitae (vite) LPMCR et ea Or. (cum mendii nota)

Athone perfosso) Cum Vict. edidisset *Athove* (quod erat in tribus Pall.. El. 1. Parr. 1. 3, ψ, Gzii, ut videtur, praeter Erl. et Gud. 2), Manutius alterum restituit. quod habuit etiam cod. Mor. [et B]. *Athonem* Cicero dixit de R. P., *Athones* Lucilius. In mg. Crat. *Atho* notatur, vix e codice.

terram navigavisset) Asyndeto utitur in celeri magnarum rerum et gravi notatione; nam sic Vict., Dav. ex El. (utro?) et Mead., Gzii etiam ex (Ox. χ et) Spir. [B]. In ξ et Gud. 2 erat *vel terram*. Colorem simillimum orationis de eadem re Ursinus demonstravit in Isocrat. Panegy. p. 58-Steph. (§ 89 Bekk.): ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἡπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεῦξας, τὸν δ' Ἄθω διορυξας. [Admodum probabiliter Baiterus in ed. min. *mari ambulavisset, terra navigavisset*; neque enim *ambulare mare placet ultra poeticam paene licentiam progressum.*]

causam quis) Sic etiam Spir. [B], et viderant Th. Bentleius et Davisius delendum esse *eius*, cum sequeretur *tantarum copiarum*. Mox *auferre* etiam Pal. 1, Spir. [B], cod. Mor., et, ut videntur, Eξ; corrigendum esse monuerat Man. Ceteri *afferre*.

113. *nec id ex animi solum partibus*) Additurus erat: *sed etiam ex corpore intellegi potest*, aut similia, sed pluribus de animo interpositis, orationis progressum mutavit in illis: *ergo haec* cet.

in te quidem infinita) Sic aperte Pal. 1, ξ, ed. Ven. 1480;

consequentium non multum a divinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia, inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque con-

1. *consequentia* E 2. Post *societatem* add. *tuendam* L 4. *firma mortis stabilisque cont.* L (*doloris* om. etiam P)

eodem spectat Erl. et Spir. [B] scriptura *inde* et ceterorum codicum *vite* (*vitae*); nam *in*, *ni*, *ui*, *iu* in codd. certi generis vix discernas. (Cfr. § 118 *video* pro *in deo*.) Quod generaliter Cicero dixerat, coniungit cum brevi significatione eius hominis, quem contra disputat, in hoc ipso genere praestantiae, quemadmodum Torquatus in libro I, 50 inducitur similiter Ciceronis laudem breviter significans (*ut te consule*). *Divina* Torquati *memoria* in Bruto 265 laudatur eademque hic I, 25 significatur. Quod vulgo edebatur, sensum non habebat; nam *vitae* memoria quae sit, quae separatim extollatur et infinita dicatur, nemo intellexerat. Itaque Lambinus et nuper Schuetzius et Orellius Manutium sequentes *et ea quidem* scripserunt, coniectura non recta. Nam illo modo ei rei, quae aut nude posita est aut in alio genere laudata, singularem laudem adiungimus. Atqui *infinita memoria* ea est ipsa, quae innumerabiles res complectitur; itaque augentes coniungere possumus: *infinita memoria innumerabilium rerum*, ut dicitur Tusc. I, 57; distingvere hoc modo: *memoria innumerabilium rerum, et ea quidem infinita* (ut hic 17: *in voluptate et ea quidem summa*) non possumus. Gzizus edidit: *inde quidem infinita inest coniectura*, et haec ab *inde* ad vocem *contemptio* parenthesi inclusit, in quo nescio utrum mirabilius dicam, quod anaphoram apertam in voce *inest* non viderit, an quod in animi *partibus* unam memoriam inesse dici crediderit, ut ex memoria nascentur et ei subiecta sint coniectura, pudor, mortis dolorisque contemptio. Et tamen Orellius, quasi non incredibilis haec perversitas sit, unum vituperat, quod non recte coniungantur *inde* et *inest*. Sed cur haec refellimus? Hoc potius dicamus, memoriae et coniecturae commemoratione hic simul totam prudentiam significari, cui adiungantur tres reliquae summae virtutes.

in perpetiendis) Praepositionem prorsus necessariam (significatur enim materia et occasio illius contemptio) Gzizus in Spir. et Gud. 2 non esse tradidit et delevit. Accedit Otto et dativos esse narrat, „qui finem indicent“. Scilicet, ut triumviros aeri flando feriendo dicimus, sic etiam *contemptionem doloris patiendo labori*.

tempio; — ergo haec in animis; tu autem etiam membra ipsa sensusque considera, qui tibi, ut reliquae corporis partes, non comites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur. 114. Quod si in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo, quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt. Quod si esset in voluptate summum bonum, ut dicitis, optabile esset in maxima voluptate, nullo intervallo interiecto, dies noctesque versari, cum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi 10 moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in genere isto voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant; vestri haec verecundius; illi fortasse constantius. 115. Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a maioribus 15 nominabantur, sed quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidian, Polyclitum, Zeuxim

1. hic E *inanis* (pro *in animis*) L *tum* LP 2. *corporis* om. E 3. *videbantur* PMCR 4. *quid si* [A]MR 8. *opt. esse* E 9. [*maxima in voluptate* A] in *vol. max.* LPMCROR. *vallo* E 10. *omni* om. C *quasi dulcedine omni* L 12. *isto genere* LPMCROR. 13. *hic* E 15. [*qui* om. A] [*inertes amoribus* A] 17. *Phidian* (LPM)CROr. [*Policlitum* A] *Polyceletum* (LPM)CROr. *Teurim* E *Zeuxim* Or.

corporis partes) Om. *corporis* etiam Spir. [B]; vid. ad I, 39. [Non A. Itaque uncus sustuli.]

videbuntur) Sic Manutii, deinde Gruterus tacite [ex A]; etiam Spir. [B]. Oxx. tantum ex χ (man. 2) enotarunt *videbantur*, quod erat in Davisianis (Parr. tribus, El. utroque, CCC) et Gzianis ceteris.

114. *Quod si in ipso cet.*) Sic etiam Spir. [B], recepitque Gzius. Quod sequitur: *quid tandem — censes?* hanc concludendi formam postulat. Cfr. Orat. 51. Mox *veteres* plures intellegere potuit, aut Anaxagoram et qui ab eo profecti τὸν νοῦν θεῶν faciebant, aut Socratem et Platonem (in Phaedro et aliis multis locis).

in maxima voluptate) Sic etiam Spir. [B]. In Gud. 1 et ed. Crat. est *maxima in voluptate*. [*Genere isto etiam B.*]

115. *non has maximas artes*) Virtutes sic appellat, Stoicorum et antiquorum usum sequens (vid. ad IV, 4), simul ut etymologiam illam adiungat vocis *iners*. Deinde verbo *lustremus* post remotionem illam (*non has max.*) subiciendum erat: *sed*

ad voluptatem artes suas direxisse. Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quae autem est alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem sum-
 5 mum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat? Quaero enim de te, si sunt di, ut vos etiam putatis, qui possint esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint, aut, si sine eo genere
 10 voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis.

XXXV. 116. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidi aut Themistocli, non Philippi aut Alexandri; lege

1. *ad voluptates* LPMCR 3. *est autem* Or. [ilia A] 5. *bonum dicerint cum* (om. *esse et non*) E *animi in qua — parte* om. P *in om.* [A]E 7. *animi* om. C *deliberatur* E *sint* M 8. [dii A] *etiam* om. LP *qui possunt omnes*, Or. 9. *corporis* C [percipe A] *percipi* EC *possunt* ELC 10. *sint* [A]ELMR *simile* E *sapientia* E 13. [hagesilai A] 14. *Aristidis* LPMCR *non* (P)C *Themistoclis* LPMCR *non Alexandri* LPMCR *sed* (pro lege) L

leviores illis aut simile quid; sed orationem, ut solet, avertit. Non multum discedit haec species huius declinationis ab ea, quam in verbis *non tam — sed pro: non tam — quam* commemoravi ad I. 1. Mox *Polyclitum* Erl. et Spir. [B *piloclitum.*] Vid. Zumpt. ad Verr. IV, 5. [Phidian AB]Erl., *ceurim* B.]

ad voluptatem) Sic Iunt., Crat., tum Davisius tacite et recentiores; confirmat nunc Erl. [AB]; ceteri (Grut. et Oxx. tacite) *voluptates*. [Mox *quae est autem* cum Schuetzio et Or. e Gud. 1 dederam; nunc parui codd.]

qui possint esse beati) Sic scripsi cum Lambino; pendere enim hanc interrogationem ostendit, quod sequitur: *aut — cur nolitis*. Hic in omnibus scriptum est *possunt*, mox in multis (tribus Gzianis). Pro *sunt* priore loco Eξ, altero E *sint*. [*Percipe, percipi* (B) errore orta videntur.]

Cap. XXXV, 116. *Aristidi aut Themistocli*) Genetivi hanc formam ex Erl. [AB] restituit Gzius. *Aut* h. l. non solum etiam [AB] Spir., id est. meliores habent, sed, opinor, etiam fere deteriores (Eξ, Gud. uterque, Bas.) et plures edd. vett. (Mars., Vict.); non Crat. Manutius, reliqui ante Gzium tacite; altero loco *aut* soli meliores, etiam Spir. [B] et ed. Crat., habere videntur, etsi

nostrorum hominum, lege vestrae familiae; neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad portam: HUNC UNUM PLURIMAE CONSENTIUNT GEN-

2 *utilitatum* [A]ER 3. *eulogia* [A]ELMC *monimentorum* [A]E 4. *ore* (pro hoc) M *are* R *hoc ore* C *uno cum* [A]EPM *uno cui* L *unum esse* C *immo cum* R *Unum hunc* Or.

Gzius addit cod. Vindob. Singulis superioribus paria hominum coniunctorum Cicero addit.

comparandarum voluptatum) *Utilitatum* etiam [B.] apud Dav. El. 2, Parr. 2, 3, CCC, Mead., Ball.; Gruterus et Gzius tacent. Alterum quin necessarium sit in notanda vili et abiecta re et parum digna illorum hominum laudibus, non dubium est; nec hic iis uti licet, quae ad I, 34 dixi; sequitur etiam in *conficiendis voluptatibus*; sed mendum in cod. archetypo fuit. Mox *eulogia* etiam sex Pall. [B.] Oxx. EUξχ. Emendatiores antiqui codd. Tusculanarum et oratt. pro Cluentio et in Pisonem (saltem Erf.). Post *significant* prave interrogandi notam multae edd., etiam Gzius et Orellius habent.

ad portam: Hunc unum) A. Atilii Calatini (cos. a. 258 et 254 a. C.), hominis saepius a Cicerone inter summos viros nominati, cuius rerum memoriae tempus nocuit. elogium commemoratur etiam in Cat. 61. Sed scriptura incerta est. Codices fide digni: *ad portam uno cum* (Pall. 1, 4, 5, 6, Davisiani plures, Oxx. χψ, Spir. [B]; Gud. 2 *imo cum*, Pal. 2 *uno complurimae*); paucissimi *uno cui* (Pal. 3, unus fortasse et alter Dav., U, ut videtur). Quod vulgo legebatur ante Orellium: *ad portam: Uno ore cui plurimae* cet., nescio a quo editore invectum sit (*ore uno cui* Iunt. Si recte Oxx. notarunt, in Eξ legebatur: *ad portam: ore cui plurimae*, sed valde dubito). Dativus omnino nihil habet loci. In Catone codices etiam antiquissimi habent: *Atilio Calatino, in quem illud elogium unicum plurimae consentiunt* cet. Praeterquam quod alio ducunt vestigia codicum huius operis, non potest deesse in elogio pronomen hominem demonstrans. Accedit, quam primus Ernestius animadvertit, summa similitudo elogii in monumento L. Scipionis Barbati F. incisi (apud Orell. Inscr. Lat. n. 552, Mommsen. Corp. Inscr. Lat. I n. 32 p. 18): *Hunc oino ploirume cosentiont R...* || *Duonoro optumo fuisse uiro*. Hinc Orellius effecit *unum hunc*; ad codices (monstrante maxime littera c) propius accedit id ipsum, quod est in Scipionis monumento et Ernestio placuerat: *hunc unum*. Nam quod Orellius

TES POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. 117. Idne concessisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primum populi fuisse, quod praestantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adulescentibus bonam spem esse
 5 dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros et, quidquid ipsis expediat, facturos arbitramur? Nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur, quanta confusio? Tollitur beneficium, tollitur gratia, quae sunt vincla concordiae. Nec enim, cum tua causa cui
 10 commodas, beneficium illud habendum est, sed feneratio, nec gratia deberi videtur ei, qui sua causa commodaverit. Maximas vero virtutes iacere omnes necesse est voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi

1. *et due* (pro *idne*) E *concessisse* LMR 2. *a Calatino* C 3. [*fuisse populi* A] 4. *his LC* 6. *quid C expediet L facturos esse E arbitramur ELMCR* 7. [*nomine videmus A*] 9. *vincula ELPMROR. tuā causā [A] tuam causam E enim si tuam ob causam cuiquam commodas LPMCROR.* 10. [*ueneratio A*] 11. [*suā causā A*] *suam commod causam E suam ob causam commod. PMCROR. ob suam causam feneraverit commodaverit L* 12. *est om. P*

et Klotzius Ciceronem antiquae scripsisse putant: oīno hoc, nihil erat, cur apices exprimeret, quos vix memoria tenebat (velut omissum *m*). Unicum illud esse elogium, etiamsi fuisset, Cicero non utroque loco prorsus eodem verbo annotasset. Portam significari Capenam, e Tusc. I, 13 intellegitur, ad quam cum multa essent clarorum hominum sepulcra et hoc ipsum notissimum, nomen omitti poterat.

117. *facturos arbitramur*) Hoc, quod Gzius e Parr. 1 et 3 Davisii, Gud. utroque et Bas. suis posuit, retinui, quod idem Morelius annotavit e suo et quod necessarium est propter *dicemus*. [Sic A; B ut Erl.] Quaeritur, quid posthac statuendum sit. *tua causa*) Praepositionem *ob* omittit etiam Spir. hic et paulo post. Fieri potest, ut, cum Cicero scripsisset *tua causa* et *sua causa*, librarius verbi, quod est *commodare*, naturam ignorans, ei accusativum in codice archetypo accommodavit, deinde in deteriorum principe praepositio accesserit. [Itaque nunc, accedentibus A et B, ablativum restitui utroque loco.]

cui commodas) [Antea, cum de uno Erl. constaret, servato *si*, scripseram *cuiquam*, ex quo *cuiquam* ortum videbatur (nam hoc sententia non ferebat; vid. ad IV, 45), annotaveramque aut sic aut *cui* scribendum esse. Nunc ABErl. secutus cum Baitero *cum* — *cui* scripsi.]

honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem, non est facile defendere. 118. Ac ne plura complectar (sunt enim innumerabilia), bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod iam a me expectare noli; tute introspecte in mentem tuam ipse eamque omni 5 cogitatione pertractans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu, an, cum de omnibus gentibus 10 optime mererere, cum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas. Sic enim maiores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas

1. *honestas* [A]ELP *cadant insipientem* E 2 *at ne* E 3. *voluptatis bene aditus* E 7. *perfluens* MCR [quem A] 9. *vos om.* L 10. *gentibus om.* E 11. *merere* [A]ELMCR 12. *vestri* E 13. [figiendos A] *finiendo* E

honestas natura) ἡ ἀρετὴ φύσει. Correctio haec est; nam Pall. omnes et Spir. [B] et cod. Mor. *honestas natura*. (Davisius tacet.) Sed etiamsi intellegatur naturalis bonitas, malam doctrinam vincens, ea tamen ad hunc locum nihil pertinet omnino, ubi exponitur, quid secuturum sit, nisi aliud vitae agendaee fundamentum ponatur, atque Epicurus posuerit, virtutem voluptatis causa inducens. Ed. Crat. *honestatis natura* et in mg. *honestas*, non ex antiquo illo cod. Eξ ex *honestas natura* unum effecerunt: *honestas*.

118. *voluptatis aditus intercludat*) Lambinus *voluptati*; vid. ad 27.

voluptatibus perfruens) Sic primus Lambinus; confirmant Pall. 1, 2, 3, 4, Gziani omnes, Eξ, ut videntur. *Perfluens* erat in Davisianis omnibus. *Affluere voluptatibus* dicitur, non *perfluere*.

de omnibus gentibus) *Gentibus* abest etiam a Spir. [B]. Scripsitne Cicero: *de hominibus*? Annotanda est autem orationis in verborum temporibus mutatio. Nam incipit Cicero dicere tamquam de earum rerum optione, quae fieri fortasse possint (*malis*), deinde, quasi nimis audacter hoc fingatur, declinat ad illam formam (*mererere, ferres*), in qua intellegitur *si posses, non si possis*.

tristissimo tamen verbo aerumnas) Extremum verbum, propter orationis gravitatem non necessario adiectum, damna-

etiam in deo nominaverunt. 119. Elicerem ex te cogere[m]que, ut responderes, nisi vererer, ne Hercule[m] ipsum ea, quae pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres. Quae cum dixissem, Habeo, inquit Tor-
 5 quatus, ad quos ista referam, et, quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores. Familiares nostros, credo, Sironem dicis et Philodemum, cum optimos viros, tum homines doctissimos. Recte, inquit, intellegis. Age sane, inquam; sed erat aequius, Triarium aliquid de dissensione

1. *etiam ut video* LPMCR *eligerem* [A]EP *exigerem* L (P mg.) MCROr. 4. *dicere* E 6. *familiares ostendere nostros* L *paratiores familiares nostros*. Credo Or. *vestros* E 7. *Syronem* LPMCO. *Scyronem* R *Philodemum* LM *Polydemum* CR *tum optimos* LPR *cum* (pro *tum*) E 8. *doctissimos homines* (M)CRO. *sane om.* E 9. *erat egregius* P (mg *aequius*) *aliquid* E *nostra dissensione* LPMCRO.

bant Davisius et Ernestius. non multo melius quam § 16 illud *in motu. Aerumnam sextam Herculis* Plautus dixit Epid. II, 1, 9, [Pers. I, 1, 2]; Cicero saepius aerumnas Herculis appellatas legisse videtur. Tum *in deo* primus, ut videtur, edidit Victorius; est in mg. Crat. Deteriores omnes: *ut video* (Ξψ, Gud. uterque, Bas.; tantum E *ut in deo*; Grut. et Dav. tacent). Ex *in deo* cum factum esset *video*, additum est *ut*.

119. *Elicerem*) [Hoc post Gruterum Baiterus effecit ex scriptura codicum ABerl. *Exigere ex aliquo* pro *ab aliquo* vix recte dicitur. Gradatio aliqua est in eliciendo cogendoque.]

Sironem dicis) Epicureum Graecum, qui Vergilium et Varium poëtas discipulos habuisse traditur; vid. Heynius ad Donati vit. Vergilii § 79. Eundem amicum suum Cicero appellare videtur ad Fam. VI, 11, 2 eiusque nomine in Acad. II, 106 tamquam Epicurei doctissimi utitur. [Formam nominis expressi nunc ex ABerl. quam M. Hauptius veram esse defendit Herm. I p. 40.]

Philodemum) Gadarensis, nobilem Epicureum, philosophum et poëtam, L. Pisonis amicum, cuius scripta quaedam Herculani reperta sunt. (Verum nomen annotatur in mg. Crat. et e cod. Mor.) Orationem prave sic distinctam: *paratiores familiares nostros*. Credo, *Sironem dicis* cet. correxi. Torquatus universe loquitur. Cicero suspicatur eum familiares suos Ciceronisque dicere.

cum optimos viros) *Tum* (ut cum R pleraeque edd. ante Manutium) e quattuor suis codd. revocavit Gzius; vid. ad I, 34. *Tum* omnes edd. tacite *doctissimos homines*. [Ut Erl., AB.]

nostra iudicare. Eiuro, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re; tu enim ista lenius; hic Stoicorum more nos vexat. Tum Triarius: Posthac quidem, inquit, audacius. Nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audivi; nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum videro. 5 Quae cum essent dicta, finem fecimus et ambulandi et disputandi.

1. iuro [A]ELPMR imo C 2. lenius P(mg. lenius)CR 3. quidem om. LP 5. video PM [Subscribitur in A: *Incipit liber tertius de finibus bonorum et malorum.*]

Paulo post Gzii codd., excepto uno Gud. 2: *de dissensione nostra.* [Et sic ABerl., quibus parui.]

Eiuro. inquit arridens, iniquum) Editum fere ex C immo (inde a Crat. ab omnibus ante Gzium). Codd. apud Dav. iuro, Oxx. Εξψ iure(?). Gziani partim hoc, partim illud. Laudandus igitur aliquando Gzius, qui sollemnem formulam iudicis iniqui recusandi (vid. lexic.) restituerit littera e geminata.

et ambulandi) At nullam ambulationem Cicero initio libri I commemoravit. Festinans igitur putavit id se scripsisse, quod non scripserat.

